This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



13841.f.90

BREVIARIUM

NANNETENSE,

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi in Chriſto Patris DD. Caroli-Eutropii DE LA LAURANCIE, Nannetenſis Epiſcopi auctoritate, ac venerabilis ejuſdem Eccleſiæ Capituli conſenſu, editum.

PARS VERNA.



VERSALIIS,

Typis PH.-D. PIERRES, Chriſtianiſſimi Regis Proto-Typographi.

M. DCC. XC.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



CAROLUS-EUTROPIUS
DE LA LAURANCIE,
DEI GRATIÂ
ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ AUTORITATE,
EPISCOPUS NANNETENSIS;
CLERO NANNETENSI,
SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN CHRISTO.

Ubi primùm ad vos pervenimus, Dilectissimi Fratres, de renovandis antiquis Eccleſiæ noſtræ Lithurgicis Libris, votorum veſtrorum conſcii, cogitavimus. Suis enim à primæva ætate Uſibus Ritibuſque gloriabatur, inter Gallicanas Eccleſias celebris, Eccleſia noſtra Nannetenſis. Lapſu temporis, ità defecerunt, ut *vix* eorum extet recordatio, rariſſimaque ſuperſint *eorum monumenta*. Superſunt *tamen, Dilectissimi* Fratres; hiſque

innixi; quod in univerſa propemodùm Eccleſia Gallicana, atque in nonnullis Provinciæ noſtræ Turonenſis Eccleſiis, ſumma cum laude perfectum eſt, hoc in Nannetenſi noſtra, de conſenſu venerabilis Capituli, decrevimus faciendum.

Hæſimus equidem pauliſper, DILECTISSIMI FRATRES, formidine preſſi ne tenuia Cleri noſtri atque Eccleſiarum nobis commiſſarum plus æquò gravarentur æraria. At formidinem vicit, & pietas veſtra, & Eccleſiæ noſtræ decus, & quæ nobis exhibita eſt ſumptuum moderamini accommodatiſſima via. Alienis etenim curis & expenſis quaſi diteſcimus: illudque ſolùm nobis elaborandum ordinandumque relictum eſt, quod Eccleſiæ noſtræ eſt omninò peculiare. Prodit igitur tandem, DILECTISSIMI FRATRES, hoc ſollicitudinis noſtræ opus, Breviarium ſcilicet ad uſum Eccleſiæ noſtræ accurratiſſimè concinnatum. Illud autem tantò lætiori vobis exhibemus affectu, quantò firmiori ſpe in Domino confidimus ſingulis veſtrûm gratiſſimum fore & acceptiſſimum. Ut autem primo intuitu quânam methodo fuerit elaboratum, facilè proſpicere ſit, brevem hîc operis ſummam exhibere conveniens judicavimus.

1°. Pſalterium ità diſtributum eſt, ut *ſingulis hebdomadis* integrum recitetur;

ſinguli verò Pſalmi ità partiti, ut Officii cujuſque diei ſcopo conveniant. Hunc autem ſcopum prænuntiat Invitatorium, atque ad ipſum ordine ſequenti dirigitur quidquid ingreditur Officium feriale.

Dominica ſcilicet celebrat Omnipotentis ab opere ceſſantis, Chriſti reſurgentis, & Electorum in cœlo triumphantium requiem. Feriâ ſecundâ, opus creationis eximium; Feriâ tertiâ, Dei ſummè providi munificentia; Feriâ quartâ, ſupremi Legiſlatoris effata celebrantur & commendantur.

Feriæ quintæ Officium, Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum commemorat: Feriæ ſextæ, Redemptoris caritatem contemplatur: Sabbati tandem, æternum labori promiſſum præmium conſiderat & proponit.

2°. Quæcumque verò, tum iſta præfata, tum alia per annum, Breviarii noſtri ingrediuntur Officia, Antiphonæ ſcilicet, Capitula, Reſponſoria, Verſus, hæc totidem è puriſſimo Scripturarum fonte deprompta ſunt: *Amica enim & familiaris Oratio eſt, Deum de ſuo rogare.* Quin & in colligendis Eloquiis ſacris, ea adhibita eſt reverentia, ut ſemper continuâ ſerie & abſque tranſlatione verborum referantur.

S.Cypr. Lib. de Oratio. Dominica.

3°. *Antiphonæ ſingulæ* hoc peculiare

habent, ut nec præcepta, nec monita ad alios directa, ſed pios animi motus ad Deum, expoſitionem Dogmatum, aut præclara Sanctorum geſta exhibeant. Capitula verò, quoniam à Celebrante ſolo, cœteris audientibus, recitantur, præcepta, conſilia, monita ut plurimùm, exprimunt.

4°. Reſponſoria ex gemino tum Veteris tum Novi Teſtamenti textu ità conflata ſunt, ut prima pars è Codicibus Veteris, ſecunda, Verſus ſcilicet, è Novi Teſtamenti Libris fuerint efformatæ. Sic, collatis cum veritate figuris, cum eventu promiſſis, cuique obvius eſt Veteris Legis cum Evangelica Lege concentus.

5°. Lectiones è Scriptura depromptæ ità diſpoſitæ ſunt, ut percurrantur utriuſque Teſtamenti tum Hiſtorici tum Prophetici Libri, in primo Dominicarum Nocturno & Feriis per annum; Morales verò, in earumdem Dominicarum ſecundo Nocturno, Feriis quibuſdam privilegiatis, Feſtis & intra Octavas Sanctorum.

Aliæ ſunt Lectiones quæ è Sermonibus & Homiliis Patrum excerptæ ſunt. Hæ verò, ſummâ religione cautum eſt, ut è genuinis ipſorum operibus accurratioribuſque editionibus ſemper depromerentur: nec ad alios quàm ad fide dignos

Scriptores Hiſtoricos recurſum eſt; ad eas efformandas quibus exhibetur ſumma vitæ Sanctorum.

6°. Hymnos collegimus quos vel ultimo ſeculo vel ætate noſtrâ confectos adhibuerunt in ſuis diœceſibus Eccleſiæ Gallicanæ Pontifices; retentis tamen nonnullis, è vetuſtioribus Lithurgicis, propter eorum antiquitatem vel Autorum celebritatem.

7°. Orationes quæ Collectæ dicuntur; ſi non omnes è veteribus Sacramentariis deſumptæ, ſaltèm juxta antiquam & venerandam Orationum ſimplicitatem concinnatæ fuerunt.

8°. Ad Officium Capituli, diebus ſingulis legendus præſcribitur Canon; qui ut plurimùm ex Conciliis Œcumenicis, vel Nationalibus, vel in Provincia noſtra Turonenſi coactis, diligenter extractus eſt.

9°. Quod in Officio Feriali cautum eſt, ut ſuum cuique Officio peculiare proponeretur orationis conſilium, id quoque præſtitum eſt, pro diverſa partium anni varietate.

Per Adventum, vaticinia Patrum de Meſſia venturo, ſinguli ejuſdem caracteres, ſingulæ notæ explicantur & evolvuntur.

A Circumciſione Domini ad Præſenta-

tionem in Templo, ejuſdem Redemptoris cum Deo Patre Conſubſtantialitas, & occultæ per infantiam virtutes commemorantur.

Tempore Quadrageſimæ, Pœnitentiæ præſcriptæ neceſſitas aſtruitur, ejuſque fructus enumerantur.

Tempore Paſſionis, pietati proponitur
Philipp. 2. 7. Qui *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*, ejuſque ſalutiferæ mortis pretium exhibetur.

Demùm intra Tempus Paſchale, Reſurrectionis Chriſti veritas contra Judæos & impios vindicatur, noſtræque cum ipſo reſurrectionis neceſſitas commendatur.

10°. In ſingulis pariter per annum Dominicis & Feriis pluribus, præſertim Quadrageſimalibus, ſuus eſt ex Evangelii argumento deſumptus ſcopus, non quidem in Officio integro, neque enim fieri poteſt ut ſingulis diebus Dominicis proprium concinnetur Officium; ſed in ea parte duntaxàt quæ varia eſt pro Evangeliorum diverſitate.

11°. Quin & in diverſis ejuſdem Officii Horis illud idem ſervatum eſt. Primæ ergo Veſperæ continent, vel Prophetarum oracula de Myſterio celebrando, vel ejuſdem in Scripturis figuras, vel adoranda decreta quibus Altiſſimus Vaſa *miſericordiæ* præparavit in gloriam. In

Officio Nocturno, Dogmata referuntur quæ credit & credenda proponit Eccleſia, vel indicantur præclara geſta Sanctorum. In Laudibus & Horis diei, vel Deo aguntur gratiæ pro beneficiis receptis, vel celebrantur Sanctorum laudes. Tandem in Veſperis & Completorio, vel fructus ex Solemnitate percipiendus exponitur, vel deſcribuntur ultimi labores Sanctorum.

12°. Quod ab antiquis Conciliorum Canonibus ſancitum eſt, ut Quadrageſimæ tempore, nulla Feſta, præterquàm Incarnationis Domini, Patronorumque primariorum celebrarentur, obſervandum ſtatuimus. Neque enim cum luctuoſis pœnitentiæ laboribus congruit lætabunda Feſtorum ſolemnitas : & dum tota eſt in Omnipotentis ira placanda, ſancta Mater Eccleſia, æternorum gaudiorum delicias non ità convenienter cantare videretur.

13°. Statuendum pariter judicavimus, ut ſua diei Dominicæ celebritas ſervaretur, nullumque in die Domino ſacra Feſtum celebrari liceret, niſi ipſius Domini foret, aut tantæ ſolemnitatis, ut minùs congrua fieret tranſlatio ejus.

14°. Calendarium noſtrum ità diſpoſitum eſt, ut Sanctos *in univerſa Eccleſia celebres, deinde in Gallicana* conſpicuos,

tum in Turonenſi & peculiariùs Aremo-
ricenſi illuſtres, ac demùm in Nannetenſi
Patronos & quaſi contubernales, cœteris
Sanctis præponeremus. Qui enim noſtris
in domiciliis pro Chriſto fuderunt ſan-
guinem, qui commiſſum nobis pavêre
gregem, qui celeberrima finibus in noſtris
vel inſtruxerunt, vel reſtaurârunt Cœno-
bia, uno verbo, qui quomodocumque
viciniora nobis exempla dederunt, ſin-
gulari apud nos digni ſunt veneratione.

Hortamur igitur vos, DILECTISSIMI
FRATRES, & enixè precamur in Domino,
Eph. 4. ut *dignè ambulantes vocatione quâ vocati*
13. *eſtis, ſolliciti ſervare unitatem Spiritûs in*
vinculo pacis, tales & ſitis & habeamini,
qui gregis interceſſores & patroni apud
Hebr. Deum, *repropitietis delicta populi.* Sic
2. 17. ergo Deo *offerte hoſtiam laudis, id eſt,*
Hebr. *fructum labiorum confitentium nomini ejus,*
13. 15. ut voſmetipſos *exhibeatis hoſtiam viven-*
Rom. *tem, ſanctam, Deo placentem*: Quan-
12. 1. tumcumque ſit enim quod grave in-
cumbit Miniſtris altaris orandi munus,
graviori & ſanctiori mandato ab ipſis
exigitur vita labe carens & ornata virtu-
Matt. tibus. *Vos eſtis lux mundi*, DILECTISSIMI
5. 14. FRATRES; *ſic ergo luceat lux veſtra coram*
16. *hominibus, ut videant opera veſtra bona,*
& glorificent Patrem veſtrum qui in cœ-
lis eſt.

Mandamus itaque & præcipimus omnibus & ſingulis noſtræ Diœceſis Capitulis, Collegiis, Monaſteriis, Ordinibus, & quibuſcumque Clericis ad recitationem Horarum Canonicarum, ſive publicè, ſive privatim, adſtrictis, ut hoc noſtro utantur in poſterum Breviario : Prohibemuſque ne aliud quodvis, ſive publicè in Choro, ſive privatim extra Chorum, ſinè peculiari à Nobis conceſſa facultate, recitare præſumant, poſt Dominicam primam Adventûs proximi, diem ſcilicet vigeſimam octavam Novembris.

Et quoniam *in cordibus noſtris eſtis ad commoriendum & ad convivendum, obſecro vos, Fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per caritatem ſancti Spiritûs, ut adjuvetis Me in orationibus veſtris pro Me ad Deum.* 2. Cor. 3. 7. Rom. 15. 30.

DATUM Nannetis, in Palatio noſtro Epiſcopali anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo, die verò prima menſis Januarii.

† C. Eu. *Epiſcopus Nannetenſis.*

De Mandato illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. D. Epiſcopi Nannetenſis,

LANGEVIN, *Canonicus Secretarius.*

TABULA TEMPORARIA.

Anni Domini.	Aureus Num.	Epacta.	Indictio.	Litt. Dom.	Dom. poſt Epiph	Septuageſima.	Dies Cinerum.
1791	6	xxv	9	b	6	20 Feb.	9 Mar.
1792	7	vj	10	A g	4	5 Feb.	22 Feb.
1793	8	xvij	11	f	2 †	27 Jan.	13 Feb.
1794	9	xxviij	12	e	5 †	16 Feb.	5 Mar.
1795	10	ix	13	d	3 †	1 Feb.	18 Feb.
1796	11	xx	14	c b	2 †	24 Jan.	10 Feb.
1797	12	i	15	A	5	12 Feb.	1 Mar.
1798	13	xij	1	g	4	4 Feb.	21 Feb.
1799	14	xxiij	2	f	1 †	20 Jan.	6 Feb.
1800	15	iv	3	e	4 †	9 Feb	[illegible]6 Feb.
1801	16	xv	4	d	3 †	1 Feb.	[illegible]8 Feb.
1802	17	xxvj	5	c	5 †	14 [illegible]	3 Mar.
1803	18	vij	6	b	4 †	6 [illegible]	23 Feb.
1804	19	xviij	7	A g	3	29 Jan.	15 Feb.
1805	1	*	8	f	4 †	10 Feb.	27 Feb.
1806	2	xj	9	e	3 †	2 Feb.	19 Feb.
1807	3	xxij	10	d	2 †	25 Jan.	11 Feb.
1808	4	iij	11	c b	[illegible] †	14 Feb.	2 Mar.
1809	5	xiv	12	A	[illegible]	29 Jan.	15 Feb.
1810	6	xxv	13	[illegible]	6	18 Feb.	7 Mar.
1811	7	vj	1[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible] F[illegible]	27 Feb.
1812	8	xvij	1	[illegible]	[illegible]	[illegible]6 Jan.	12 Feb.
1813	9	xxvi[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]4 Feb.	3 Mar.
1814	10	ix	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]6 Feb.	23 Feb.
1815	11	xx	[illegible]	[illegible]	2	22 Jan.	8 Feb.
1816	12	j	[illegible]	[illegible]	[illegible]	11 Feb.	28 Feb.
1817	13	[illegible]ij	[illegible]	c	[illegible]	[illegible] Feb.	[illegible] Feb.
1818	14	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible] Feb.
1819	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible] †	[illegible] Feb	[illegible]4 Feb.
18[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	3	30 Jan.	16 Feb.
182[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	g	6	18 Feb.	7 Mar.
[illegible]	[illegible]	[illegible]	10	f	3 †	3 Feb.	20 Feb.
[illegible]	19	xviij	11	e	2 †	26 Jan.	12 Feb.
[illegible]4	1	*	12	d c	5 †	15 Feb.	3 Mar.
1825	2	xj	13	b	3 †	30 Jan.	16 Feb.

TABULA TEMPORARIA FESTORUM MOBILIUM.

Anni Domini.	Num. Aureus.	Epacta.	Indictio.	Littera Domin.	Dom. post Epiph.	Septuagesima.	Dies Cinerum.
1832	9	xxviij.	5	A. g.	6	19 Feb.	7 Mar.
1833	10	ix.	6	f.	3 †	3 Feb.	20 Feb.
1834	11	xx.	7	e.	2 †	26 Jan.	12 Feb.
1835	12	j.	8	d.	5 †	15 Feb.	4 Mar.
1836	13	xij.	9	c. b.	3 †	31 Jan.	17 Feb.
1837	14	xxiij.	10	A.	2	22 Jan.	8 Feb.
1838	15	iv.	11	g.	5	11 Feb.	28 Feb.
1839	16	xv.	12	f.	2 †	27 Jan.	13 Feb.
1840	17	xxij.	13	e. d.	5 †	16 Feb.	4 Mar.
1841	18	vj.	14	c.	4 †	7 Feb.	24 Feb.
1842	19	xviij.	15	b.	2 †	23 Jan.	9 Feb.
1843	1	*	1	A.	5	12 Feb.	1 Mar.
1844	2	xj.	2	g. f.	4	4 Feb.	21 Feb.
1845	3	xxij.	3	e.	1 †	19 Jan.	5 Feb.
1846	4	iij.	4	d.	4 †	8 Feb.	25 Feb.
1847	5	xiv.	5	c.	3 †	31 Jan.	17 Feb.
1848	6	xxv.	6	b. A.	6	20 Feb.	8 Mar.
1849	7	vj.	7	g.	4	4 Feb.	21 Feb.
1850	8	xvij.	8	f.	2 †	27 Jan.	13 Feb.
1851	9	xxviij.	9	e.	5 †	16 Feb.	5 Mar.
1852	10	ix.	10	d. c.	4 †	8 Feb.	26 Feb.
1853	11	xx.	11	b.	2 †	23 Jan.	9 Feb,
1854	12	j.	12	A.	5	12 Feb.	1 Mar.
1855	13	xij.	13	g.	4	4 Feb.	21 Feb.
1856	14	xxiij.	14	f. e.	1 †	20 Jan.	6 Feb.
1857	15	iv.	15	d.	4 †	8 Feb.	25 Feb.
1858	16	xv.	1	c.	3 †	31 Jan.	17 Feb.
1859	17	xxvj.	2	b.	6	20 Feb.	9 Mar.
1860	18	vij.	3	A. g.	4	5 Feb.	22 Feb.
1861	19	xviij.	4	f.	2 †	27 Jan.	13 Feb.
1862	1	*	5	e.	5 †	16 Feb.	5 Mar.
1863	2	xj.	6	d.	3 †	1 Feb.	18 Feb.
1864	3	xxij.	7	c. b.	2 †	24 Jan.	10 Feb.
1865	4	iij.	8	A.	5	12 Feb.	1 Mar.
1866	5	xiv.	9	g.	3	28 Jan.	14 Feb.

Hoc signum † in sextâ columnâ designat in iis annis faciendam esse *commemorationem unius* è Dominicis post Epiphaniam, sabbato ante *Dominicam Septuagesimæ.*

TABULA TEMPORARIA FESTORUM MOBILIUM.

Pascha.	Ascensio Domini.	Pentecoste.	Festum SS. Eucharistiæ.	Dominica post Pent.	Dominica prima Adventûs	Littera Martyrologii
22 Apr.	31 Maii	10 Junii	21 Junii	24	2 Déc.	M.
7 Apr.	16 Maii	26 Maii	6 Junii	26	1 Déc.	i.
30 Mar.	8 Maii	18 Maii	29 Maii	27	30 Nov.	A.
19 Apr.	28 Maii	7 Junii	18 Junii	24	29 Nov.	a.
3 Apr.	12 Maii	22 Maii	2 Junii	26	27 Nov.	m.
26 Mar.	4 Maii	14 Maii	25 Maii	28	3 Déc.	D.
15 Apr.	24 Maii	3 Junii	14 Junii	25	2 Déc.	d.
31 Mar.	9 Maii	19 Maii	30 Maii	27	1 Déc.	q.
19 Apr.	28 Maii	7 Junii	18 Junii	24	29 Nov.	G.
11 Apr.	20 Maii	30 Maii	10 Junii	25	28 Nov.	g.
27 Mar.	5 Maii	15 Maii	26 Maii	27	27 Nov.	t.
16 Apr.	25 Maii	4 Junii	15 Junii	25	3 Déc.	P.
7 Apr.	16 Maii	26 Maii	6 Junii	26	1 Déc.	i.
23 Mar.	1 Maii	11 Maii	22 Maii	28	30 Nov.	c.
12 Apr.	21 Maii	31 Maii	11 Junii	25	29 Nov.	c.
4 Apr.	13 Maii	23 Maii	3 Junii	26	28 Nov.	p.
23 Apr.	1 Junii	11 Junii	22 Junii	24	3 Déc.	F.
8 Apr.	17 Maii	27 Maii	7 Junii	26	2 Déc.	f.
31 Mar.	9 Maii	19 Maii	30 Maii	27	1 Déc.	f.
20 Apr.	29 Maii	8 Junii	19 Junii	24	30 Nov.	M.
11 Apr.	20 Maii	30 Maii	10 Junii	25	28 Nov.	i.
27 Mar.	5 Maii	15 Maii	26 Maii	27	27 Nov.	A.
16 Apr.	25 Maii	4 Junii	15 Junii	25	3 Déc.	a.
8 Apr.	17 Maii	27 Maii	7 Junii	26	2 Déc.	m.
23 Mar.	1 Maii	11 Maii	22 Maii	28	30 Nov.	D.
12 Apr.	21 Maii	31 Maii	11 Junii	25	29 Nov.	d.
4 Apr.	13 Maii	23 Maii	3 Junii	26	28 Nov.	q.
24 Apr.	2 Junii	12 Junii	23 Junii	23	27 Nov.	G.
8 Apr.	17 Maii	27 Maii	7 Junii	26	2 Déc.	g.
31 Mar.	9 Maii	19 Maii	30 Maii	27	1 Déc.	t.
20 Apr.	29 Maii	8 Junii	19 Junii	24	30 Nov.	P.
5 Apr.	14 Maii	24 Maii	4 Junii	26	29 Nov.	l.
27 Mar.	5 Maii	13 Maii	26 Maii	27	27 Nov.	C.
16 Apr.	25 Maii	4 Junii	15 Junii	25	3 Déc.	c.
1 Apr.	*10 Maii*	*20 Maii*	31 Maii	27	2 Déc.	P.

In ſequenti Calendario appoſitum eſt tempus quo quiſque Sanctus obiit : An. *ſignificat anno* : C. an. *circa annum* ; S. *ſeculo* ; C. init. ſ. *circa initium ſeculi* : C. fin. ſ. *circa finem ſeculi.*

Feſta quæ majuſculis notantur caracteribus, feriantur apud populum.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		JANUARIUS.
*	A	Kal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, IMPOSITIO NOMINIS JESU, & Octava Natalis ejus. *Solemne minus.*
xxix	b	iv	2	Baſilii magni, Cæſarienſis in Cappadocia Epiſcopi, & Eccleſiæ Doct. (*è die* 1.) *Duplex minus.* An. 379.
xxviij	c	iij	3	Genovefæ, Virg. Pariſ. *Semiduplex.* An. 512.
xxvij	d	Prid.	4	Titi, Cretenſis Epiſc. *Simplex.* I. S.
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ Domini. *Sine jejunio.*
25. xxv	f	viij	6	*EPIPHANIA DOMINI. Solemne majus.*
xxiv	g	vij	7	De Octava Epiphaniæ.
xxiij	A	vj	8	De Octava Epiphaniæ.
xxij	b	v	9	De Octava Epiphaniæ.
xxj	c	iv	10	De Octava Epiphaniæ. *Comm.* de S. Paulo, primo Eremita Thebaïdis. C. an. 341.
xx	d	iij	11	De Octava Epiphaniæ.
xix	e	Prid.	12	De Octava Epiphaniæ.
xviij	f	Idib.	13	Octava Epiphaniæ, & Baptiſmus Domini. *Duplex majus.*
xvij	g	xix	14	Hilarii, Pictav. Ep. & Eccl. Doct. (è 13.) *Duplex minus.* C. an. 368.
xvj	A	xviij	15	Mauri, Glannofolienſis Abbatis, in territ. Andeg. *Semiduplex.* C. fin. VI. S.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		JANUARIUS.
xv	b	xvij	16	Joſeph, Sponſi B. M. V. (è 19 *Martii.*) *Duplex minus.* I. S.
xiv	c	xvj	17	Antonii, Abbatis Egyptii. *Semiduplex.* An. 356.
xiij	d	xv	18	Pontificatus, ſeu Cathedra S. Petri, Apoſt. quâ primùm Antiochiæ, tum Romæ ſedit. *Duplex majus.* *Prima Septuageſima hâc die 18.*
xij	e	xiv	19	
xj	f	xiij	20	Sebaſtiani, Rom. Martyr. *Duplex minus.* An. 288. *Comm.* de S. Fabiano, Papa & Mart. C. An. 250.
x	g	xij	21	Agnetis, Rom. Virg. & Mart. *Semiduplex.* C. an. 304.
ix	A	xj	22	Vincentii, Cæſarauguſt. Diac. & Mart. *Semiduplex.* C. an. 304.
viij	b	x	23	
vij	c	ix	24	Timothei, Epheſ. Epiſcopi & Mart. *Semiduplex.* C. an. 97.
vj	d	viij	25	Converſio S. Pauli Apoſt. *Duplex majus.* An. 34. vel 35.
v	e	vij	26	
iv	f	vj	27	Juliani, primi Cenom. Epiſcopi. *Semiduplex.* III. vel IV. S.
iij	g	v	28	
ij	A	iv	29	Franciſci Saleſii, Genev. Epiſc. (è 28. *Decemb.*) *Duplex minus.* An. 1622.
j	b	iij	30	
*	c	Prid.	31	

De Simplicibus ſit tantùm Commemoratio poſt Septuageſimam.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		FEBRUARIUS.
				FEBRUARIUS.
xxix	d	Kal.	1	Ignatii, Antioch. Epiſcopi & Martyr. (è 20. *Decemb.*) *Semiduplex.* An. 107.
xxviij	e	iv	2	*PRÆSENTATIO DOMINI, ET PURIFICATIO B. M. V. Solemne majus.*
xxvij	f	iij	3	
5 .xxvj.	g	Prid.	4	*Prima ſedes Cinerum hâc die 4.*
xxv.xxiv	A	Non.	5	Agathæ, Catan. Virg. & Mart. *Semiduplex.* An. 251. *In Quadrag. ſola Comm.*
xxiij	b	viij	6	Amandi, Trajectenſis Epiſc. *Semiduplex.* An. 679. *In Quadrag. ſola comm.*
xxij	c	vij	7	
xxj	d	vj	8	
xx	e	v	9	
xix	f	iv	10	
xviij	g	iij	11	
xvij	A	Prid.	12	
xvj	b	Idib.	13	
xv	c	xvj	14	
xiv	d	xv	15	
xiij	e	xiv	16	
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	*Ultima Septuageſima hâc die 21.*
vij	d	viij	22	
vj	e	vij	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno Biſſextili.*

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Menſis.*		FEBRUARIUS.
v	f	vj	24	Matthiæ, Apoſtoli. *Duplex majus.* I. S.
iv	g	v	25	*In anno Biſſextili.*
				Si Feſtum S. Matthiæ venerit in Quadrageſima, anticipatur in Feriam iij. *poſt Dom. in Quinquag.*
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	
j	c	Prid.	28	

In anno Biſſextili, Februarius eſt dierum 29. & Feſtum S. Matthiæ celebratur 25. Febr. & bis dicitur: Sexto Calendas, id eſt, die 24. & die 25. & Littera Dominicalis, quæ aſſumpta fuit menſe Januario, mutatur in præcedentem. Si in Januario Littera Dominicalis fuerit A, *mutatur in præcedentem, quæ eſt* g; *& littera* f, *bis ſervit, 24. & 25.*

De Simplicibus fit tantùm Commemoratio poſt Septuageſimam: De Semiduplicibus fit etiam ſola Commemoratio poſt Feriam IV. Cinerum.

Si Feſtum Patroni alicujus Eccleſiæ venerit in Quadrageſima, de eo fit proprio die, niſi dies ille impeditus ſit, tunc enim transfertur in Feriam ſequentem non impeditam: cæterùm de eo non fit Octava: nullam enim Octavam admittit tempus Quadrageſimale.

MARTIUS.

*	d	Kal.	1	Albini, Andegavenſ. Epiſc. *Semiduplex.* An. 549. In *Quadr. Sola Comm.*

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Menſis.*		MARTIUS.
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	Guingaloëi, Teveneceñſis Abbatis, in territ. Coriſopit. *Semiduplex.* C. an. 532. *In Quadr. Sola Comm.*
xxvij	g	iv	4	
xxvj	A	iij	5	
25. xxv	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	Perpetuæ & Felicitatis, Carthag. Martyr. *Commem.* C. an. 203.
xxiij	d	viij	8	*Primum Novilunium Paſchale hâc die 8.*
xxij	e	vij	9	
xxj	f	vj	10	*Ultima Sedes Cinerum hâc die 10.*
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	Pauli, primi Leonenſ. in Arem. Epiſcopi. *Commem.* An. 573. vel 579.
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	Patricii, Epiſcopi, Hybern. Apoſt. *Commem.* An. 460.
xiij	g	xv	18	Alexandri, Hieroſolym. Epiſc. & Mart. *Comm.* C. an. 251.
xij	A	xiv	19	
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	
ix	d	xj	22	*Primum Paſcha hâc die 22.*
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	*ANNUNTIATIO ET INCARNATIO DOMINI. Solemne majus. Feſtivatur etiamſi transferri contingat.*
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	

Cyclus Epaſt.	*Litt. Dom.*	*Dies Menſis.*		MARTIUS.
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	

Feriâ ſextâ poſt Dominicam Paſſionis, fit Officium de Compaſſione B. M. V. Duplex majus.

APRILIS.

xxix	g	Kal.	1	
xxviij	A	iv	2	Franciſci de Paula, Inſtitut. Ordin. Minimorum. *Semiduplex.* An. 1507. *In Quadr. ſola Comm.*
xxvij	b	iij	3	Juſtini, Philoſophi & Martyr. *Semiduplex.* An. 167. *In Quadr. ſola Commem.*
25. xxvj	c	Prid.	4	
xxv.xxiv	d	Non.	5	*Ultimum Novilunium Paſchale hâc die 5.*
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	
xv	f	xviij	14	
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	Paterni, primi Venetenſis in Arem. Epiſc. *Semiduplex.* C. an. 448. *Translatio hâc die. In Quadr. ſola Comm.*
xij	b	xv	17	
xj	c	xiv	18	
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	
viij	*f*	*xj*	*21*	

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Menſis.*		APRILIS.
vij	g	x	22	
vj	A	ix	23	Georgii, Mart. in Oriente. *Simplex.* C. an. 303.
v	b	viij	24	
iv	c	vij	25	Marci, Evangeliſtæ. *Duplex majus.* C. an. 68. *Ultimum Paſcha hâc die 25.*
iij	d	vj	26	Cleti ſeu Anacleti, Papæ & Mart. *Simplex.* C. an. 91.
ij	e	v	27	
j	f	iv	28	Polycarpi, Smyrn. Epiſc. & Mart. (è 26. *Mart.*) *Semiduplex.* An. 169.
*	g	iij	29	Mariæ Ægyptiæ, Pœnitentis. (è 1.) *Semiduplex.* V. vel. VI. S.
xxix	A	Prid.	30	Eutropii, Santon. Epiſc. & Mart. *Semiduplex.* III. S.

MAIUS.

xxviij	b	Kal.	1	Philippi & Jacobi, (Alphæi) Apoſt. *Duplex majus.* I. S.
xxvij	c	vj	2	Athanaſii, Alexandr. Epiſc. & Eccl. Doct. *Duplex minus.* An. 373.
xxvj	d	v	3	Inventio S. Crucis. *Duplex majus.* An 326.
25. xxv	e	iv	4	Brioci, civitatis ejus nomine donatæ in Arem. Primi Epiſ. (è 1.) *Semiduplex.* C. an. 502.
xxiv	f	iij	5	
xxiij	g	Prid.	6	Joannis, Apoſt. & Evang. ante Portam Latin. *Semiduplex.* C. an. 55.
xxij	A	Non.	7	
xxj	*b*	viij	8	

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Menſis.*		MAIUS.
xx	c	vij	9	Gregorii Nazianzeni, Conſtantinop. Epiſc. & Eccl. Doct. *Duplex minus.* An. 391.
xix	d	vj	10	*Prima Pentecoſte hâc die 10.*
xviij	e	v	11	Gildaſii, Rhuvigienſis Abb. in territ. Venet. *Semiduplex.* C. fin VI. S. (è 29 *Jan.*) *Translat. hâc die.*
xvij	f	iv	12	
xvj	g	iij	13	Mamerti, Viennenſ. Epiſcopi. *Semiduplex.* C. an. 476.
xv	A	Prid.	14	
xiv	b	Idib.	15	
xiij	c	xvij	16	
xij	d	xvj	17	Joannis Nepomuceni, Eccleſ. Prag. Presbyt. Canon. & Mart. *Semiduplex.* An. 1383.
xj	e	xv	18	
x	f	xiv	19	Yvonis, Presbyt. Trecor. *Semiduplex.* An. 1303.
ix	g	xiij	20	
viij	A	xij	21	
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	DONATIANI ET ROGATIANI, NANNET. MART. *Solemne majus.* An. 288, vel 289.
iv	e	viij	25	
iij	f	vij	26	
ij	g	vj	27	
j	A	v	28	
*	b	iv	29	
xxix	c	iij	30	
xxviij	d	Prid.	31	
				JUNIUS.
xxvij	e	Kal.	1	
25.xxvj	f	iv	2	Pothini, Lugd. Epiſc. & Soc. Mart. *Semiduplex.* An. 177.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		JUNIUS.
xxv.xxiv	g	iij	3	Clotildis, Francorum Reginæ & Viduæ. *Semiduplex.* C. med. VI. S.
xxiij	A	Prid.	4	Marcellini & Petri, Rom. Mart. (è 2.) *Simplex.* An. 304.
xxij	b	Non.	5	Vincentii Ferrerii, è Familia Prædicat. Presbyt. (è 5. *April.*) *Duplex minus.* An. 1419. *Tranſlat. hâc die.* An. 1456.
xxj	c	viij	6	Norberti, Magdeburg. Epiſc. *Semiduplex.* An. 1134.
xx	d	vij	7	Mereadoci, Venetenſ. in Arem. Epiſc. *Simplex.* Init. VII. S.
xix	e	vj	8	Medardi, Noviom. Epiſc. *Simplex.* C. an. 545.
xviij	f	v	9	
xvij	g	iv	10	
xvj	A	iij	11	Barnabæ, Gentium Apoſt. *Duplex minus.* C. fin. I. S.
xv	b	Prid.	12	
xiv	c	Idib.	13	*Ultima Pentecoſte hâc die 13.*
xiij	d	xviij	14	
xij	e	xvij	15	
xj	f	xvj	16	Similiani, Nannet. Epiſc. *Semiduplex.* IV. S.
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	Hervæi, Monachi, in territ. Leonenſi. *Simplex.* VI. S.
viij	b	xiij	19	Gervaſii & Protaſii, Mediol. Mart. *Simplex.* I. vel II. S.
vij	c	xij	20	
vj	d	xj	21	Mevenni, Galeacenſ. Abb. in terr. Maclov. *Semidup.* An. 617.
v	e	x	22	Paulini, Nolani Epiſc. *Semiduplex.* An. 431.
iv	f	ix	23	Vigil. S. Joannis Bapt. *cum jeju.*
iij	g	viij	24	NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ. *Solemne minus.*
ij	A	vij	25	Gohardi, Nannet. Epiſ. & Mart. & Socior. Mart. (è 24.) *Duplex minus.* An. 843.
j	b	vj	26	Joannis & Pauli, Rom. Martyr. *Simplex.* An. 363.
*	c	v	27	Irenæi, Lugd. Epiſc. & Eccl.

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Menſis.*		JUNIUS.
				Doct. & Socior. Mart. (*è die ſeq.*) *Semiduplex.* C. an. 202.
xxix	d	iv	28	Vigilia SS. Apoſt. Petri & Pauli, *cum jejunio.*
xxviij	e	iij	29	*SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI. Annuale.* An. 67.
xxvij	f	Prid.	30	Commemoratio S. Pauli, Apoſtoli. *Duplex majus.*

JULIUS.

xxvj	g	Kal.	1	De Octava SS. Petri & Pauli.
25. xxv	A	vj	2	Viſitatio Beatæ Mariæ Virg. *Duplex majus.* *Commem.* de Octava SS. Petri & Pauli.
xxiv	b	v	3	De Octava SS. Petri & Pauli.
xxiij	c	iv	4	De Octava SS. Petri & Pauli.
xxij	d	iij	5	De Octava SS. Petri & Pauli.
xxj	e	Prid.	6	Octava SS. Apoſt. Petri & Pauli, & Feſtum omnium Sanctorum qui vixerunt ante Chriſtum. *Duplex majus.*
xx	f	Non.	7	Felicis, Nannetenſis Epiſcopi. (*è 8. Jan.*) *Duplex minus.* An. 583. *Translatio hâc die.* *Commem.* de S. Thoma, Cantuar. Ep. & Mart. An. 1170. (*è 29. Decemb.*) *Translatio hâc die. An.* 1221.
xix	g	viij	8	Martialis, Lemov. Epiſcopi, & Aquit. Apoſt. (*è* 30 *Jun.*) *Semiduplex.* III. S.
xviij	A	vij	9	
xvij	b	vj	10	Paſcharii, Nannetenſis Epiſc. *Semiduplex.* An. 649.
xvj	c	v	11	Benedicti, Caſſinenſ. Abb. (*è 21. Mart.*) *Semiduplex.* An. 543. *Translatio hâc die.* C. an. 653.
xv	d	iv	12	

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		JULIUS.
xiv	c	iij	13	Turiavi, Dolenſis in Aremorica Epiſc. *Simplex.* C. med. VIII. S.
xiij	f	Prid.	14	Bonaventuræ, Alban. Epiſc. & Doctor. *Semiduplex.* An. 1274.
xij	g	Idib.	15	
xj	A	xvij	16	
x	b	xvj	17	
ix	c	xv	18	Thomæ Aquinatis, è Famil. Prædicat. Doctoris. (è 7. *Mart.*) *Semiduplex.* An. 1254. *Canoniſ. hâc die, an.* 1323.
viij	d	xiv	19	Vincentii à Paulo, Presb. Inſtit. Congr. Miſſionis. (è 27. *Sept.*) *Duplex minus.* An. 1660.
vij	e	xiij	20	
vj	f	xij	21	
v	g	xj	22	Mariæ Magdalenes, *Duplex minus.* I. S.
iv	A	x	23	
iij	b	ix	24	
ij	c	viij	25	Jacobi, (Zebedæi) Apoſt. *Duplex majus.* An. 44.
j	d	vij	26	Joachim & Annæ, Parentum B. M. Virginis. *Duplex minus.*
*	e	vj	27	
xxix	f	v	28	Samſonis, primi Dolenſ. in Arem. Epiſc. *Semiduplex* C. an. 564.
xxviij	g	iv	29	Guillelmi, Briocenſ. in Arem. Epiſc. *Semiduplex.* An. 1234.
xxvij	A	iij	30	Ignatii Loyolæ, Presb. Inſtit. Soc. Jeſu. (è *die ſequenti.*) *Semiduplex.* An. 1556.
25.xxvj	b	Prid.	31	Germani, Autiſſiod. Epiſc. *Semiduplex.* An. 448.

AUGUSTUS.

xxv.xxiv	c	Kal.	1	Liberatio S. Petri Apoſtoli è

Cyclus

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		AUGUSTUS.
				carcere. *Dupl. maj.* An. 44.
xxiij	d	iv	2	Friardi, Solitarii in territ. Nannet. (*heri.*) *Simplex.* An. 577.
xxij	e	iij	3	Inventio Corporis S. Stephani, Protomart. *Semidup.* An. 415.
xxj	f	Prid.	4	Dominici, Presb. Inſtit. Ord. Prædicatorum. (*è 6.*) *Semiduplex.* An. 1221.
xx	g	Non.	5	
xix	A	viij	6	Transfiguratio Domini. *Duplex majus.* An. 32.
xviij	b	vij	7	Xyſti, Papæ & Mart. (*è 6.*) *Simplex.* An. 258.
xvij	c	vj	8	
xvj	d	v	9	
xv	e	iv	10	Laurentii, Rom. Diaconi & Mart. *Duplex maj.* An. 258.
xiv	f	iij	11	Claræ, Aſſiſ. Virg. primæ Clariſſ. Monial. Abbatiſſæ. *Semiduplex.* An. 1253.
xiij	g	Prid.	12	
xij	A	Idib.	13	Radegundis, Francorum Reg. Monial. apud Pict. & Viduæ. *Semiduplex.* An. 587.
xj	b	xix	14	Vigilia Aſſumptionis B. M. V. *cum jejunio.*
x	c	xviij	15	*ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS. Solem. maj.* I. S.
ix	d	xvij	16	Rochi, Laïci apud Montem-Peſſulan. *Duplex minus.* An. 1327. *Commem.* de Oct. Aſſumpt. B. M. V.
viij	e	xvj	17	} De Octava Aſſumpt. B. M. V.
vij	f	xv	18	}
vj	g	xiv	19	}
v	A	xiij	20	Bernardi, Claravall. Abb. & Eccl. Doct. *Duplex minus.* An. 1153. *Comm.* de Oct. Aſſump. B. M. V.
iv	b	xij	21	De Octava Aſſumpt. B. M. V.
iij	c	xj	22	Octava Aſſumpt. B. M. V. & Comm. Voti Ludovici XIII. An. 1638. *Duplex minus.*

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Menſis.*		AUGUSTUS.
ij	d	x	23	Joannæ-Franciſcæ Fremiot de Chantal, Viduæ, Monial. Viſit. B. M. V. Inſtitutricis. (*è* 13. *Decemb.*) *Semiduplex.* An. 1641.
j	e	ix	24	Bartholomæi, Apoſt. *Duplex majus.* I. S.
*	f	viij	25	Ludovici IX. Regis Franciæ. *Duplex majus.* An. 1270.
xxix	g	vij	26	
xxviij	A	vj	27	Cæſarii, Arelat. Epiſc. & Eccl. Doct. *Semiduplex.* An. 542.
xxvij	b	v	28	Auguſtini, Hippon. Epiſc. & Eccl. Doct. *Duplex minus.* An. 430.
xxvj	c	iv	29	Decollatio S. Joannis Baptiſtæ. *Semiduplex.* An. 28. *vel* 32.
25. xxv	d	iij	30	
xxiv	e	Prid.	31	Victoris, Solitarii in territ. Nannet. *Smplex.* V. *vel* VI. S.

SEPTEMBER.

xxiij	f	Kal.	1	
xxij	g	iv	2	Lazari, à Chriſto ſuſcitati, Marthæ & Mariæ, ſororum ejus. *Semiduplex.* I. S.
xxj	A	iij	3	Gregorii Magni, Papæ & Eccl. Doct. (*è* 12. *Mart.*) *Duplex minus.* An. 604. *Ordinatio hâc die. An.* 590.
xx	b	Prid.	4	
xix	c	Non.	5	
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	Clodoaldi, Presbyteri in territ. Pariſienſi. *Simplex.* An. 568.
xvj	f	vj	8	NATIVITAS B. MARIÆ VIRGINIS. *Solemne minus.*

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		SEPTEMBER.
xv	g	v	9	De Octava Nativit. B. M. V. (9–12)
xiv	A	iv	10	
xiij	b	iij	11	
xij	c	Prid.	12	
xj	d	Idib.	13	De Octava Nativit. B. M. V. *Commem.* de S. Cornelio, Papa & Mart. (*è die ſequenti.*) An. 252.
x	e	xviij	14	Exaltatio S. Crucis. *Duplex majus.* An. 629. *Commem.* de Oct. Nativit. B. M. V.
ix	f	xvij	15	Octava Nativit. B. Mariæ Virg. *Semiduplex.*
viij	g	xvj	16	Joannis Chryſoſtomi, Conſtantin. Epiſc. & Eccl. Doct. (*è* 14.) *Duplex minus.* An. 407.
vij	A	xv	17	Cypriani. Carth. Epiſc. Eccl. Doct. & Mart. (*è* 14.) *Semiduplex.* An. 258.
vj	b	xiv	18	
v	c	xiij	19	
iv	d	xij	20	
iij	e	xj	21	Matthæi, Apoſtoli & Evangel. *Duplex majus.* I. S. *De S. Matthæo fit Feriâ quintâ Quatuor Temporum hujus menſis.*
ij	f	x	22	Mauricii & Socior. Mart. *Semiduplex.* An. 286.
j	g	ix	23	Theclæ, Virg. & Proto-Martyris. *Semiduplex.* C. fin. I. S.
*	A	viij	24	
xxix	b	vij	25	
xxviij	c	vj	26	
xxvij	d	v	27	Coſmæ & Damiani, Mart. *Semiduplex.* III. vel IV. S.
25.xxvj	e	iv	28	
xxv.xxiv	f	iij	29	Michaëlis, Archang. & omn. SS. Angel. *Duplex majus.*

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		OCTOBER.
xxiiij	g	Prid.	30	ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS ECCLESIÆ CATHEDRALIS. *Solemne majus.*
				Celebratur eodem ritu & eâdem die in omnibus aliis Diœceſis Eccleſiis, ſive propriam habeant. Dedicationem, ſive non habeant. Et inſuper, quæ proprium & notum Dedicationis diem habent, ejus Anniverſarium eodem ritu celebrant, Dominicâ poſt illum diem proximâ, niſi impedita fuerit; alioquin Dominicâ ſequente.

OCTOBER.

xxij	A	Kal.	1	De Octava Anniverſ. Dedicat. *Comm.* de S. Remigio, Rem. Epiſc. & Francor. Apoſt. (*è* 13. *Jan.*) C. an. 533 *Translatio hâc die*, ante an. 585.
xxj	b	vj	2	Angelorum Cuſtodum. *Duplex minus.* *Comm.* de Oct. Anniverſ. Dedic.
xx	c	v	3	De Oct. Anniv. Dedic. *Comm.* de S. Leodegario, Auguſt. Epiſc. & Mart. (*è* 2.) An. 678.
xix	d	iv	4	De Oct. Anniv. Ded. *Comm.* de S. Franciſco Aſſiſinate, Cœnob. Inſtit. Ord. Minorum. An. 1226.
xviij	e	iij	5	De Octav. Anniverſ. Ded.
xvij	f	Prid.	6	De Octav. Anniv. Dedic. *Comm.* de S. Brunone Monacho, Ord. Carthuſ. Inſtit. An. 1101.
xvj	g	Non.	7	Octava Anniverſ. Dedicat. Eccleſiæ Cathed. *Duplex majus.*

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Menſis.*		OCTOBER.
xv	A	viij	8	Hieronymi, Stridon. Presbyt. & Eccleſiæ Doct. (è 30. *Sept.*) *Duplex minus.* An. 420.
xiv	b	vij	9	Dionyſii, primi Pariſienſ. Epiſc. & Socior. Mart. *Semiduplex.* An. 275. vel 286.
xiij	c	vj	10	CLARI, PRIMI NANNETENSIS EPISCOPI, ET NANNET. APOSTOLI. *Solemne majus.* C. fin. III. S.
xij	d	v	11	De Oct. S. Clari.
xj	e	iv	12	De Oct. S. Clari.
x	f	iij	13	De Oct. S. Clari.
ix	g	Prid.	14	De Oct. S. Clari.
viij	A	Idib.	15	De Oct. S. Clari. *Comm.* de S. Thereſia, Abul. Virg. Inſtauratrice Ord. Carmel. An. 1582.
vij	b	xvij	16	Translatio Reliquiarum SS. Donatiani & Rogatiani, Nannet. Mart. *Dupl. majus.* An. 1145. *Comm.* de Oct. S. Clari.
vj	c	xvj	17	Octava S. Clari, Nannet. Epiſc. *Duplex minus.*
v	d	xv	18	Lucæ, Evang. *Dupl. majus.* I. S.
iv	e	xiv	19	
iij	f	xiij	20	
ij	g	xij	21	
j	A	xj	22	
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	Martini, Abb. Vertan. in territ. Nannet. *Semiduplex.* An. 601.
xxviij	d	viij	25	Criſpini & Criſpiniani, Sueſſionenſ. Mart. *Simplex.* An. 288.
xxvij	e	vij	26	Maglorii, Dolenſis in Arem. Epiſcopi. (è 24.) *Simplex.* An. 585.
xxvj	f	vj	27	
25. xxv	g	v	28	Simonis & Judæ, Apoſt. *Duplex majus.* I. S.
xxiv	A	iv	29	
xxiij	*b*	*iij*	30	
xxij	*c*	*Prid.*	31	Vigilia omn. Sanct. cum jejun.

NOVEMBER.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		NOVEMBER.
xxj	d	Kal.	1	*OMNIUM SANCTORUM. Solemne majus. Inſt. c. an. 835.*
xx	e	iv	2	COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM. *Solemne minus. Inſt.* an. 998.
xix	f	iij	3	
xviij	g	Prid.	4	
xvij	A	Non.	5	De Octav. omn. Sanct.
xvj	b	viij	6	
xv	c	vij	7	
xiv	d	vj	8	Octava omnium Sanctorum, & Veneratio omnium ſanctarum Reliquiarum Eccleſiæ & Diœceſis Nannetenſis. *Duplex minus.*
xiij	e	v	9	Caroli Borromæi, Mediol. Epiſc. (*è* 3.) *Duplex minus.* An. 1584.
xij	f	iv	10	Leonis Magni, Papæ & Eccl. Doct. *Semiduplex.* An. 461.
xj	g	iij	11	Martini, Turonenſis Epiſc. *Duplex majus.* An. 397.
x	A	Prid.	12	Melanii, Rhedonenſis in Arem. Epiſc. (*è 6.*) *Simplex.* An. 530.
ix	b	Idib.	13	Leonardi, Solitar. in territ. Lemovicenſi, (*è 6.*) *Simplex.* An. 559.
viij	c	xviij	14	
vij	d	xvij	15	Maclovii, primi Alethenſis in Arem. Epiſc. *Semiduplex.* C. ſin. VI. S.
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorii, Turonenſis Epiſc. *Semiduplex.* An. 595.
iv	g	xiv	18	
iij	A	xiij	19	Eliſabeth, Viduæ. *Simplex.* An. 1231.
ij	b	xij	20	

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		NOVEMBER.
j	c	xj	21	Præſentatio B. Mariæ Virginis. *Duplex minus.*
*	d	x	22	Cæciliæ, Virg. & Mart. *Simplex.* II. vel III. S.
xxix	e	ix	23	Clementis, Papæ & Mart. *Simplex*, An. 100.
xxviij	f	viij	24	Chryſogoni, Martyris. *Simplex.* An. 304.
xxvij	g	vij	25	Catharinæ, Virg. & Martyris. *Simplex.*
25.xxvj	A	vj	26	Lini, Papæ & Mart. *Simplex.* C. an. 79.
xxv xxiv	b	v	27	Hermelandi, Abb. Antricinenſis, in territ. Nannet. (è 25.) *Semiduplex.* C. init. VIII. S. *Prima ſedes Dominicæ primæ Adventûs Domini hâc die 27.*
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	Saturnini, Toloſ. Epiſc. & Mart. *Semiduplex.* III. S.
xxj	e	Prid.	30	Andreæ, Apoſtoli. *Duplex majus.* I. S.

DECEMBER.

xx	f	Kal.	1	Eligii, Noviom. Epiſc. (è 30. *Nov.*) *Semiduplex.* An. 659.
xix	g	iv	2	Franciſci Xaverii, Presb. Indiar. Apoſt. *Semiduplex.* An. 1552.
xviij	A	iij	3	Tudwali, Trecor. in Arem. Epiſc. *Commemoratio.* Poſt. med. VI. S. *Ultima ſedes Dominicæ primæ Adventûs Domini hâc die 3.*

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Menſis.*		DECEMBER.
xvij	b	Prid.	4	
xvj	c	Non.	5	
xv	d	viij	6	Nicolai, Mir. in Lycia Epiſc. *Semiduplex.* IV. S.
xiv	e	vij	7	Ambroſii, Mediol. Epiſc. & Eccl. Doct. (è 4. *April.*) *Duplex minus.* An. 397. *Ordinatio hâc die.* An. 374.
xiij	f	vj	8	CONCEPTIO B. MARIÆ VIRGINIS. *Solemne minus. Feſtivatur etiamſi tranſferri contingat.*
xij	g	v	9	
xj	A	iv	10	
x	b	iij	11	Judoci, Preſbyt. Nannet. (è 13.) *Semiduplex.* C. an. 669.
ix	c	Prid.	12	Corentini, primi Cornubienſis in Arem. Epiſc. *Semiduplex.* VI. S.
viij	d	Idib.	13	Luciæ, Syracuſ. Virg. & Mart. *Semiduplex.* An. 304. vel 305.
vij	e	xix	14	Gatiani, primi Turonenſis Epiſcopi, & Turonenſ. Apoſt. (è 18.) *Duplex minus.* C. fin. III. S.
vj	f	xviij	15	
v	g	xvij	16	
iv	A	xvj	17	
iij	b	xv	18	
ij	c	xiv	19	
j	d	xiij	20	
*	e	xij	21	Thomæ, Apoſt. *Duplex majus.* I. S. *De S. Thoma fit Feriâ quintâ Quatuor Temporum hujus menſis.*
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia Natalis Domini, *cum jejunio.*
xxvj	b	viij	25	*NATALE DOMINI. Annuale.*
25. xxv	c	vij	26	STEPHANI, PROTOMARTYRIS. *Solemne minus,* C. an. 33. *Comm.* de Octava. Natal. Dom.

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Menſis.*		DECEMBER.
xxiv	d	vj	27	JOANNIS, APOSTOLI ET EVANGELISTÆ. *Solemne minus.* An. 100. vel 104. *Comm.* de Octava Natalis Dom.
xxiij	e	v	28	Sanctorum Innocentium, Mart. *Duplex majus.* I. S. *Comm.* de Octava Natalis Dom.
xxij	f	iv	29	De Octava Natalis Domini.
xxj	g	iij	30	De Octava Natalis Domini.
* 19. xx	A	Prid.		De Octava Natalis Domini. *Commem.* de S. Sylveſtro, Papa. An. 335.

* Hæc Epacta 19. nunquam eſt in uſu, niſi concurrat cum Aureo Numero xix.

TABULA

Continens Officiorum gradûs & diverſitatem.

ANNUALE.
SOLEMNE MAJUS.
SOLEMNE MINUS.
DUPLEX MAJUS.
Duplex minus.
Semiduplex.
Simplex.
Feriale.

ANNUALIA.

Natale Domini.
Paſcha.
Pentecoſte.
Natale SS. Apoſt. Petri & Pauli.
In unaquaque Eccleſia celebratur ſub ritu Annuali Feſtum principale Patroni primarii. Item ſi contingat conſecrari Eccleſiam, ipſa dies Conſecrationis ſeu Dedicationis, erit Feſtum Annuale.

SOLEMNIA MAJORA.

Epiphania Domini.
Præſentatio Domini, quæ & Purificatio beatæ Mariæ Virginis nuncupatur.
Annuntiatio & Incarnatio Domini.
Feſtum Sanctorum Donatiani & Rogatiani, Nannetenſium Martyrum.
Aſcenſio Domini.
Feſtum SS. Trinitatis.
Solemnitas SS. Euchariſtiæ.
Aſſumptio beatæ Mariæ Virginis.
Feſtum S. Clari, primi Nannetenſis Epiſcopi, & Nannetenſium Apoſtoli.
Feſtum omnium Sanctorum.
Anniverſarius dies Dedicationis Eccleſiæ.

SOLEMNIA MINORA.

Conceptio B. M. Virginis.
Natale S. Stephani Proto-Martyris.
Feſtum S. Joannis Evangel.
Circumciſio Domini.
Nativitas S. Joannis Baptiſtæ.
Nativitas B. Mariæ Virginis.
Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum.

DUPLICIA MAJORA.

Dominicæ omnes per annum.
Dies Octava omnium Annualium, itémque Solemnium majórum Domini.
Natalitia XII. Apoſtolorum, & Evangeliſtarum.
Feſtum SS. Innocentium.
Pontificatûs, ſeu Cathedræ S. Petri Apoſtoli.
Converſionis S. Pauli Apoſt.
Compaſſionis B. M. Virginis.
Inventionis S. Crucis.
Commemorationis S. Pauli Apoſtoli.
Viſitationis B. Mariæ Virg.
Omnium Sanctorum qui vixerunt ante Chriſtum.
Liberationis S. Petri è carcere.

Transfigurationis Domini.
S. Laurentii.
S. Ludovici.
Exaltationis S. Crucis.
S. Michaëlis Archangeli, & omnium SS. Angelorum.
Translatio Reliquiarum SS. Donatiani & Rogatiani, Nannetenſium Martyrum.
S. Martini, Turonenſis Epiſc.

DOMINICÆ
PRIVILEGIATÆ
I. Claſſis,

Quæ nunquam omittuntur.

Prima Adventûs.
Prima in Quadrageſima.
In Paſſione.
Palmarum.
Paſchæ.
Domini.
In Albis Depoſitis.
Pentecoſtes.
Prima poſt Pentecoſten, in qua fit Officium de SS. Trinitate.

DOMINICÆ
PRIVILEGIATÆ
II. Claſſis,

Quæ admittunt Solemnia majóra & ſuprà.

Secunda Adventûs.
Tertia, Quarta } Adventûs.
Dominicæ in { Septuageſima. Sexageſima. Quinquageſima.
Secunda, Tertia, Quarta } in Quadrageſima.

DOMINICÆ
III. Claſſis,

In quibus non fit niſi de Duplicibus majoribus Domini, & Solemnibus minoribus quibuſcumque, aut ſuprà.

Reliquæ Dominicæ per annum.

FERIÆ MAJORES
PRIVILEGIATÆ,

Quæ nunquam omittuntur.

Vigilia Natalis Domini.
Feria IV. Cinerum.
Feriæ Majoris Hebdomadæ.
Feriæ intra Hebdomadam Paſchæ.
Vigilia Pentecoſtes.
Feriæ intra Hebdomadam Pentecoſtes.

RUBRICÆ GENERALES
BREVIARII.

Rubricæ in tres partes dividuntur.

In I. agitur de Officio in genere.

In II. de Horis Officii.

In III. de Horarum partibus.

PARS PRIMA.
De Officio in genere.

Officium quotidie fit, aut Annuale, aut Solemne majus, aut Solemne minus, aut Duplex majus, aut Duplex minus, aut Semiduplex, aut Simplex. Et ſub his gradibus comprehenduntur Officia de Feſto, de Dominica, de Feria, de Vigilia, de Octava, de Beata Maria in Sabbato. Quia verò diverſorum graduum Officia poſſunt eodem die vel occurrere, vel concurrere, dicitur etiam in hac prima parte, de Commemorationibus, Occurrentia, Tranſlatione, & Concurrentia Officiorum.

CAPUT I.
De Officio Annuali.

1. De Annuali fit totum Officium, à primis Veſperis uſque ad Completorium diei incluſivè, niſi *aliter fieri debeat*, propter *concurrentiam Officiorum*, *de qua infrà, Cap. XV.*

2. *In primis Veſperis*, excepto Feſto Paſchæ, Pſalmi Feriales dicuntur, cœtera omnia propria ſunt, & terminantur Oratione propriâ, diſtinctâ ab ea quæ concludit alias Horas. Poſt Capitulum, dicitur ℟. proprium, quod reſumitur integrum poſt ℣. *Gloria Patri.* Si facienda ſit Commemoratio, fit poſt ℣. *Benedicamus.*

3. Completorium habet etiam Pſalmos Feriales, cum duabus Antiphonis, (unâ ſcilicet ad Pſalmos, alterâ ad Canticum, *Nunc dimittis*,) & Capitulo propriis. Cœtera omnia quandoque propria ſunt, quandoque ſumuntur è Pſalterio, ut in ſuis locis notatur.

4. Officium noctis, extra Tempus Paſchale, habet tres Nocturnos: Tempore verò Paſchali unum duntaxàt.

5. Ante Pſalmum, *Venite*, Invitatorium bis dicitur, & poſt quemlibet ℣. Pſalmi, integrum repetitur; poſt ℣. *Gloria*, & *Sicut erat*, repetitur à medio, quod deſignatur per aſteriſcum *, & poſteà adhuc integrè dicitur.

6. In Nocturnis, Pſalmi proprii deſignantur. Antiphonæ, Verſiculi, Lectio-

nes & Reſponſoria ſunt pariter propria. Ad Reſponſoria quælibet, dicitur ℣. *Gloria Patri*. Et in fine cujuſque Nocturni, poſt dictum ℣. *Gloria Patri*, reſumitur ex integro ℟. uſque ad ℣. excluſivè; & ſemper dicitur, *Te Deum*.

7. Ad Laudes Matutinas, Pſalmi de Dominica. Cœtera omnia propria ſunt.

8. Ad Primam, Pſalmi de Dominica, cum Antiphona, Capitulo & Canone propriis. Cœtera omnia, ut in Pſalterio, vel Proprio de Tempore.

9. Ad Tertiam, Sextam & Nonam, Pſalmi de Dominica. Cœtera omnia propria ſunt, exceptâ Oratione, quæ deſumitur ex Laudibus Matutinis. In ℟℟. brevibus, præterquàm à Septuageſima ad Paſcha, adduntur duo *Alleluia*.

10. Ad ſecundas Veſperas, omnia propria ſunt, exceptâ Oratione quæ deſumitur è Laudibus Matutinis.

11. Ad Completorium, Pſalmi de Dominica. Cœtera, ut poſt I. Veſperas.

CAPUT II.

De Officio Solemni majori.

OFficium Solemne majus, ſive ſit Domini, ſive non Domini, fit ut Annuale; excepto quòd ad Primam, Tertiam, Sextam & Nonam, non habentur Antiphonæ *propriæ; ſed reſumuntur quæ dictæ ſunt ad Laudes, demptâ quartâ.*

CAPUT III.

De Officio Solemni minori.

1. OFficium Solemne minus, ſi ſit Domini, aut B. Mariæ Virginis, fit ut Solemne majus, exceptis quæ ſequuntur. In I. Veſperis dicitur Oratio quæ habetur ad Laudes. Lectiones I. Nocturni ſumuntur è Scriptura occurrente. Non dicitur ℣. *Gloria Patri*, niſì in ultimo Reſponſorio cujuſque Nocturni.

2. Si Feſtum nec ſit Domini, nec B. Mariæ Virginis, omnia fiunt ut ſuprà; ſed Pſalmi ad omnes horas ſumuntur de Feria.

CAPUT IV.

De Officio Duplici majori.

1. OFficium Duplex majus fit ut Solemne minus, exceptis ſequentibus.

2. In omnibus Horis ſemper dicuntur Pſalmi de Feria.

3. Nunquam reſumitur Reſponſorium poſt ℣. *Gloria Patri*; ſed fit tantùm Reclamatio. Excipitur tamen Reſponſorium ultimum Dominicarum & Feſtorum in quibus non dicitur, *Te Deum*.

4. Invitatorium non reſumitur integrum, niſì alternis Verſibus Pſalmi *Venite*, id eſt, poſt I. III. & V. Poſt II. verò & IV. fit tantùm Reclamatio, * *Venite, adoremus*.

5. In Reſponſoriis brevibus Horarum, extra Tempus Paſchale, non dicitur *Alleluia*.

Caput V.

De Officio Duplici minori.

1. Ad utraſque Veſperas & Completorium Officii Duplicis minoris, omnia fiunt ut in Duplicibus majoribus, excepto quòd in I. Veſperis non habetur Reſponſorium.

2. Extra Tempus Paſchale, dicuntur novem Pſalmi de Feria, ſub tribus Antiphonis, id eſt, tres Pſalmi ſub unaquaque Antiphona, tum Verſiculus, deinde tres Lectiones, cum tribus Reſponſoriis. I. Lectio conſtat tribus de Scriptura occurrente ſimul junctis; II. propria eſt, itémque III. quæ continet initium Evangelii diei cum Homilia.

3. Antiphonæ, Verſiculus, & Reſponſoria ſumuntur de Proprio, vel, ſi deſit, de Communi Sanctorum, hoc ordine, Feriâ II. & V. è I. Nocturno; Feriâ III. & VI. è II. Nocturno; Feriâ IV. & Sabbato, è III. Nocturno.

4. Tempore Paſchali conſtat Nocturnum unicum tribus Pſalmis, qui dicuntur ſecundùm Feriam, ut notatur in Proprio de Tempore, ſub tribus Antiphonis.

5. Cœtera omnia fiunt, ut in Duplicibus majoribus.

Caput VI.

De Officio Semiduplici.

1. Officium Semiduplex fit ut Duplex minus, *exceptis* ſequentibus.

2. *Poſt ſingulos Verſus Pſalmi, Venite*, non repetitur Invitatorium, ſed fit tantùm Reclamatio, * *Venite, adoremus.*

3. Non legitur Evangeliũ nec Homilia; ſed Lectiones dicuntur hoc modo. Duæ priores de Scriptura occurrente, ità ut II. & III. dictæ Scripturæ in unã jungantur; tertia autẽ propria eſt Feſto.

Caput VII.

De Officio Simplici.

1. Officium Simplex fit ut Semiduplex, exceptis ſequentibus.

2. Non habet I. Veſperas integras; ſed incipiunt à Capitulo.

3. Ad Laudes, Pſalmi dicuntur ſub una Antiphona, quæ eſt quarta de Laudibus in Communi, niſi habeatur propria.

4. Officium Simplex terminatur ad Nonam.

Caput VIII.

De Officio Dominicarum.

1. Dominicæ omnes in tres claſſes diſtribuuntur.

2. Ad I. Claſſem pertinent Dominica I. Adventûs, I. Quadrageſimæ, Paſſionis, Palmarum, Paſchæ, I. poſt Paſcha, Pentecoſtes, & I. poſt Pentecoſten.

3. Quodlibet Feſtum in ſupradictis Dominicis occurrens, vel anticipatur, vel transfertur, vel de eo fit ſola Commemoratio, vel omninò omittitur.

4. Ad II. claſſem reducuntur Dominicæ II. III & IV. Adventûs & Quadrageſimæ.

itèm & quæ dicuntur in Septuageſima, Sexageſima & Quinquageſima.

5. In ſupradictis Dominicis, non fit niſi de Feſto Annuali, aut Solemni majori.

6. Dominicæ aliæ omnes ad III. claſſem revocantur.

7. Admittunt Duplicia majora Domini, & omnia Feſta ſuperioris gradûs, etiamſi non ſint Domini, præſertim Feſtum principale Patroni primarii. Excludunt autem alia quæcumque Duplicia; imò & omnia Feſta quæ ex devotione, fundatione, confraternitate, aut alia populari inſtitutione, alium à nativo ſuo ritu mutuari poſſunt. Unde ſi in Dominica ejuſmodi Feſta occurrant, transferri debent, niſi aliud à DD. Epiſcopo propter graviſſimas cauſas fuerit ordinatum.

8. Officium Dominicæ nec transfertur, nec anticipatur, niſi in caſibus infrà notatis. *Cap. XIV. n. 4.*

9. Semper fit ritu Duplici majori, niſi aliter notetur; excepto quòd, in I. Veſperis, non habet Reſponſorium, niſi ſit I. claſſis.

10. In Dominicis, à I. Adventûs ad Præſentationẽ Domini, vel ad Septuageſimam, ſi Septuageſima venerit ante Præſentationem Domini; & à I. Quadrageſimæ ad Feſtum SS. Trinitatis, Officium ſumitur è Proprio de Tempore: in aliis autem *Dominicis, è Pſalterio. Excipiuntur tamen Lectiones*, Antiphonæ ad Cantica Evangelica, *Benedictus* & *Magnificat*, Oratio, & Canon, quæ omnia ſemper ſumuntur è Proprio de Tempore.

11. In omnibus Dominicis, exceptis tantùm Dominicis Paſchæ & Pentecoſtes, iis in quibus fit Officium de aliquo Feſto, nécnon & occurrentibus intra Octavas Feſtorum Domini, aut in Vigiliis Natalis & Epiphaniæ Domini, dicitur ad Primam Symbolum, *Quicumque*, itémque in Feſto SS. Trinitatis.

12. Si quid aliud Officio Dominicæ cujuſdam peculiare ſit, ſuo loco notabitur.

CAPUT IX.

De Officio Feriarum.

1. Officium Feriale incipit ubi definit Officium Feſti precedentis, & terminatur ubi Officium diei ſequentis incipit.

2. Officium noctis, extra Tempus Paſchale, conſtat Pſalmis novem ſub tribus Antiphonis, cum uno Verſiculo, tribus Lectionibus, & tribus Reſponſoriis, & non dicitur, *Te Deum.* Tempore verò Paſchali, dicuntur tantùm tres Pſalmi ſub una Antiphona, ut notatur in Proprio de Tempore, & dicitur, *Te Deum.*

3. A Præſentatione Domini ad Dominicam Paſſionis, dicuntur ad Laudes & ad Veſperas Suffragia de omnibus Sanctis. A Dominica in Albis Depoſitis ad Aſcenſionem,

Suffragia de Cruce; & à Dominica I. poſt Pentecoſten, ad Adventum, Suffragia de Cruce & de omnibus Sanctis. At in Officio Feriæ VI, omittitur, tum in Laudibus, tum in Veſperis, ſuffragium de Cruce.

4. In omni Officio Feriali, dicuntur ad Primam & Completorium Preces, ut habentur in Pſalterio. Excipiuntur Feriæ Temporis Paſchalis, Vigiliæ quædam, ut in ſuis locis notatur, & Feriæ à XV. Decembris ad Vigiliam Nativitatis Domini, in quibus licèt Preces dicantur ad Primam, non dicuntur ad Completorium. Si ſit Feria major, dicuntur ad omnes Horas Preces majores, flexis genibus, niſi aliter notetur. Excipiuntur tamen Feriæ majores Temporis Paſchalis; tunc enim nullæ dicuntur Preces.

5. Feriæ aliæ ſunt Majores, aliæ Minores, aliæ Privilegiatæ, aliæ non Privilegiatæ.

6. Feriæ Majores Privilegiatæ, ſunt, Vigilia Natalis Domini, Feria IV. Cinerum, Feriæ omnes à Dominica Palmarum, ad Dominicam in Albis Depoſitis, & à Vigilia Pentecoſtes incluſivè, ad Dominicam I. poſt Pentecoſten. Feriarum illarũ Officium nulli alii cedit, & ordinatur in propriis locis.

7. Feriæ Majores non Privilegiatæ, *ſunt Feriæ Adventûs, Quadrageſimæ,* Rogationũ, Quatuor Temporum, Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis, & Vigiliæ omnes tam in Proprio de Tempore, quàm in Proprio Sanctorum; ſive in eis jejunetur, ſive non. Hæ Feriæ cedunt Officio Semiduplici & ſuprà, ſi excipias tamen Vigiliam Epiphaniæ, in qua non fieret niſi de Feſto Solemni majori & ſuprà, & Ferias Quadrageſimæ, quæ admittunt tantùm Feſtum Incarnationis Domini, Feſtúmque principale Patroni primarii. De Feriis illis omnibus majoribus, ſi non fiat Officium, propter Feſtum occurrens quod poſſunt admittere, fit Commemoratio, ad Laudes, per Lectionem Evangelii cum Homilia, (ſi habeant,) Antiphonam ad *Benedictus*, Verſiculum, & Orationem; & ad Veſperas, per Antiphonam ad *Magnificat*, Verſiculum, & Orationem. De Feriis tamen Vigiliarum & Quatuor Temporũ nulla fit Commemoratio ad Veſperas.

8. Feriæ Minores Privilegiatæ, ſunt omnes Feriæ à Septuageſima, ad Feriam IV. Cinerum excluſivè. Cedunt Officio Semiduplici & ſuprà. Nulla fit de illis Commemoratio, ſi propter Feſtum aliquod occurrens omittantur; & in ipſis dicuntur tantùm Preces ordinariæ ad Primam & Completorium.

9. Feriæ Minores non Privilegiatæ, ſunt aliæ omnes

Feriæ per annum; & cedunt Feſto cuilibet etiã Simplici.

10. In Feriis Quadrageſimæ, Veſperæ dicuntur ante comeſtionem, etiamſi fiat de Feſto. In aliis jejuniis, Nona dicitur ante prandium, & Preces non dicuntur ad Veſperas, quia poſt Nonam jejunium ſolutum eſt. In Feriis majoribus, quibus olim jejunatum eſt, dicuntur pariter Preces uſque ad Nonam incluſivè; ſed non dicuntur flexis genibus, quia non jejunatur. Propter eamdem rationem nunquam flectuntur genua in recitatione precum Completorii.

11. Non convenit inchoare Officium quod proſequi non licebit: ideò ſi in Feria majore venerit Feſtum aliquod de quo in ea fieri debeat ſola Commemoratio; ſi pridiè hujus Feriæ majoris fiat de Feria minore, vel de Feſto Simplici quod terminatur ad Nonam, Veſperæ non erunt de Feſto ſequenti, nec integræ, nec à Capitulo, quia de eo non fiet Officium; ſed Veſperæ erunt de Feria minore, ut in Pſalterio, cum Commemoratione de Feſto ſequenti. In illis autem Veſperis non dicuntur Preces, quia non ſunt I. Veſperæ de Feria majore: Feria enim etiã major non habet I. Veſperas.

Caput X.

De Officio Vigiliarum.

1. SI Vigilia *occurrat in Dominica, de Vigilia fiet in Sabbato præcedenti*, vel Officium, vel Commemoratio; Officium, ſi Sabbatum non impediatur Feſto Semiduplici, aut ſuprà: Commemoratio, ſi Sabbatum impediatur. Commemoratio autem Vigiliæ fit per Lectionem Evangelii cum Homilia, Antiphonam quæ eſt ad *Benedictus*, Verſiculum, & Orationem. Excipias à prædicta regula, Vigilias Natalis & Epiphaniæ Domini, de quibus fit Officium, etiam Dominicâ die, ut in propriis locis habetur.

2. Si in Vigilia quadam occurrat Feſtũ Solemne majus aut ſuprà, alicujus loci ſeu Parochiæ, vel Solemne minus aut ſuprà, per totam Diœceſim feſtivatum, anticipabitur Officium Vigiliæ cum jejunio, vel in illo loco ſeu Parochia, vel in tota Diœceſi. Si tandem aliqua Vigilia venerit, vel in Adventu, vel in Quadrageſima, nihil de Vigilia fiet.

3. Officium Vigiliæ incipit ad Nocturnum, & terminatur ad Nonam. Integrũ eſt de Feria occurrente, his exceptis. I. & II. Lectio, niſi aliter notetur, ſumuntur de Scriptura occurrente, duabus poſterioribus in unam junctis. III. eſt Evangelium cum Homilia. Duo priora ℟℟. de Feria occurrente, tertium eſt proprium. Antiphona ad *Benedictus*, eſt propria, itémque Oratio. Extra Tempus Paſchale,

dicuntur Preces majores, flexis genibus, ſi ſit jejunium; ſtando verò, ſi non ſit jejunium. Dicuntur pariter Suffragia conſueta, niſi aliter notetur.

4. Excipiuntur ab hoc ordine Vigiliæ Natalis Domini, Epiphaniæ, & Pentecoſtes, quarum Officium ordinatur in ſuis locis.

CAPUT XI.

De Officio Octavarum.

1. DE Octava ordinariè fit Officium per octo dies continuos, vel ſaltèm Commemoratio, ſecundùm occurrentiam vel concurrentiam Feſtorum quæ intra eam poſſunt evenire.

2. Tempus Quadrageſimæ nullam admittit Octavam: unde ſi aliquod Feſtum habens Octavam occurrat poſt Feriam tertiam Hebdomadæ in Sexageſima, terminatur ejus Octava Feria III. poſt Dominicam in Quinquageſima. Idem ſervabitur circa Octavas nondùm abſolutas, quando ſupervenerit Vigilia Pentecoſtes; aut dies XV. Decembris.

3. Officium Octavæ ſuum ſumit gradum à Feſto cujus eſt Octava: unde ad quatuor Ordines revocantur Octavæ.

4. Ad I. pertinent Octavæ Natalis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes, quæ ritus habent peculiares.

5. Ad II. Octavæ aliorum Annualium, & Solemnium *majorum Domini.* Sola admittunt *Duplicia* minora non tranſlata & ſuprà, earúmque dies Octava eſt Duplex major.

6. Ad III. revocantur Octavæ Solemnium majorum non Domini. Admittunt Semiduplicia & ſuprà, itémque Duplicia minora tranſlata. Dies Octava eſt Duplex minor.

7. Ad IV. Octavæ Solemnium minorum. Excludunt ſola Simplicia, & earum dies Octava eſt tantùm Semiduplex.

8. Si duæ Octavæ ſimul concurrant, fiet Officium de digniori, cum Commemoratione minùs dignæ. Dignitas autem Octavæ attendenda eſt, non à Solemnitate tantùm Feſti, ſed à Myſterii ſeu Sancti eminentia. Unde ſi Octava Patroni concurrat cum aliqua ex Octavis Solemnium majorum Domini, *v. g.* Aſcenſionis, fiet de Octava Domini, cum Commemoratione Octavæ Patroni, licèt Feſtum Patroni ſit Annuale.

9. De Dominica intra Octavam occurrente totum fit Officium ut in Pſalterio, vel Proprio de Tempore, cum Commemoratione Octavæ in utriſque Veſperis & Laudibus, ſed ſinè Lectione. Excipiuntur ab hac regula Dominicæ intra Octavas Feſtorum Domini, quarum Officium pertinet ad Feſtum intra cujus Octavam recitatur, & in quibus conſè

quenter nulla ſit Octavæ Commemoratio.

10. Intra Octavam Natalis Domini, ſervatur ritus ſuo loco præſcriptus, pro Commemorationibus quæ in ea poſſunt occurrere. Intra Octavas Paſchæ & Pentecoſtes, nulla omninò ſit Commemoratio; & intra Octavas II. III. & IV. ordinis, ſit Commemoratio Feriarum majorum, vel Feſtorum quorum Officium impeditur per Octavam.

11. Cùm transfertur Feſtum habens Octavam, non transfertur Octava. Ità ut ſi Feſtum transferatur ad diem ſextam Octavæ, craſtinâ die fieri debeat de die ſeptima *intra* Octavam; ſequenti verò *die*, de die Octava: & ſi ultra Octavam transferatur, omittitur omninò Octava hoc anno.

12. Dies Octava cedit Officio Dominicæ, nisì ſit Octava Feſti Solemnis majoris aut Annualis Domini. Cedit pariter Feſto gradûs ſuperioris, & Feriæ majori privilegiatæ; túncque anticipatur dies Octava, nisì Octava ſit IV. ordinis; in hoc enim caſu de die Octava Semiduplici fiet Commemoratio, die impeditâ in qua venerit. Si autem occurrat Feſtum ejuſdem gradûs, de eo Feſto fiet ſola Commemoratio, ſi ſit Semiduplex; & transferetur, ſi *ſit Duplex minus aut majus.*

13. *Officium intra Octavam* hoc ritu peragitur. Invitatorium dicitur ritu duplici in Octavis I. ordinis; ritu verò ſimplici in aliis. Pſalmi ſumuntur è Pſalterio. Novem dicuntur in Officio Nocturno, ſub tribus Antiphonis, extra Tempus Paſchale, & tres tantùm ſub Antiphona unica, Tempore Paſchali: deinde Verſiculus, & tres Lectiones, quarum I. de Scriptura occurrente, duæ poſteriores propriæ, ſi Octava ſit I. vel II. ordinis. Si verò III. vel IV. ordinis, duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente, tertia tantùm propria erit. Antiphonæ unà cum ℣. & ℟℟℟. ſumuntur ex uno è Nocturnis Feſti ſecundùm Feriam. Et dicitur, *Gloria Patri* in fine ultimi tantùm ℟. nec unquam reſumitur ℟.

14. Ad Laudes & alias Horas, omnia dicuntur ut in Feſto, exceptis ſequentibus. Pſalmi ſunt de Feria. Ad Laudes & Veſperas, unica dicitur Antiphona.

15. Nota quòd in Feſtis intra Octavas occurrentibus, ſervetur Octavæ ſolemnitas, ideóque (nisì Octava ſit IV. ordinis) addantur duo *Alleluia* in ℟℟. brevibus Horarum; & ſi quæ ſit Doxologia propria, aut Hymnus & Oratio propria ad Completorium, dicantur ſemper, modò tamen Feſtum de quo ſit Officium, hæc non habeat propria.

16. Dies Octava celebra-

tur eo ritu & modo qui deſcribitur in propriis locis.

Caput XII.

De Officio B. Mariæ Virginis in Sabbato.

1. IN omnibus Sabbatis ab Octava Epiphaniæ ad Septuageſimâ, à Dominica in Albis Depoſitis ad Aſcenſionem Domini, & ab Octava SS. Euchariſtiæ ad Adventum, fit Officium de B. Maria, quemadmodùm circa finem Breviarii diſponitur; niſì occurrat Feſtum ſimplex, dies intra Octavam, aut Feria privilegiata, vel anticipandum ſit Officium Dominicæ ſubſequentis.

2. Ejuſmodi Officium fit ritu ſimplici. Inchoatur Feriâ ſextâ à Capitulo Veſperarum, ſi Veſperæ illæ ſint feriales: ſi autem Feriâ ſextâ celebretur Feſtum Semiduplex, aut ſuprà, modò non ſit B. Mariæ, aut Solemne majus, aut Annuale, fit Commemoratio de B. Maria ad Veſperas: & ad Hymnum Completorii, ſi propria non habeatur, dicitur Doxologia, *Qui natus es*. Cœtera omnia, in dicto Officio, ad calcem Breviarii ordinantur.

Caput XIII.

De Commemorationibus.

1. QUando duo Feſta quorum neutrum transferri debet, eodem die celebranda veniunt, aut quando *II. Veſperæ* unius concurruat cum *I. Veſperis alterius, de minùs digno* fit ſola Commemoratio, juxtà regulas ſequentes.

2. Commemoratio, alia privilegiata eſt, alia non privilegiata. Privilegiata ea eſt quæ nunquam omittitur, nequidem in Feſto Annuali. Non privilegiata ea eſt quæ, habitâ ratione dignitatis Feſti in quo occurrit, omitti debet.

3. Commemorationes privilegiatæ ſunt, Annualium, Solemnium majorum & minorum, Duplicium majorum Domini, omnium Dominicarum, cujuſcumque claſſis ſint, Feriarum omnium Majorum, ſive privilegiatæ ſint, ſive non, & omnium Octavarum, cujuſcumque ordinis ſint.

4. Commemorationes non privilegiatæ, ſunt aliæ omnes Commemorationes.

5. Privilegiatæ Commemorationes ſemper fieri debent, ut dictum eſt; non privilegiatæ autem omittuntur in Feſtis Annualibus & Solemnibus majoribus, fiunt autem in Solemnibus minoribus & infrà.

6. Commemorationes fiunt hoc modo. In I. & II. Veſperis Feſti dignioris, dicto *Benedicamus Domino*, dicitur Antiphona quæ eſt ad *Magnificat* Officii de quo fit Commemoratio, deinde Verſiculus Hymni, & ultimò Oratio ejuſdem Officii, cum majori Concluſione, *Per Dominum*, ſi nulla alia ſequatur Commemoratio, minori autem Concluſione

Per Chriſtum, ſi alia ſequatur. In Laudibus autem, dicto *Benedicamus Domino*, petitur Benedictio, & legitur vel Evangelium cum Homilia Officii de quo fit Commemoratio, ſi habeat; vel ultima Lectio quæ diceretur ad Officium Nocturnum, exceptis Commemorationibus dierum intra Octavas, & ſecundâ Commemoratione, ſi fortè duæ occurrant. Deinde Antiphona quæ eſt ad *Benedictus*, Verſiculus Hymni, & Oratio, eodem ritu ac in Veſperis.

7. Nota aliquas eſſe Commemorationes ſolemnes, ut ſunt Antiphonæ ad *Magnificat*, à XV. Decembris ad Natale Domini, quæ, quia *integræ* dici debent & ante & poſt Canticum *Magnificat*, peculiarem ritum retinent. Nunquam omittuntur, quia privilegiatæ ſunt; & fiunt hoc modo: Poſt *Benedicamus Domino*, dicitur Antiphona *O*, deinde, *Gloria Patri*, *Sicut erat*, &c. poſteà repetitur Antiphona *O*, tum Verſiculus cum Oratione, ut ſuprà.

Caput XIV.

De Occurrentia & Tranſlatione Feſtorum.

1. Si duo Feſta eodem die ſimul occurrant, Officium fit de Feſto ſuperioris gradûs, transfertur verò Feſtum gradûs inferioris, ſi ſit Duplex *minus aut ſuprà. Quòd ſi ſint ejuſdem gradûs, Officium fit de digniori*, & transfertur minùs dignum, ſi ſit Duplex minus aut ſuprà.

2. Si Feſtum inferioris gradûs, vel in eodem gradu minùs dignum, ſit Semiduplex aut Simplex, de eo fit Commemoratio, niſi propter ſolemnitatem Feſti quod celebratur, ſit omittenda, juxta ſuprà dicta. *Cap. XIII. de Commemorationibus.*

3. Annualia & Solemnia, tùm majora, tùm minora, per totam Diœceſim feſtivata, hoc gaudent privilegio, ut quodcumque Feſtum, etiam Annuale Patroni, in eis occurrens, transferatur.

4. Officium Dominicæ, ut dictum eſt, nunquam tranſfertur; aliquando tamen, ante Septuageſimam, aut ante Adventum, anticipatur Dominica ſuperabundans, ut ſuis locis dicitur.

5. Alia Officia Duplicia minora & ſuprà, transferuntur, quando proprio die celebrari non poſſunt. Semiduplicia verò & Simplicia nunquam transferuntur, ſed de his, quando Officium fieri nequit integrû, fit Commemoratio, ſi Solemnitas patiatur, vel omninò omittuntur.

6. Cùm transfertur Officium in quo fieri deberet Commemoratio aliqua, Commemoratio non tranſfertur, ſed fit ſuo die, ſi Solemnitas non impediat; alioquin omittitur hoc anno.

7. Si Feſta Solemnia minora aut ſuprà, feſtivata,

tranſferantur, feſtivantur eo die in quem transferuntur: cœtera Feſta à populo feriata, cùm transferuntur, non feſtivantur.

8. In Tranſlatione Feſtorum, hoc maximè obſervandum eſt, ut de Feſto tranſlato fiat Officium die viciniori ſubſequente non impeditâ. Quia verò dierum impeditarum eſt aliquando longa ſeries, definita eſt Feſtorum quorumdam anticipatio in diem præcedentem. Sic, *v. g.* Feſta Duplicia minora quæ occurrere poſſunt die Aſcenſionis, & Duplicia minora aut ſuprà, quæ occurrere poſſunt à Vigilia Pentecoſtes ad Feſtum SS. Trinitatis, anticipari debent. Extra caſus ſimiles, non anticipantur Feſta, ſed transferuntur. Excipitur tamen Feſtum SS. Donatiani & Rogatiani, ut notatur ſuo loco.

9. Nomine diei impeditæ quæ Feſtum tranſlatum aut anticipatum non admittit, intelliguntur Duplicia minora & ſuprà, dies intra aliquas Octavas, Feriæ majores privilegiatæ, itémque Feriæ majores non privilegiatæ, quando Evangelium habent proprium, & ſimul eâdem die occurrit Feſtum Semiduplex aut Simplex.

10. Advertendæ tamen exceptiones ſequentes. Feſto *Incarnationis Domini* tranſlato *in Feriam II. poſt Octavam Paſchæ*, cedit quodcumque Feſtum, etiam Patroni primarii, de quo fiet die ſequenti. Sic etiam Feſto Annuali aut Solemni majori alicubi feſtivato & tranſlato, cedit quodcumque aliud Officium gradûs inferioris non feſtivatum.

11. Quando Feſtum Duplex minus & ſuprà, tranſfertur in diem in qua aliàs fieret de Semiduplici, vel Simplici, vel de Octava, vel de Feria majore non privilegiata, fit Commemoratio de illo Semiduplici, Simplici, &c. modò tamen Officium tranſlatum admittat illas Commemorationes.

12. Si plura Feſta transferantur, attendatur eorum gradus aut dignitas: & niſi inæqualis ſint gradûs & dignitatis, de iis fiet Officium, eo ordine quo inſcripta ſunt in Calendario.

Caput XV.

De Concurrentia Officiorum.

1. Officia dicuntur concurrere quando unũ incipit, antequàm alterum, ſi eſſet extra concurſũ, terminari deberet; quod non niſi in Veſperis accidere poteſt.

2. In concurrentia Officiorum, duo conſideranda ſunt, gradus & dignitas. Gradum indicat enuntiatio Solemnitatis poſita in Calendario aut ſerie Breviarii. Sic Annuale eſt I. gradûs, Solemne majus II. gradûs; & ſic de aliis. Dignitas verò attendenda eſt ab eo cujus eſt Officium. Sic inter Feſ-

ta æqualis gradûs, Officium Feſtorum Domini dignius eſt Officio Feſtorum quorumcumque quæ non ſunt Domini. Officium de B. Maria præſtat cuicumque Officio de Sanctis. Officium Angelorum, Officio S. Joannis Baptiſtæ. Officium S. Joannis Baptiſtæ, Officio Apoſtolorum & Evangeliſtarum. Officium Apoſtolorum & Evangeliſtarum, cœteris Officiis Sanctorum. Sed cœtera Officia, ſcilicet Martyrum, Pontificum, Doctorum, &c. ſunt ejuſdem inter ſe dignitatis.

3. Sciendum porrò Anniverſarium Dedicationis Eccleſiæ, Feſta S. Crucis, & ſimilia, Purificationis, Annuntiationis, & Viſitationis B. Mariæ, inter Feſta Domini numerari.

4. Feſta concurrentia quæ ſunt inter ſe æqualis gradûs & dignitatis, dimidiant Veſperas: id eſt, In Veſperis fit de Præcedenti uſque ad Capitulum excluſivè, & de Sequenti, à Capitulo uſque ad finem, cum Commemoratione Præcedentis.

5. Inter Feſta Annualia concurrentia, hic ſervatur ordo. Si Feſtum Annuale quod celebratur per totam Diœceſim, concurrat cum Feſto Annuali alicujus loci tantùm, in II. Veſperis Annualis per totam Diœceſim, fit ſolùm *Commemoratio Annualis in peculiari loco celebrandi; itémque in* Feſto Annuali alicujus loci proprio, II. Veſperæ erunt Primæ de Annuali ſequenti per totam Diœceſim celebrando, cum ſola Commemoratione Præcedentis: & hoc etiamſi Feſta illa Annualia forent ex omni alia parte æqualia.

6. Idem dicendum de Epiphania, Præſentatione, Incarnatione & Aſcenſione Domini, Feſto SS. Trinitatis, Solemnitate SS. Euchariſtiæ, Aſſumptione B. Mariæ, & Feſto omnium Sanctorum. Omnia enim hæc Feſta hoc habent privilegium, ut eorum Veſperæ, tùm I. tùm II. ſemper integræ ſint, & de Feſto concurrenti, etiamſi ſit Annuale Patroni, ſola fiat Commemoratio, ſive in I. ſive in II. Veſperis.

7. Si Feſta non ſint ejuſdem gradûs, vel ſi, cùm ſint ejuſdem gradûs, non ſint ejuſdem dignitatis, Veſperæ erunt integræ de Feſto ſuperiori vel digniori, cum Commemoratione de Feſto inferiori vel minùs digno.

8. Semiduplex occurrens Feriâ VI. poſt Octavam Aſcenſionis non dimidiat Veſperas cum Semiduplici de quo ſola fieri debet Commemoratio in Laudibus Vigiliæ Pentecoſtes, ſed de illo Semiduplici ſubſequente ſola fit Commemoratio per modum Simplicis; quia non convenit inchoare Officium quod perficere non licebit, ut dictum eſt.

PARS SECUNDA.

De Horis Officii.

OFficium eſt Nocturnum, vel Diurnum. Nocturnum, quod etiam Vigiliarum nomine nuncupatur, dicitur vulgò Matutinum. Officium Diurnum in ſeptem Horas dividitur; quæ ſunt, Laudes Matutinæ, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ & Completorium. Quid in illis ſingulis Horis ut plurimùm ſervandum ſit, nunc aperiendum.

CAPUT I.

De Officio Nocturno.

1. AD Officium Nocturnum hæc per ordinem regulariter dicuntur, niſi aliter pro quibuſdam diebus notetur: *Pater. Ave. Credo.* ſecretò, ℣. *Domine, labia*, quem Celebrans dicit pollice ſignando ſibi os Signo Crucis. Tum ℣. *Deus, in adjutorium*, quem idem Celebrans dicit, ſignando ſe manu extensâ à fronte ad pectus, & à ſiniſtro humero ad dextrum. Idem ℣. *Deus, in adjutorium*, eodem modo dicitur initio ſingularum Horarum, niſi aliter notetur. In hujus fine, à Paſchate ad Septuageſimam, additur *Alleluia:* à Septuageſima verò ad Paſcha, *Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.*

2. *Sequitur Invitatorium* cum Pſalmo, *Venite*, eo ritu qui infrà notatur pro diverſis gradibus Feſtorum. *Part. III. Cap. I.* Tempore Paſchali, in fine Invitatorii additur *Alleluia.* Quando autem dici non debeat Invitatorium, aut omitti ℣. *Gloria Patri*, notatur in propriis locis.

3. Poſt invitatorium dicitur Hymnus; & poſt Hymnum, Pſalmi, Antiphonæ, Verſiculi, Lectiones, & Reſponſoria; ſed diversâ ratione, pro diverſitate temporis & gradûs Officii, ut ſequitur.

4. Si ſit Duplex majus, & ſuprà, habentur, ut dictum eſt, extra Tempus Paſchale, novem Pſalmi cum totidem Antiphonis, tribus Verſiculis, novem Lectionibus, & totidem Reſponſoriis; quæ omnia per tres Nocturnos diſtribuuntur.

5. In ſingulis ergo Nocturnis dicuntur Pſalmi tres, & totidem Antiphonæ, Verſiculus unus, Lectiones tres cum tribus Reſponſoriis; quæ omnia vel propria ſunt, vel deſumuntur è locis quæ ſingulis in Officiis deſignantur.

6. Singulos Verſiculos ſequitur, *Pater noſter*, cujus initium altâ voce dicitur à Celebrante, cæteris ſecretò proſequentibus, uſque ad ℣.

Et

Et ne nos inducas in tentationem, quem pariter Celebrans dicit altâ voce, cœteris altâ pariter voce reſpondentibus : *Sed libera nos à malo.*

7. Lectiones ſingulas præcedit Benedictio, quam petit Lector, dicens: *Jube, Domne, benedicere*, & quæ datur à Celebrante.

8. Tandem poſt ultimum Reſponſorium, dicitur *Te Deum*, nisì aliter notetur. Si quæ fieri debeant exceptiones, habentur in propriis locis.

9. Hoc autem ordine prædicta recitantur, ſingulis in Nocturnis. Tres Pſalmi, & poſt ſingulos Pſalmos, Antiphona: Verſiculus : *Pater noſter*: Lectio I. cum Reſponſorio: Lectio II. cum Reſponſorio : Lectio III. cùm Reſponſorio : & poſt ultimum Reſponſorium ultimi Nocturni, *Te Deum.*

10. In Feſtis Duplicibus minoribus & infrà, extra Tempus Paſchale, dicuntur novem Pſalmi cum tribus Antiphonis; ità ut poſt tres Pſalmos dicatur Antiphona I. poſt tres alios, Antiphona II. & poſt tres ultimos, Antiphona III. Deinde Verſiculus, *Pater noſter*, ut ſuprà, tres Lectiones cum Benedictionibus & Reſponſoriis, & ultimò, *Te Deum*. *Si* de Communi Sanctorum ſumatur Officium, *Antiphonæ, Verſiculus, & Reſponſoria diſtribuuntur* ſecundùm Feriam, ut dictum eſt. *Part. I. Cap. 5. n. 3.*

11. In Officio Feriæ, extra Tempus Paſchale, omnia diſponuntur ut in Officio præcedenti, ſed non dicitur, *Te Deum.*

12. Canticum, *Te Deum*, communiter ſequuntur Laudes, ut infrà. Si verò Laudes non dicantur continuò; poſt Canticum, *Te Deum*, dici debet cum integra Concluſione Oratio diei : tum *Dominus vobiſcum; Benedicamus Domino*, & ſecretò; *Fidelium animæ; Pater noſter.* In Feriis majoribus, quando dicendæ ſunt Preces majores ad Horas diei, ſi Officium Nocturnum non ſequantur continuò Laudes, ante Orationem & *Dominus vobiſcum*, dicendæ ſunt Preces poſitæ ad Tertiam.

13. Tempore Paſchali, id eſt, à Dominica Reſurrectionis ad Sabbatum poſt Pentecoſten incluſivè, tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis, unicum dicitur Nocturnum conſtans tribus Pſalmis, qui variantur ut notatur in Proprio de Tempore, tribus Lectionibus, & totidem Reſponſoriis. Aliquando dicuntur tres Antiphonæ, aliquando unica, & notatur in propriis locis. In fine Antiphonarum & Reſponſoriorum additur *Alleluia*, & ſemper dicitur *Te Deum.*

CAPUT II.

De Laudibus Matutinis.

1. AD Laudes Matutinas, (dictis *Pater* & *Ave*, ſi ab Officio Nocturno ſeparentur,) dicitur ℣. Sacerdotalis; & illo completo, ℣. *Deus, in adjutorium*, ut ſuprà. Deinde quatuor Pſalmi, & inter 3. & 4. Pſalmum dicitur Canticum. Poſt ſingulos Pſalmos & poſt Canticum, ſi Officium ſit Semiduplex, aut ſuprà, habetur Antiphona; ſi verò Simplex, aut diei intra Octavàm, unica dicitur poſt ultimum Pſalmum Antiphona.

2. Poſt Pſalmos, nisì aliter notetur, dicitur Capitulum, Hymnus, Verſiculus, Canticum *Benedictus*, cum Antiphona & Oratione. Ante Orationem dicitur, *Dominus vobiſcum;* vel, *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo;* vel, *Et clamor meus ad te veniat.* Deinde *Oremus;* & completâ Oratione, iterùm *Dominus vobiſcum*, vel, *Domine, exaudi. Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.* Et ſecretò, *Fidelium animæ*, &c. *Pater. Ave.*

3. Preces majores, quando dicendæ ſunt, dicuntur poſt Antiphonam ad *Benedictus.* Et Commemorationes, ſi faciendæ ſint, fiunt *poſt* ℣. *Benedicamus;* qui ℣. *de novo* repetitur poſt *ultimam* Orationem.

4. Tempore Paſchali, omnia fiunt ut ſuprà, excepto quòd additur *Alleluia*, poſt ſingulas Antiphonas.

CAPUT III.

De Prima.

1. AD Primam, (dictis, *Pater* & *Ave*, ſecretò, ſi ſeparetur ab Officio præcedenti,) dicitur ℣. *Deus, in adjutorium*, & Hymnus, *Jam lucis.* Poſt Hymnum dicuntur tres Pſalmi ſub una Antiphona, quæ in Proprio de Tempore & Feſtis Annualibus propria eſt, in aliis autem Officiis, prima quæ dicta eſt ad Laudes.

2. Poſt Antiphonam, dicitur Capitulum; deinde ℟. breve, *Chriſte*, cujus ℣. variatur pro diverſitate Temporis & Feſtorum. Tum ℣. *Exurge*, quem immediatè ſequitur Oratio, *Domine Deus*, cum ℣. *Dominus vobiſcum*, antè & pòſt, & *Benedicamus Domino.* In Officio tamen Feriali, nisì aliter notetur, ante Orationem dicuntur Preces, ut in Pſalterio vel Proprio de Tempore. In Confeſſione ad, *Meâ culpâ*, ter percutitur pectus, & ad ℣. *Indulgentiam*, de novo fit ſignum Crucis. Qui ſolus recitat, ſemel tantùm dicit, *Confiteor*, ſemélque *Miſereatur;* & omittit has voces, *Et tibi, pater; Et te, pater; Et vobis, fratres;* Et vos, fratres. Si Preces dictæ ſint ad Laudes,

Precibus quæ dicuntur ad Primam, adjiciuntur ℣℣. *Vias tuas*, &c. qui ſequuntur, ante Confeſſionem.

3. Tempore Paſchali, Antiphonæ additur *Alleluia*; & omittuntur Preces, etiamſi fiat de Feria.

CAPUT IV.
De Officio Capituli.

1. POſt Orationem Primæ, dicto *Benedicamus*, fit Officium Capituli, quod quatuor conſtat partibus. 1°. Lectione Martyrologii, quæ Lectio extra Chorum fit ad libitum. In fine Martyrologii dicitur ℣. *Pretioſa*, qui ℣. unà cum Oratione, ſemper legitur, etiamſi Martyrologium non legatur. 2°. Lectione Canonis, qui quâlibet die varius eſt. 3°. Precibus ante laborem dicendis; ſcilicet, ℣℣. *Deus, in adjutorium*, &c. cum Oratione, *Dirigere*; quæ Preces omittuntur diebus à Populo feriatis. 4°. Benedictione ad Abſolutionem Capituli, cui præmittitur ℣. *Adjutorium noſtrum.*

2. Aliquando omittitur Officium Capituli, ut notatur in propriis locis.

CAPUT V.
De Tertia, Sexta, & Nona.

1. AD Tertiam, Sextam, & Nonam, (dictis ſecretò, *Pater* & *Ave*, ſi ſeparentur ab Officio præcedenti,) dicitur ℣. *Deus, in adjutorium*, & *Hymnus*; deinde tres Pſalmi cum Antiphona propria, vel de Laudibus diei ſumpta. Sumuntur autem Antiphonæ de Laudibus hoc ordine: ad Tertiam, ſecunda; ad Sextam, tertia; & ad Nonam, quinta. Poſt Antiphonam habetur Capitulum, poſteà Reſponſorium breve, cui additur duplex *Alleluia*, in Solemnibus minoribus & ſuprà, intra Octavas 1. 2. & 3. ordinis, & 4. ſi fiat de Octava, inſuper & Tempore Paſchali. Ultimò, Oratio quæ dicta fuit ad Laudes, *Dominus vobiſcum*, *Benedicamus*, &c. ut ad Laudes.

2. Tempore Paſchali, omnia ut ſuprà, ſed Antiphonis additur, *Alleluia*.

CAPUT VI.
De Veſperis.

1. AD Veſperas, (dictis ſecretò, *Pater* & *Ave*, ſi ſeparentur ab Officio præcedenti,) dicitur ℣. *Deus, in adjutorium*, deinde quinque Pſalmi cum quinque Antiphonis, Capitulum, Hymnus, Verſiculus, Canticum *Magnificat*, cum ſua Antiphona, & Oratio, ut ad Laudes.

2. Intra Octavas, unica dicitur Antiphona, ſuper Pſalmos quinque.

3. In I. Veſperis Duplicium majorum & ſuprà, poſt Capitulum, dicitur Reſponſorium.

4. Quando Preces majores dicendæ ſunt, dicuntur poſt Antiphonam ad *Magnificat*; & quando fieri debent

Commemorationes, fiunt poſt ℣. *Benedicamus.*

5. Tempore Paſchali, poſt ſingulas Antiphonas, additur, *Alleluia.*

CAPUT VII.

De Completorio.

1. AD Completorium, (dictis ſecretò, *Pater* & *Ave*, ſi ſeparentur à Veſperis,) dicitur à Celebrante ſignante pollice pectus ſuum: *Converte nos, Deus, ſalutaris noſter.* Chorus reſpondet: *Et averte iram tuam à nobis.* Celebrans proſequitur: *Deus, in adjutorium*, &c. Tum dicuntur Pſalmi tres ſub una Antiphona, Hymnus, Capitulum, ℟. breve, *In manus*, ℣. *Cuſtodi me*, Canticum *Nunc dimittis*, & Antiphona.

2. Poſt Antiphonam, ſi Officium ſit de Feria, adduntur Preces, ut habentur in Pſalterio. Si autem Officium non ſit de Feria, ſtatim poſt Antiphonam, dicitur Oratio, quæ varia eſt pro diverſis temporibus.

3. Poſt Orationem & ℣. *Benedicamus*, additur Benedictio, *Gratia Domini noſtri*, &c. Deinde ad devotionem dici poteſt una ex Antiphonis de B. Maria, cum ℣. & Oratione. Ultimò dicitur, *Pater. Ave. Credo.*

4. Tempore Paſchali, Antiphonis additur, *Alleluia*, & omittuntur Preces, etiamſi fiat de Feria.

Nota, quædam eſſe per annum Officia, qualia ſunt Officia tridui ante Paſcha, Defunctorum, &c. quæ ritus proprios habent, ſuis in locis explicatos.

PARS TERTIA.

De Horarum Partibus.

BReviter agemus de ſingulis Horarum partibus, de quibus jam plura dicta ſunt in decurſu duarum priorum partium Rubricarum.

CAPUT I.

De Invitatorio.

1. INvitatorium varium eſt in diverſis Officiis, ut habetur in ſuis locis.

2. Triplici ritu dicitur, *Solemni ſcilicet*, Duplici, *& Simplici.* Quando ritu Solemni dicitur, integrum repetitur poſt ſingulos Verſus Pſalmi, *Venite.* Quando ritu Duplici, poſt I. Verſum Pſalmi, integrum repetitur, poſt II. fit tantùm Reclamatio, * *Venite, adoremus*, poſt III. totum repetitur, poſt IV. fit Reclamatio, & ſic alternatim uſque ad finem Pſalmi. Quando denique ritu Simplici dicitur, poſt ſingulos Verſus Pſalmi, *Venite*, fit ſola Reclamatio, * *Venite, adoremus.*

3. Quocumque ritu dica-

Caput XI.

De Verſu Sacerdotali.

VErſus Sacerdotalis à Celebrante dicitur ad Laudes Matutinas, Choro reſpondente, immediatè ante ℣. *Deus, in adjutorium.* Habetur propriis in locis, & ſi quando omitti debeat, ibidem notatur.

Caput XII.

De Collecta ſeu Oratione.

1. HOræ ſingulæ terminantur Oratione, excepto Officio Nocturno, modò tamen immediatè ſequantur Laudes: ſi enim ſeparetur à Laudibus, terminatur Oratione diei.

2. Ad Primam, per totum annum, exceptis triduo ante Paſcha, & Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, eadem ſemper dicitur Oratio quæ eſt in Pſalterio, vel Proprio de Tempore. Ad Completoriũ dicitur Oratio quæ habetur, vel deſignatur in propriis locis. In omnibus aliis Horis quorumcumque Officiorum, (exceptis I. Veſperis Annualium & Solemnium majorum, quibus apponitur peculiaris Oratio,) dicitur Oratio quæ habetur ad Laudes Matutinas ſingulorum Officiorum.

3. In Feriis per annum, dicitur Oratio Dominicæ precedentis, ſi non aſſignetur propria. Nota quòd etiamſi *nonnullis in Feriis aſſignetur Oratio propria, ad Veſperas tamen ſemper* dici debet Oratio Dominicæ præcedentis.

4. Ante Orationem dicitur, *Dominus vobiſcum,* (non tamen ab eo qui ſolus recitat, nec à Subdiacono, nec à Moniali, licèt conſecratâ,) & reſpondetur: *Et cum ſpiritu tuo.* Deinde, *Oremus.* Qui dicere non poſſunt, *Dominus vobiſcum,* ejus loco dicunt ℣. *Domine, exaudi orationem meam,* & reſpondetur: *Et clamor meus ad te veniat.*

5. Quando Oratio dirigitur ad Patrẽ, ſic concluditur: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti, Deus; Per omnia ſecula ſeculorum.* ℟. *Amen.* Si ad Filium dirigatur, ſic concluditur: *Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritûs ſancti, Deus; Per omnia ſecula ſeculorum.* ℟. *Amen.* Si in principio vel in ſerie Orationis fiat mentio Filii, dicitur: *Per eumdem Dominum,* &c. Si fiat mentio Spiritûs ſancti, dicitur: *In unitate ejuſdem Spiritûs ſancti,* &c.

6. Finita Oratione, ſi ſit prima, ſola, vel ultima, repetitur, *Dominus vobiſcum,* vel *Domine, exaudi.* Tum *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.*

7. Quando plures Orationes dicendæ ſunt, prima tantùm & ultima dicuntur cum magna Concluſione,

Per Dominum noſtrum, vel aliter [illegible] ſuprà. Intermediæ autem ſic concluduntur: *Per Chriſtum Dominum noſtrum*; vel, *Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum*; vel, *Qui vivis & regnas, Deus*; vel, *Qui tecum vivit & regnat, Deus*, Et ſemper reſpondetur, *Amen*.

8. Unicuique Orationi ſemper præmittitur, *Oremus*, niſi plures dicantur ſub una Concluſione, & tunc notatur in propriis locis.

9. In Orationibus & Verſiculis in quibus notatur *N.* pronuntiatur nomen baptiſmale ejus de quo fit mentio.

CAPUT XIII.

De Oratione Dominica, & Salutatione Angelica.

1. ORatio Dominica, *Pater noſter*, & Salutatio Angelica, *Ave, Maria*, dicuntur initio ſingularum Horarum; ſi tamen Hora jungatur Officio præcedenti, omittuntur.

2. Quando Oratio Dominica dicitur cum Precibus, vel ante Lectiones Nocturnorum, altâ voce dicitur initium, ſcilicet, *Pater noſter*, & finis, ſcilicet, *Et ne nos inducas*, &c. Cœtera omnia dicuntur ſecretò. In triduo tamen ante Paſcha, & in Officio Defunctorum, totum dicitur ſecretò.

3. *In fine uniuſcujuſque Horæ, niſi ſequatur aliud Officium, aut Miſſa, aut* Proceſſio, aut aliud ejuſmodi, dicto *Fidelium animæ*, dicuntur etiam ſecretò, *Pater & Ave*.

CAPUT XIV.

De Symbolo Apoſtolorum, & Symbolo Quicumque.

1. SYmbolum Apoſtolorum, *Credo in Deum*, dicitur ſecretò, ante Officium Nocturnum, & poſt Completorium, dictis ſcilicet, *Pater & Ave*.

2. Dicitur etiam ad Preces Primæ & Completorii Officii Ferialis; ſed initium, ſcilicet, *Credo in Deum*, & finis, ſcilicet, *Carnis reſurrectionem*, &c. dicuntur altâ voce.

3. Symbolum *Quicumque*, dicitur ad Primam, poſt Pſalmos, in omnibus Dominicis per annum, quando fit Officium de Dominica; & inſuper in Feſto SS. Trinitatis.

CAPUT XV.

De Capitulis & Canone.

1. CApitula dicuntur, ad Veſperas, Laudes & alias Horas, poſt Pſalmos & Antiphonas: ad Completorium verò, poſt Hymnum; & habentur in propriis locis.

2. Nullum legitur Capitulum ad Laudes Natalis Domini, neque in toto Officio à Veſperis Feriæ IV. Majoris Hebdomadæ, ad Nonam Sabbati in Albis incluſivè.

3. Canon ſingulis diebus, excepto triduo ante Paſcha,

legitur ad Primam, ut dictum eſt, præmiſsâ Benedictione: & ſemper ſumitur, niſi aliter notetur, ex Officio unde ſumuntur Lectiones I. Nocturni, aut I. Lectio Tempore Paſchali. Hinc Officia quæ habent Lectiones in I. Nocturno proprias, Canonem habent pariter proprium; quæ autem ſumunt Lectiones de Scriptura occurrente, eidem diei aſſignatum Canonem ſumunt. Excipitur tamen, ſi initium Libri extra locum proprium legatur; tunc enim Canon ſumitur è die cujus Officium fit.

Caput XVI.

De Reſponſoriis Brevibus.

1. Reſponſoria brevia, niſi aliter notetur, dicuntur poſt Capitulum, ad Horas minores tantùm, id eſt, ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Completorium.

2. A Dominica Paſſionis incluſivè, uſque ad Paſcha, in Reſponſoriis tam brevibus quàm prolixioribus Officii cujuſcumque de Tempore, ac etiam Officii de Compaſſione B. Mariæ Virginis, non dicitur, *Gloria Patri;* ſed poſt Reclamationem repetitur ab initio Reſponſorium breve, uſque ad Verſum.

3. In omnibus Feſtis Solemnibus minoribus & ſuprà, *præterquàm à Septuageſima ad Paſcha, in omnibus Octavis I. II. & III.* ordinis, etiamſi de Octava non fiat Officium, in Octavis IV. ordinis, quando fit de Octava, & toto Tempore Paſchali, in fine ℟℟. brevium Tertiæ, Sextæ & Nonæ, ante ℣. dicuntur duo *Alleluia*, quæ etiam poſt dictum ℣. pro Reclamatione repetuntur. Reſponſoria brevia Primæ & Completorii nunquam mutantur, nec unquam illis additur, *Alleluia*: mutatur tamen aliquando ℣. ℟. brevis, *Chriſte*, ad Primam.

Caput XVII.

De Precibus.

1. Preces, aliæ ſunt ordinariæ, aliæ extraordinariæ, quæ & majores dicuntur. Ordinariæ dicuntur in Officio Feriali, ad Primam & Completorium, niſi aliter notetur, excepto tamen Tempore Paſchali. Majores dicuntur ad omnes Horas, niſi aliter notetur, excepto Officio Nocturno, quando Laudes ſtatim ſequuntur. Quibuſnam autem diebus dicendæ ſint, colligi poteſt ex dictis, & aſſignatur in propriis locis.

2. Preces majores dicuntur flexis genibus, in diebus jejunii; aliàs autem, qui dicunt, ſtantes ſunt; ſed Oratio ſemper dicitur à Celebrante ſtante.

3. In Precibus Laudum & Veſperarum, ad ℣. *Oremus pro Pontifice noſtro N*, additur nomen DD. Epiſcopi.

CAPUT XVIII.
De Suffragiis.

1. SUffragia ſeu Commemorationes de Cruce, de B. Maria & de omnibus Sanctis dicuntur in fine Laudum & Veſperarum Officii Ferialis tantùm. Quibus autem Feriis fieri debeant illæ Commemorationes, habetur ſuprà. I. *Part. Cap. IX. n.* 3.

2. Semper omittitur ſuffragium de Cruce Feriâ VI. extra Tempus Paſchale.

3. Si facienda ſit Commemoratio alicujus Feſti, fit ante ipſa Suffragia.

FORMA ABSOLUTIONIS SACRAMENTALIS,

Cum Precibus ante & poſt eam à Sacerdote dicendis.

MIſereátur tuî omnípotens Deus, & dimíſſis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

INdulgéntiam, abſolutiónem † & remiſſiónem peccatórum tuórum tríbuat tibi omnípotens & miséricors Dóminus. Amen.

DOminus nôſter Jeſus Chriſtus, qui eſt ſummus Póntifex, te absólvat; & Ego, auctoritáte ipsíus, te absólvo ab omni vínculo excommunicatiónis, (*ſi pœnitens ſit Clericus, additur*, ſuſpenſiónis) & interdícti, in quantùm poſſum & tu índiges. Deínde, Ego te absólvo à peccátis tuis, In nómine Patris, † & Fílii, & Spíritûs ſancti. Amen.

PAſſio Dómini noſtri Jeſu Chriſti, mérita beátæ Maríæ Vírginis, & ómnium Sanctórum, ſuffrágia ſanctæ matris Eccléſiæ, quidquid bóni féceris, & mali ſuſtinúeris, ſint tibi in remiſſiónem peccatórum, augméntum grátiæ, & prǽmium vitæ ætérnæ. Amen.

Si Pœnitens eſſet morti proximus, & præ brevitate temporis, Preces omnes & Abſolutio, ut ſuperiùs jacent, recitari non poſſent; eo caſu, Sacerdos pronuntiabit ſolummodò verba ad eſſentiam Abſolutionis neceſſaria, ipsúmque abſolvet à cenſuris quas incurrere, & à peccatis quæ committere potuit, ſub hac forma.

EGo te absólvo ab ómnibus censúris & peccátis, In nómine Patris, † & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

PSALTERIUM

PSALTERIUM
DISPOSITUM
PER HEBDOMADAM.
PARS VERNA.

DOMINICA,
AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Ante Officium Nocturnum dicitur ſecretò :

PATER noſter, qui es in cœlis, ſanctificétur nomen tuum : advéniat regnum tuum : fiat volúntas tua ſicut in cœlo, & in terra : panem noſtrum quotidiánum da nobis hódie : & dimítte nobis débita noſtra, ſicut & nos dimíttimus debitóribus noſtris : & ne nos indúcas in tentatiónem ; ſed líbera nos à malo. Amen. *Matt. 6. 9. ad* 13.

AVe, María, grátiâ plena ; Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui, Jeſus. *Luc.* 1. 28. 42. Sancta María, mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen.

CRedo in Deum, Patrem omnipoténtem, creatórem cœli & terræ : Et in Jeſum Chriſtum, Fílium ejus únicum, Dóminum noſtrũ: qui concéptus eſt de Spíritu ſancto, natus ex María Vírgine, paſſus ſub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, & ſepúltus : deſcéndit ad ínferos : tértiâ die reſurréxit à mórtuis : aſcéndit ad cœlos : ſedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : inde ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum ſanctum, ſanctam Eccléſiam cathólicam, Sanctórũ communiónem, remiſſiónem peccatórum, carnis reſurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

Deinde clarâ voce :

DOmine, lábia mea apéries ; ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. *Pſ.* 50. 17.

Deus, in adjutórium meũ

intende; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſ. 69. 2.*

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto; ſicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in sécula ſeculórum. Amen.

Ante Paſcha, Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ. *A Paſchate & deinceps*, Allelúia.

Invitat. Hymn. Ant. & ℣℣℣. habentur in Proprio de Tempore.

Tempore Quadrageſimæ, novem dicuntur Pſalmi: Tempore verò Paſchali, tres tantùm. Et ſic aliis diebus.

PSALMUS 94.

Chriſtus Rex; ipſi parendum.

VEníte, exultémus Dómino; jubilémus Deo ſalutári noſtro: præoccupémus fáciem ejus in confeſſióne, & in pſalmis jubilémus ei.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus ſuper omnes deos; quóniam non repéllet Dóminus plebē ſuam; quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipſe cónſpicit.

Quóniam ipsíus eſt mare, & ipſe fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus: veníte, adorémus, & procidámus ante Deum; *plorémus* coram Dómino *qui fecit nos*; quia ipſe eſt *Dóminus Deus* noſter; nos autem pópulus ejus & oves páſcuæ ejus.

Hódie ſi vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda veſtra, ſicut in exacerbatióne, ſecúndùm diem tentatiónis in desérto, ubi tentavérunt me patres veſtri, probavérunt, & vidérunt ópera mea.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, & dixi: Semper hi errant corde; ipſi verò non cognovérunt vias meas; quibus jurávi in ira mea, ſi introíbunt in réquiem meam.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto; Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in sécula ſeculórum. Amen.

IN I. NOCTURNO.

*Aſteriſcus hic * notat mediationem & pauſam.*

PSALMUS I.

Chriſti & omnium in Chriſto juſtorum encomium.

BEátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non ſtetit, * & in cáthedra peſtiléntiæ non ſedit;

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantátum eſt ſecùs decúrſus aquárum, * quod fructum ſuum dabit in témpore ſuo.

Et fólium ejus non défluet; * & ómnia quæcúmque fáciet, proſperabúntur.

Non ſic ímpii, non ſic ;* ſed tanquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio juſtórum.

Quóniam novit Dóminus viam juſtórum, * & iter impiórum períbit.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui ſancto ;

Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, * & in sǽcula ſæculórum. Amen.

Hi ℣℣. Glória Patri, *&* Sicut erat, *dicuntur in fine Pſalmorum, & Diviſionum, atque etiam Canticorum, niſì aliter notetur.*

PSALMUS 2.

Chriſtus Filius Dei, Rex in Sion & in omnes gentes.

QUare fremuérunt gentes, * & pópuli meditáti ſunt inánia ?

Aſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum * advérsùs Dóminũ, & advérsùs Chriſtum ejus.

Dirumpámus víncula eórum ; * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis, irridébit eos : * & Dóminus ſubſannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira ſua, * & in furóre ſuo conturbábit eos.

Ego autem conſtitútus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póſtula à me ; & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * & poſſeſſiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea * & tanquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite ; * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite diſciplínam ; * nequándo iraſcátur Dóminus, & pereátis de via juſta.

Cùm exárſerit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

PSALMUS 3.

Chriſti reſurrectio, ſpes membrorum ejus.

DOmine, quid multiplicári ſunt qui tríbulant me ? * multi insúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, ſuſcéptor meus es, * glória mea, & exáltans caput meũ.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * & exaudívit me de monte ſancto ſuo.

Ego dormívi, & ſoporátus ſum ; * & exurréxi, quia Dóminus ſuſcépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exúrge, Dómine ; ſalvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percuſſiſti omnes adversántes mihi ſi-

nè cauſa ; * dentes peccatórum contrivíſti.

Dómini eſt ſalus ; * & ſuper pópulum tuum benedíctio tua.

Poſt verſiculum cujuslibet Nocturni, dicit Celebrans altâ voce: Pater noſter ; *& omnes proſequuntur ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo. *Poſteà Lector petit Benedictionem, dicens:* Jube, Domne, benedícere.

Benedictiones habentur poſt Pſalterium.

Qui privatim & ſolus recitat Officium, omiſſo, Jube, Domne, benedícere, *dicit Benedictionem.*

Lectiones cum Reſponſoriis habentur in Proprio de Tempore.

Hæc omnia obſervantur in ſingulis Nocturnis, niſì aliter notetur.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 17.

Chriſti reſurgentis & Eccleſiæ à perſecutoribus liberatæ gratiarum actio.

Dilligam te, Dómine, fortitúdo mea : * Dóminus firmaméntum meum, & refúgium meum, & liberátor meus.

Deus meus adjútor meus, * & ſperábo in eum.

Protéctor meus, & cornu ſalútis meæ, * & ſuſcéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum ; * & ab inimícis meis *ſalvus ero.*

Circumdedérunt me dolóres mortis ; * & torréntes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me ; * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum ; * & ad Deum meum clamávi :

Et exaudívit de templo ſancto ſuo vocem meam ; * & clamor meus in conſpéctu ejus, introívit in aures ejus.

Commóta eſt, & contrémuit terra : fundaménta móntium conturbáta ſunt, & commóta ſunt ; * quóniam irátus es eis.

Aſcéndit fumus in ira ejus, & ignis à fácie ejus exárſit ; * carbónes ſuccénſi ſunt ab eo.

Inclinávit cœlos, & deſcéndit : * & calígo ſub pédibus ejus.

Et aſcéndit ſuper Chérubim, & volávit, * volávit ſuper pennas ventórum.

Et póſuit ténebras latíbulum ſuum, in circúitu ejus tabernáculum ejus, * tenebróſa aqua in núbibus áeris.

Præ fulgóre in conſpéctu ejus nubes tranſiérunt, * grando, & carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, & Altíſſimus dedit vocem ſuam : * grando, & carbónes ignis.

Et miſit ſagíttas ſuas, & diſſipávit eos : * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * & reveláta ſunt fundaménta orbis terrárum.

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inſpiratióne ſpíritûs iræ tuæ.

Diviſio Pſalmi 17.

MIſit de ſummo [Dóminus], & accépit me; * & aſſúmpſit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíſſimis, & ab iis qui odérunt me; * quóniam confortáti ſunt ſuper me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * & factus eſt Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem: * ſalvum me fecit, *quóniam* vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtítiam meam; * & ſecúndùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi:

Quia cuſtodívi vias Dómini, * nec ímpiè geſſi à Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conſpéctu meo, * & juſtítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * & obſervábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtítiam meam, * & ſecúndùm puritátem mánuum meárum in conſpéctu oculórum ejus.

*Cum ſancto ſanctus eris, * & cum viro innocénte innocens eris.*

Et cum elécto eléctus eris, * & cum pervérſo pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem ſalvum fácies, * & óculos ſuperbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine: * Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne, * & in Deo meo tranſgrédiar murum.

Altera diviſio Pſal. 17.

DEus meus, impollúta via ejus: elóquia Dómini igne examináta: * protéctor eſt ómnium ſperántium in ſe.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum noſtrũ?

Deus qui præcínxit me virtúte; * & póſuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos, tanquam cervórum; * & ſuper excélſa ſtátuens me:

Qui docet manus meas ad prælium: * & poſuíſti ut arcum æreum bráchia mea:

Et dediſti mihi protectiónem ſalútis tuæ; * & déxtera tua ſuſcépit me:

Et diſciplína tua corréxit me in finem; * & diſciplína tua ipſa me docébit.

Dilatáſti greſſus meos ſubtùs me; * & non ſunt infirmáta veſtígia mea.

Pérſequar inimícos meos, & comprehéndam illos: * & non convértar donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt ſtare; * cadent ſubtùs pedes meos.

Et præcinxíſti me virtúte ad bellum; * & ſupplantáſti inſurgéntes in me ſubtùs me.

Et inimícos meos dedíſti mihi dorſum; * & odiéntes me diſperdidíſti.

Clamavérunt, nec erat qui ſalvos fáceret: * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

Et commínuam eos ut púlverem ante fáciem venti: * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli; * conſtítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, ſervívit mihi; * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti ſunt mihi; * filii aliéni inveteráti ſunt, & claudicavérunt à sémitis ſuis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus; * & exaltétur Deus ſalútis meæ.

Deus, qui das vindíctas mihi, & ſubdis pópulos ſub me: * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab inſurgéntibus in me exaltábis me; * à viro iníquo erípies me.

Proptéreà confitébor tibi in natiónibus, Dómine; * *& nómini* tuo pſalmum di-*cam.*

Magníficans ſalútes Re-*gis ejus, & fáciens* miſericórdiam Chriſto ſuo David, * & sémini ejus uſque in séculum.

Pater. *ſecretò.* ℣. Et ne nos, &c. *ut ſuprà.*

IN III. NOCTURNO.

PSALMUS 27.

Inter adverſa, ſpes reſurgendi.

AD te, Dómine, clamábo; Deus meus, ne síleas à me; * nequándo táceas à me, & aſſimilábor deſcendéntibus in lacum.

Exaúdi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ dum oro ad te, * dum extóllo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Ne ſimul trahas me cum peccatóribus; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo ſuo; * mala autem in córdibus eórum.

Da illis ſecúndùm ópera eórum, * & ſecúndùm nequítiam adinventiónum ipſórum.

Secúndùm ópera mánuum eórum, tríbue illis; * redde retributiónem eórum ipſis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus; * déſtrues illos, & non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus; * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protéctor meus; * in ipſo ſperávit cor meum, & adjútus ſum.

Et reflóruit caro mea; * & ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis ſuæ; * & protéctor ſalvatiónum Chriſti ſui eſt.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ; * & rege eos, & extólle illos uſque in ætérnum.

PSALMUS 29.

Reſurrectionis Pſalmus.

EXaltábo te, Dómine, quóniã ſuſcepiſti me, * nec delectáſti inimícos meos ſuper me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te; * & ſanáſti me.

Dómine, eduxiſti ab inférno ánimam meam: * ſalváſti me à deſcendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, ſancti ejus; * & confitémini memóriæ ſanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus; * & vita in voluntáte ejus.

Ad véſperum demorábitur fletus; * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua, * præſtitiſti decóri meo virtútem.

Avertiſti fáciem tuam à me, * & factus ſum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo; * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum deſcéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & misértus eſt meî; * Dóminus factus eſt adjútor meus.

Convertiſti planctum meum in gaúdium mihi; * conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætítiâ:

Ut cantet tibi glória mea, & non compúngar; * Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

PSALMUS 65.

Invitatio ad celebrandam Chriſti reſurgentis victoriam.

JUbiláte Deo, omnis terra; pſalmum dícite nómini ejus; * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo: Quàm terribília ſunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & pſallat tibi, * pſalmum dicat nómini tuo.

Veníte, & vidéte ópera Dei, * terríbilis in consíliis ſuper filios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede, * ibi lætábimur in ipſo.

Qui dominátur in virtúte ſua in ætérnum; óculi ejus ſuper gentes reſpíciunt: * qui exáſperant, non exaltèntur in ſemetípſis.

Benedícite, gentes, Deum

noſtrum, * & audítam fácite vocem laudis ejus.

Qui póſuit ánimam meã ad vitam, * & non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probáſti nos, Deus, * igne nos examináſti, ſicut examinátur argéntum.

Induxíſti nos in láqueum, poſuíſti tribulatiónes in dorſo noſtro, * impoſuíſti hómines ſuper cápita noſtra.

Transívimus per ignem & aquam, * & eduxíſti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocaúſtis, * reddam tibi vota mea:

Quæ diſtinxérunt lábia mea, * & locútum eſt os meum in tribulatióne mea.

Holocaúſta medulláta ófferam tibi cum incénſo aríetum; * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * & exaltávi ſub lingua mea.

Iniquitátem ſi aſpéxi in corde meo, * non exaúdiet Dóminus.

Proptéreà, exaudívit Deus, * & atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónẽ meam, & miſericórdiam ſuam à me.

Pater. ſecretò. ℣. Et ne nos, *&c. ut ſuprà.*

Poſt ultimum Reſponſorium, dicitur, Te Deum, *ſi dicendum ſit.*

TE Deum laudámus: * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi Cœli & univérſæ Poteſtátes,

Tibi Chérubim & Séraphim * inceſsábili voce proclámant:

Sanctus:

Sanctus:

Sanctus:

Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni ſunt cœli & terra * majeſtátis glóriæ tuæ.

Te glorióſus * Apoſtolórum chorus:

Te Prophetárum * laudábilis númerus:

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus;

Te per orbem terrárum * ſancta confitétur Eccléſia,

Patrem * imménſæ majeſtátis;

Venerándum tuum verum * & únicum Fílium;

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Chriſte.

Tu Patris * ſempitérnus es Fílius.

Tu ad liberándum ſuſceptúrus hóminem, * non horruíſti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuíſti credéntibus regna cœlórum.

Tu ad déxteram Dei ſedes * in glória Patris.

Judex créderis * eſſe ventúrus.

Te ergo quæſumus, fámulis tuis ſúbveni, * quos pretióſo ſánguine redemíſti.

Ætérnâ fac cum Sanctis tuis * glóriâ munerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * & bénedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, * & extólle illos uſque in ætérnum.

Per ſíngulos dies * benedícimus te,

Et laudámus nomen tuum in séculum, * & in séculum séculi.

Dignáre, Dómine, die iſto * ſinè peccáto nos cuſtodíre.

Miſerére noſtrî, Dómine, * miſerére noſtrî.

Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, * quemádmodum ſperávimus in te.

In te, Dómine, ſperávi; * non confúndar in ætérnum.

Si Laudes non ſequantur continuò, hîc dicitur: Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo. Orémus. *Deinde oratio propria cum integra concluſione. Ac poſteà iterùm*: Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias. *Tum ſecretò*: Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant *in pace.* ℟. *Amen. Ac tandem, Pater* noſter. *Ave, etiam ſecretò.*

AD LAUDES MATUTINAS.

Si ſeparentur ab Officio Nocturno, dicitur ſecretò, Pater & Ave; *& ſic aliis diebus.*

℣. *Sacerdot. Antiph. Cant. Capit. Hymn. &* ℣. *habentur in Proprio de Tempore. Et ſic aliis diebus.*

Deus, in adjutórium meum intende, &c. Glória Patri, & Fílio, &c. Sicut erat, &c. Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ. *vel.* Allelúia.

Psalmus 62.

Æternorum bonorum deſiderium.

Deus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea; * quàm multiplíciter tibi caro mea!

In terra desérta, & ínvia, & ináquóſa, ſic in ſancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

Quóniam mélior eſt miſericórdia tua ſuper vitas; * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea, * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî ſuper ſtratum meum, in matutínis meditábor in te; * quia fuíſti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo, adhæſit

noſtru
cite v
Q
ad
cor
Γ
ſ

... anima mea poſt te; * me ſuſcepit dextera tua.

Ipſi verò in vanum quæſiérunt ánimam meam; introíbunt in inferióra terræ: * tradéntur in manus gládii; partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo; * quia obſtrúctũ eſt os loquéntium iníqua.

PSALMUS 92.

Chriſti regnum & eloquia extolluntur.

DOminus regnávit, decórem indútus eſt; * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcínxit ſe.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta ſedes tua ex tunc; * à ſéculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine, * elevavérunt flúmina vocem ſuam.

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris; * mirábilis in altis Dóminus.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis: * domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

PSALMUS 99.

Ad Dei cultum & laudes exhortatio.

JUbiláte Deo, omnis *terra,* * ſervíte Dómino *in lætítia.*

Introíte in conſpéctu ejus, * *in exultatióne.*

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus; * ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Pópulus ejus & oves páſcuæ ejus, introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis; * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus; * in ætérnum miſericórdia ejus, & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Hic dicitur Canticum, quod deſumitur è Proprio de Tempore, ſi de Tempore fiat officium: ſin verò, deſumi debet è Proprio, vel Communi Sanctorum. Et ſic aliis diebus.

PSALMUS 150.

Deus omnimodè laudandus.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ; * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in týmpano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cýmbalis beneſonántibus, laudáte eum in cýmbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Ad Benedíctus, *Antiphona habetur in* Proprio *de Tempore.*

CANTICUM ZACHARIÆ.
Luc. c. 1. v. 68. ad 79.
De Redemptoris adventu, gratiarum actio.

BEnedíctus Dóminus Deus Iſraël: * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ;

Et eréxit cornu ſalútis nobis, * in domo David púeri ſui;

Sicut locútus eſt per os ſanctórum, * qui à século ſunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis noſtris, * & de manu ómnium qui odérunt nos;

Ad faciéndam miſericórdiam cum pátribus noſtris,* & memorári teſtaménti ſui ſancti:

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrum, * datúrum ſe nobis;

Ut ſinè timóre de manu inimicórum noſtrórum liberáti, * ſerviámus illi,

In ſanctitáte & juſtítia coram ipſo, * ómnibus diébus noſtris.

Et tu, puer, Prophéta Altíſſimi vocáberis, * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus;

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus, * in remiſſiónem peccatórum eórum;

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis ſedent, * ad dirigéndos pedes noſtros in viam pacis.

Glória Patri.

Poſt Canticum dicitur Antiphona: deinde, Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo. Orémus. *Tum Oratio propria cum integra concluſione: & poſt Orationem*, Dóminus vobíſcum: ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias.

Si qua Commemoratio occurrat, hoc loco fit, eo modo qui deſcribitur in Rubricis.

Poſt Commemorationem, ſi ſit unica, vel poſt ultimam, ſi plures ſint; Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Poſt quamlibet Horam, ſi aliud Officium non ſequatur, dicitur ſecretò: Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

Deinde, Pater noſter. Ave. *ſecretò.*

AD PRIMAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium. *ſuprà.*

HYMNUS.

JAM lucis orto ſídere,
Deum precémur ſúpplices,
Noſtras ut ipſe dírigat
Lux increáta sémitas.

Nil lingua peccet, nil manus,
Nil mens ináne cógitet:
In ore ſimplex véritas,
In corde regnet cáritas.

INCŒPTA dum fluet dies,
O Chriſte, cuſtos pérvigil,
Quas ſævus hoſtis óbſidet,
Portas tuére ſénſuum.

PRÆSTA diúrnus ut tuæ
Subſérviat laudi labor:
Autóre quæ te cœpimus
Da, te favénte, próſequi.

SUPERBA ne nimis caro
Menti licénter ímperet;
Carnis domet ſupérbiam
Potûs cibíque párcitas.

Ante Paſcha.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Concéde, ſimplex Unitas,
Ut fructuóſa ſint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

Tempore Paſchali.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœleſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus,
Amen.

Si quando alia dicenda ſit Doxologia, notatur in ſuis locis.

Ant. Capit. ℟. *breve, &* ℣. *habentur en Proprio de Tempore. Et ſic aliis diebus.*

PSALMUS 117.

Gratiarum actio ob Salvatoris manifeſtationem.

CONfitémini Dómino, *quóniam bonus,* * *quóniam in séculum miſericórdia ejus.*

Dicat nunc Iſraël, quóniam bonus, * quóniam in séculum miſericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron, * quóniam in séculum miſericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in séculum miſericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor; * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor; * & ego deſpíciam inimícos meos.

Bonum eſt confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum eſt ſperáre in Dómino, * quàm ſperáre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * & in nómine Dómini, quia ultus ſum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me; * & in nómine Dómini, quia ultus ſum in eos.

Circumdedérunt me ſicut apes, & exarsérunt ſicut ignis in ſpinis; * & in nómine Dómini, quia ultus ſum in eos.

Impúlſus evérſus ſum ut cáderem; * & Dóminus ſuſcépit me.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, * & factus eſt mihi in ſalútem.

Vox exultatiónis & ſalútis,*in tabernáculis juſtórũ.

Déxtera Dómini fecit

virtútem, déxtera Dómini exaltávit me; * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, ſed vivam; * & narrábo ópera Dómini.

Caſtígans caſtigávit me Dóminus, * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas juſtítiæ, ingréſſus in eas confitébor Dómino: * hæc porta Dómini, juſti intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudíſti me, * & factus es mihi in ſalútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, * hic factus eſt in caput ánguli.

A Dómino factum eſt iſtud, * & eſt mirábile in óculis noſtris.

Hæc eſt dies quam fecit Dóminus; * exultémus & lætémur in ea.

O Dómine, ſalvum me fac; ô Dómine, benè proſperáre: * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Conſtitúite diem ſolémnem in condénſis, * uſque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi; * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudíſti me, * & factus es mihi in ſalútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * *quóniam in séculum miſericórdia ejus.*

P s a l m u s 118.

Divina legis laus & amor.

BEáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui ſcrutántur teſtimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandáſti * mandáta tua cuſtodíri nimis.

Utinàm dirigántur viæ meæ * ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas!

Tunc non confúndar, * cùm perſpéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis, * in eo quòd dídici judícia juſtítiæ tuæ.

Juſtificatiónes tuas cuſtódiam; * non me derelínquas uſquequáque.

In quo córrigit adoleſcéntior viam ſuam? * in cuſtodiéndo ſermónes tuos.

In toto corde meo exquiſívi te; * ne repéllas me à mandátis tuis.

In corde meo abſcóndi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine, * doce me juſtificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via teſtimoniórum tuórum delectátus ſum, * ſicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor; * & conſiderábo vias tuas.

In juſtificatiónibus tui

meditábor ; * non oblivíſcar ſermónes tuos.

Prima diviſio Pſal. 118.

RETríbue ſervo tuo ; * vivífica me, & cuſtódiam ſermónes tuos.

Revéla óculos meos, * & conſiderábo mirabília de lege tua.

Incola ego ſum in terra ; * non abſcóndas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea deſideráre juſtificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpáſti ſupérbos ; * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contémptum ; * quia teſtimónia tua exquisívi.

Etenim ſedérunt príncipes, & advérsùm me loquebántur ; * ſervus autem tuus exercebátur in juſtificatiónibus tuis.

Nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt, * & consílium meum juſtificatiónes tuæ.

Adhǽſit paviménto ánima mea, * vivífica me ſecúndùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudíſti me ; * doce me juſtificatiónes tuas.

Viam juſtificatiónum tuárum ínſtrue me, * & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tǽdio ; * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me, * & de lege tua miſerére meî.

Viam veritátis elégi, * judícia tua non ſum oblítus.

Adhǽſi teſtimóniis tuis, Dómine ; * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cùm dilatáſti cor meum.

Quando fit Officium de Dominica, nisì aliter notetur, diciturſequens

SYMBOLUM.

QUicúmque vult ſalvus eſſe,* ante ómnia opus eſt ut téneat cathólicam fidē:

Quam nisì quiſque íntegram inviolatámque ſerváverit, * abſque dúbio in ætérnum períbit.

Fides autem cathólica hæc eſt, * ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in Unitáte venerémur ;

Neque confundéntes persónas, * neque ſubſtántiam ſeparántes :

Alia eſt enim persóna Patris, ália Fílii,* ália Spíritûs ſancti.

Sed Patris, & Fílii, & Spíritûs ſancti una eſt divínitas, * æquális glória, coætérna majéſtas.

Qualis Pater, talis Fílius,* talis Spíritus ſanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus ſanctus.

Imménſus Pater, imménſus Fílius, * imménſus Spíritus ſanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius, * ætérnus Spíritus ſanctus :

Et tamen non tres ætér-

ni ; * ſed unus ætérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres imménſi ; * ſed unus increátus, & unus imménſus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus ſanctus :

Et tamen non tres omnipoténtes ; * ſed unus omnípotens.

Ità Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus ſanctus.

Et tamen non tres Dii ; * ſed unus eſt Deus.

Ità Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus ſanctus :

Et tamen non tres Dómini ; * ſed unus eſt Dóminus.

Quia ſicut ſingillátim unamquámque persónam, Deum ac Dóminum confitéri chriſtiánâ veritáte compéllimur, * ità tres Deos aut Dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo eſt factus, * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre ſolo eſt ; * non factus, nec creátus, ſed génitus.

Spíritus ſanctus à Patre & Fílio ; * non factus, nec creátus, nec génitus, ſed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres ; unus Fílius, non tres Fílii ; * unus Spíritus ſanctus, non tres Spíritus ſancti.

Et in hac Trinitáte, *nihil prius aut poſtérius, nihil majus aut minus* ; * ſed totæ tres persónæ coætérnæ ſibi ſunt & coæquáles.

Ità ut per ómnia, ſicut jam ſuprà dictum eſt, * & Unitas in Trinitáte, & Trínitas in Unitáte veneránda ſit.

Qui vult ergo ſalvus eſſe, * ità de Trinitáte séntiat.

Sed neceſſárium eſt ad ætérnam ſalútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini noſtri Jeſu Chriſti fidéliter credat.

Eſt ergo fides recta, ut credámus & confiteámur, * quia Dóminus noſter Jeſus Chriſtus Dei fílius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtántia Patris ante sécula génitus ; * & homo eſt ex ſubſtántia matris in século natus.

Perféctus Deus, perféctus homo ; * ex ánima rationáli & humána carne ſubsíſtens.

Æquális Patri ſecúndùm divinitátem ; * minor Patre ſecúndùm humanitátem.

Qui licèt Deus ſit & homo, * non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem non converſióne divinitátis in carnẽ, * ſed aſſumptióne humanitátis in Deum.

Unus omnínò non confuſióne ſubſtántiæ, * ſed unitáte persónæ.

Nam ſicut ánima rationális & caro unus eſt homo ; * ità Deus & homo unus eſt Chriſtus :

Qui paſſus eſt pro ſalute

noſtra; deſcéndit ad ínferos; * tértiâ die reſurréxit à mórtuis.

Aſcéndit ad cœlos, ſedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis; * inde ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos.

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus ſuis, * & redditúri ſunt de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam ætérnam; * qui verò mala, in ignem ætérnum.

Hæc eſt fides cathólica, * quam nisì quiſque fidéliter firmitérque credíderit, ſalvus eſſe non póterit.

AD TERTIAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium meum, &c.

HYMNUS.

O FONS amóris Spíritus,
O Sancte donórum Parens,
Tuas refúſus íntimis
Accénde flammas córdibus.

QUI caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Arctis coápta néxibus.

Ante Paſcha.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Concéde, ſimplex Unitas,
Ut fructuóſa ſint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

Tempore Paſchali.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Si quando alia dicenda ſit Doxologia, notatur in ſuis locis.

Ant. Capit. ℟. *breve, &* ℣. *habentur in Proprio de Tempore. Et ſic aliis diebus.*

Secunda diviſio Pſal. 118.

LEGEM pone mihi, Dómine, viam juſtificatiónum tuárum, * & exquíram eam ſemper.

Da mihi intelléctũ, & ſcrutábor legem tuã, * & cuſtódiã illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum, * quia ipſam vólui.

Inclína cor meum in teſtimónia tua, * & non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem: * in via tua vivífica me.

Státue ſervo tuo elóquium tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meũ quod ſuſpicátus ſum: * quia judícia tua jucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua: * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat ſuper me miſericórdia tua, Dómine; * ſalutáre tuum ſecúndùm elóquium tuum.

Et reſpondébo exprobrántibus mihi verbum; * quia ſperávi in ſermónibus tuis.

Et ne aúferas de ore meo verbum veritátis uſquequáque; * quia in judíciis tuis ſuperſperávi.

Et cuſtódiam legem tuam ſemper, * in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Et ambulábam in latitúdine; * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de teſtimóniis tuis in conſpéctu regum, * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ diléxi, * & exercébar in juſtificatiónibus tuis.

Tertia diviſio Pſal. 118.

MEmor eſto verbi tui ſervo tuo, * in quo mihi ſpem dediſti.

Hæc me conſoláta eſt in humilitáte mea; * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi íniquè agébant uſquequáque; * à lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à século, Dómine; * & conſolátus ſum.

Deféctio ténuit me, * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant juſtificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine, * & cuſtodívi legem tuam.

Hæc facta eſt mihi; * quia juſtificatiónes tuas exquisívi.

*Pórtio mea, Dómine, * dixi cuſtodíre legem tuam.*

Deprecátus ſum fáciem tuam in toto corde meo; * miſerére meî ſecúndùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas; * & convérti pedes meos in teſtimónia tua.

Parátus ſum, & non ſum turbátus; * ut cuſtódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi ſunt me; * & legem tuam non ſum oblítus.

Médiâ nocte ſurgébam ad confitendum tibi, * ſuper judícia juſtificatiónis tuæ.

Párticeps ego ſum ómniũ timéntium te, * & cuſtodiéntium mandáta tua.

Miſericórdiâ tuâ, Dómine, plena eſt terra; * juſtificatiónes tuas doce me.

Quarta diviſio Pſal. 118.

BOnitátem feciſti cum ſervo tuo, Dómine, * ſecúndùm verbum tuum.

Bonitátem, & diſciplinã & ſciéntiam doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

Priúſquàm humiliárer, ego deliqui; * proptéreà elóquium tuum cuſtodívi.

Bonus es tu, * & in bonitáte tua doce me juſtificatiónes tuas.

Multiplicáta eſt ſuper me iníquitas ſuperbórum; * ego autem in toto corde meo ſcrutábor mandáta tua.

Coagulátum eſt ſicut lac cor eórum; * ego verò legem tuam meditátus ſum.

Bonum mihi quia humiliáſti me, * ut diſcam juſtificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * ſuper míllia auri & argénti.

Manus tuæ fecérunt me, & plaſmavérunt me; * da mihi intelléctum, & diſcam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, & lætabúntur; * quia in verba tua ſuperſperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, * & in veritáte tua humiliáſti me.

Fiat miſericórdia tua ut conſolétur me, * secúndùm elóquium tuum ſervo tuo.

Véniant mihi miſeratiónes tuæ, & vivam; * quia lex tua meditátio mea eſt.

Confundántur ſupérbi, quia injúſtè iniquitátem fecérunt in me; * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te, * & qui novérunt teſtimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in juſtificatiónibus tuis, * ut non confúndar.

AD SEXTAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium meum, &c.

HYMNUS.

JAM ſolis aúreum jubar
Toto corúſcat lúmine;
Sic, Chriſte, tu mundũ novâ
Sol verus accéndis face.

Fac plena noſtris fúlgeat
Lux veritátis méntibus;
Fac noſtra plenam cáritas
Creſcéndo ſurgat ad diem.

Ante Paſcha.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Concéde, ſimplex Unitas,
Ut fructuóſa ſint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

Tempore Paſchali.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecùm ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Si quando alia dicenda ſit Doxologia, notatur in ſuis locis.

Ant. Capit. ℟. *breve, &* ℣. *habentur in Proprio de Tempore. Et ſic aliis diebus.*

Quinta diviſio Pſal. 118.

DEfécit in ſalutáre tuum ánima mea; * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes: Quando conſoláberis me?

Quia factus ſum ſicut uter in pruína; * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

Quot ſunt dies ſervi tui? * quando fácies de perſequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes; * ſed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: * iníquè perſecúti ſunt me, ádjuva me.

Paulò minùs conſummavérunt me in terra; * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndùm miſericórdiam

tuam vivífica me, * & cuſtódiam teſtimónia oris tui.

In ætérnum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundáſti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tuâ perſevérat dies; * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quòd lex tua meditátio mea eſt, * tunc fortè periiſſem in humilitáte mea.

In ætérnum non oblivíſcar juſtificatiónes tuas; * quia in ipſis vivificáſti me.

Tuus ſum ego, * ſalvum me fac, quóniam juſtificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me; * teſtimónia tua intelléxi.

Omnis conſummatiónis vidi finem; * latum mandátum tuum nimis.

Sexta diviſio Pſal. 118.

QUómodo diléxi legem tuam, Dómine! * totâ die meditátio mea eſt.

Super inimícos meos prudéntem me fecíſti mandáto tuo; * quia in ætérnum mihi eſt.

Super omnes docéntes me intelléxi; * quia teſtimónia tua meditátio mea eſt.

Super ſenes intelléxi; * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * ut cuſtódiam verba tua.

*A judíciis tuis non declinávi; * quia tu legem poſuíſti mihi.*

Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua! * ſuper mel ori meo.

A mandátis tuis intelléxi; * proptéreà odívi omnem viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * & lumen sémitis meis.

Jurávi, & ſtátui * cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ.

Humiliátus ſum uſquequáque, Dómine: * vivífica me ſecúndùm verbum tuũ.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine; * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis ſemper, * & legem tuam non ſum oblítus.

Poſuérunt peccatóres láqueum mihi, * & de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi teſtimónia tua in ætérnum; * quia exultátio cordis mei ſunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas juſtificatiónes tuas in ætérnum, * propter retributiónem.

Septima diviſio Pſal. 118.

INíquos ódio hábui; * & legem tuam diléxi.

Adjútor & ſuſcéptor meus es tu; * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Declináte à me, malígni, * & ſcrutábor mandáta Dei mei.

Súſcipe me ſecúndùm elóquium tuum, & vivam; * & non confúndas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, & ſalvus ero;

& meditábor in juſtifica tiónibus tuis ſemper.

Sprevíſti omnes diſcedéntes à judíciis tuis; * quia injúſta cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ; * ídeò diléxi teſtimónia tua.

Confige timóre tuo carnes meas, * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium & juſtítiam; * non tradas me calumniántibus me.

Súſcipe ſervum tuum in bonum; * non calumniéntur me ſupérbi.

Oculi mei defecérunt in ſalutáre tuum, * & in elóquium juſtítiæ tuæ.

Fac cum ſervo tuo ſecúndùm miſericórdiã tuam;* & juſtificatiónes tuas doce me.

Servus tuus ſum ego; * da mihi intelléctum, ut ſciam teſtimónia tua.

Tempus faciéndi, Dómine; * diſſipavérunt legem tuam.

Ideò diléxi mandáta tua,* ſuper aurum & topázion.

Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar;* omnem viam iníquam ódio hábui.

AD NONAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium meum, &c.

HYMNUS.

PRONO volútus ímpetu,
Inclínat in noctem dies;
Sic vita ſuprémam cito
Feſtínat ad metam gradu.
O CHRISTE, dum fixus cruci,
Expándis orbi bráchia,
Amáre da crucem, tuo
Da nos in ampléxu mori.

Ante Paſcha.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Concéde, ſimplex Unitas,
Ut fructuóſa ſint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

Tempore Paſchali.

DA, Chriſte, nos tecum mòri:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.
SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Si quando alia dicenda ſit Doxologia; notatur in ſuis locis.

Ant. Capit. ℟. *breve, &* ℣. *habentur in Proprio de Tempore. Et ſic aliis diebus.*

Octava diviſio Pſal. 118.

MIrabília teſtimónia tua: * ídeò ſcrutáta eſt ea ánima mea.

Declarátio ſermónum tuórum illúminat; * & intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, & attráxi ſpíritum: * quia mandáta tua deſiderábam.

Aſpice in me, & miſerére meî, * ſecúndùm judícium diligéntium nomen tuum.

Greſſus meos dírige ſecúndùm elóquium tuum; * & non dominétur meî omnis injuſtítia.

Rédime me à calúmniis

hóminum, * ut cuſtódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina ſuper ſervum tuum, * & doce me juſtificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non cuſtodiérunt legem tuam.

Juſtus es, Dómine, * & rectum judícium tuum.

Mandáſti juſtítiam teſtimónia tua; * & veritátem tuam nimis.

Tabéſcere me fecit zelus meus; * quia oblíti ſunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter; * & ſervus tuus diléxit illud.

Adoleſcéntulus ſum ego, & contémptus; * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

Juſtítia tua, juſtítia in ætérnum; * & lex tua véritas.

Tribulátio & angúſtia invenérunt me; * mandáta tua meditátio mea eſt.

Æquitas teſtimónia tua in ætérnum; * intelléctum da mihi, & vivam.

Nona diviſio Pſal. 118.

CLamávi in toto corde meo, exaúdi me, Dómine; * juſtificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, ſalvum me fac, * ut cuſtódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, & clamávi; * quia in verba tua ſuperſperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo, * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi ſecúndùm miſericórdiam tuam, Dómine; * & ſecúndùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt perſequéntes me iniquitáti; * à lege autem tua longè facti ſunt.

Propè es tu, Dómine; * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de teſtimóniis tuis; * quia in ætérnum fundáſti ea.

Vide humilitátem meam & éripe me; * quia legem tuam non ſum oblítus.

Judíca judícium meum, & rédime me: * propter elóquium tuum vivífica me.

Longè à peccatóribus ſalus; * quia juſtificatiónes tuas non exquiſiérunt.

Miſericórdiæ tuæ multæ, Dómine; * ſecúndùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui perſequúntur me, & tríbulant me; * à teſtimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, & tabeſcébam; * quia elóquia tua non cuſtodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi, Dómine; * in miſericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas; * in ætérnum ómnia judícia juſtítiæ tuæ.

Decima diviſio Pſal. 118.

PRíncipes perſecúti ſunt me gratìs, * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego ſuper elóquia tua; * ſicut qui invénit ſpólia multa.

Iniquitátem ódio hábui,

& abominátus ſum; * legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi, * ſuper judícia juſtítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam; * & non eſt illis ſcándalum.

Expectábam ſalutáre tuũ, Dómine; * & mandáta tua diléxi.

Cuſtodívit ánima mea teſtimónia tua, * & diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua & teſtimónia tua; * quia omnes viæ meæ in conſpéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conſpéctu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuum da mihi intelléctum.

Intret poſtulátio mea in cõnſpéctu tuo: * ſecúndùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cùm docúeris me juſtificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum, * quia ómnia mandáta tua æ̃quitas.

Fiat manus tua ut ſalvet me; * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi ſalutáre tuum, Dómine; * & lex tua meditátio mea eſt.

Vivet ánima mea, & laudábit te; * & judícia tua adjuvábunt me.

Errávi ſicut ovis quæ périit; * quære ſervum tuum, *quia mandáta* tua non ſum *oblítus.*

AD VESPERAS.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium meum, &c.

Ant. Capit. Hymn. & ℣. *habentur in Proprio de Tempore. Et ſic aliis diebus.*

PSALMUS 109.

Chriſti divinitas, regnum & ſacerdotium.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos * ſcabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * dominàre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in ſplendóribus ſanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es ſacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ ſuæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquaſſábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet; * proptéreà exaltábit caput.

PSALMUS 110.

Laus Deo ob ſua per Chriſtum beneficia.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * in concílio juſtórum & congregatióne.

Magna ópera Dómini, * exquisita in omnes voluntátes ejus.

Conféſſio & magnificéntia opus ejus; * & juſtítia ejus manet in séculum séculi.

Memóriam fecit mirabílium ſuórum miséricors & miſerátor Dóminus; * eſcam dedit timéntibus ſe.

Memor erit in séculum teſtaménti ſui: * virtútem óperum ſuórum annuntiábit pópulo ſuo;

Ut det illis hæreditátem géntium: * ópera mánuum ejus véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in séculum séculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem miſit pópulo ſuo; * mandávit in ætérnum teſtaméntum ſuũ.

Sanctum & terríbile nomen ejus: * inítium ſapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in séculum séculi.

P s a l m u s 111.

Chriſti & omnium in Chriſto juſtorum encomium.

BEátus vir qui timet Dóminum; * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit ſemen ejus: * generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus: * & juſtítia ejus manet in séculum séculi.

*Exórtum eſt in ténebris lumen rectis, * miséricors,* & miſerátor, & juſtus.

Jucúndus homo qui miſerétur, & cómmodat; diſpónet ſermónes ſuos in judicio; * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit juſtus, * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus ſperáre in Dómino; * confirmátum eſt cor ejus; non commovébitur donec deſpíciat inimícos ſuos.

Diſpérſit, dedit paupéribus; * juſtítia ejus manet in séculum séculi; cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, & iraſcétur; déntibus ſuis fremet, & tabéſcet: * deſidérium peccatórum períbit.

P s a l m u s 112.

Dei laus, ob fidelium per Chriſtum exaltationem & multiplicationem.

LAudáte, púeri, Dóminum; * laudáre nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum; * ex hoc, nunc, & uſque in séculum.

A ſolis ortu uſque ad occáſum, * laudábile nomen Dómini.

Excélſus ſuper omnes gentes Dóminus, * & ſuper cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter, * qui in altis hábitat, & humília réſpicit in cœlo & in terra?

Súſcitans à terra ínopem, * & de ſtércore érigens páuperem.

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli ſui;

Qui habitáre facit ſtérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

PSALMUS 113.

Eccleſiæ per Chriſtum liberatio: idolorum vanitas.

IN éxitu Iſraël de Ægýpto, * domûs Jacob de pópulo bárbaro,

Facta eſt Judæa ſanctificátio ejus, * Iſraël potéſtas ejus.

Mare vidit, & fugit: * Jordánis convérſus eſt retrórsùm.

Montes exultavérunt ut aríetes, * & colles ſicut agni óvium.

Quid eſt tibi, mare, quòd fugíſti? * & tu, Jordánis, quia convérſus es retrórsùm?

Montes, exultáſtis ſicut aríetes? * & colles, ſicut agni óvium?

A fácie Dómini mota eſt terra, * à fácie Dei Jacob,

Qui convértit petram in ſtagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis, * ſed nómini tuo da glóriam, ſuper miſericórdia tua & veritáte tua;

Nequándo dicant gentes: * Ubi eſt Deus eórum?

Deus autem noſter in cœlo; * ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Simulácra géntium, argéntum & aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, & non loquéntur: * óculos habent, & non vidébunt:

Aures habent, & non aúdient: * nares habent, & non odorábunt:

Manus habent, & non palpábunt: pedes habent, & non ambulábunt: * non clamábunt in gútture ſuo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Iſraël ſperávit in Dómino; * adjútor eórum, & protéctor eórum eſt.

Domus Aaron ſperávit in Dómino; * adjútor eórum & protéctor eórum eſt.

Qui timent Dóminum, ſperavérunt in Dómino; * adjútor eórum, & protéctor eórum eſt.

Dóminus memor fuit noſtrî, * & benedíxit nobis.

Benedíxit dómui Iſraël, * benedíxit dómui Aaron.

Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum, * puſíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus ſuper vos, * ſuper vos, & ſuper filios veſtros.

Benedícti vos à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Cœlum cœli Dómino; * terram autem dedit filiis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine, * neque omnes qui deſcéndunt in inférnum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus

benedícimus Dómino, * ex hoc, nunc, & uſque in ſéculum.

Ad Magníficat. *Antiphona habetur in Proprio de Tempore.*

CANTICUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Luc. c. 1. *v.* 46. *ad* 55.

Dei laus ob incarnati Verbi Myſterium.

MAgníficat * ánima mea Dóminum;

Et exultávit ſpíritus meus* in Deo ſalutári meo;

Quia reſpéxit humilitátem ancíllæ ſuæ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes;

Quia fecit mihi magna qui potens eſt; * & ſanctum nomen ejus:

Et miſericórdia ejus, à progénie in progénies, * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio ſuo; * diſpérſit ſupérbos mente cordis ſui.

Depóſuit poténtes de ſede; * & exaltávit húmiles.

Eſuriéntes implévit bonis; * & dívites dimíſit inánes.

Suſcépit Iſraël púerum ſuum, * recordátus miſericórdiæ ſuæ.

Sicut locútus eſt ad patres noſtros, * Abraham, & sémini ejus, in sécula.

Glória Patri.

Deinde Antiphona, & Oratio conveniens.

Si qua Commemoratio occurrat, hoc loco fit, eo modo qui deſcribitur in Rubricis.

Deinde: Dóminus vobíscum. Benedicámus, &c.

AD COMPLETORIUM.

Si ſeparetur à Veſperis, dicitur: Pater. Ave. *ſecretò.*

COnvérte nos, Deus ſalutáris noſter; ℟. Et avérte iram tuam à nobis. *Pſ.* 84. 5.

℣. Deus, in adjutórium meum, &c.

PSALMUS 4.

In Deo fidelium ſpes & requies.

CUm invocárem, exaudívit me Deus juſtítiæ meæ: * in tribulatióne dilatáſti mihi.

Miſerére meî, * & exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úſquequò gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quærítis mendácium?

Et ſcitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum ſuum; * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Iraſcímini, & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus veſtris, in cubílibus veſtris compungímini.

Sacrificáte ſacrifícium juſtítiæ, & ſperáte in Dómino. * Multi dicunt: Quis oſténdit nobis bona?

Signátum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Dómine: * dedíſti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei ſui, * multiplicáti ſunt.

*...in idípſum dórmiam & requiéſcam: * Quóniam tu, Dómine, * ſinguláriter in ſpe conſtituíſti me.*

P S A L M U S 90.
Sub Dei tutéla nihil per diem vel noctem timendum.

Qui hábitat in adjutório Altíſſimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino: Suſcéptor meus es tu, & refúgium meum; * Deus meus, ſperábo in eum.

Quóniam ipſe liberávit me de láqueo venántium, * & à verbo áſpero.

Scápulis ſuis obumbrábit tibi; * & ſub pennis ejus ſperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus; * non timébis à timóre noctúrno,

A ſagítta volánte in die, à negótio perambulánte in ténebris, * ab incúrſu, & dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis; * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis conſiderábis, * & retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, ſpes mea: * Altíſſimum poſuíſti refúgium tuum;

Non accédet ad te malum, * & flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo:

Quóniã Angelis ſuis mandávit de te, * ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis:

In mánibus portábunt te, * ne fortè offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áſpidem & baſilíſcum ambulábis, * & conculcábis leónem & dracónem.

Quóniam in me ſperávit, liberábo eum; * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me; * & ego exaúdiam eum;

Cum ipſo ſum in tribulatióne; * erípiam eum, & glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum, * & oſténdam illi ſalutáre meum.

P S A L M U S 133.
Deus die & nocte benedicendus.

Ecce nunc benedícite Dóminum, * omnes ſervi Dómini,

Qui ſtatis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri.

In nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta; * & benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cœlum & terram.

Ad Nunc dimíttis, *Ant. habetur in Proprio de Tempore.*

CANTICUM SIMEONIS.
Luc. c. 2. v. 29. ad 32.
De Salvatoris adventu gratiarum actio.

Nunc dimíttis ſervum tuum, Dómine, * ſecúndùm verbum tuum, in pace.

Quia vidérunt óculi mei * Salutáre tuum,

Quod paráſti, * ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Iſraël.

Glória Patri.

Deinde Ant. Orat. &c. ut in Proprio de Tempore. Et ſic aliis diebus.

FERIA SECUNDA,
AD OFFIC. NOCTURN.

Pater. Ave. Credo.

DOmine, lábia mea apéries, &c. *ut ſuprà p. 1. Et ſic aliis diebus.*

IN I. NOCTURNO.

PSALMUS 8.

Mundus Verbo Dei creatus & redemptus.

DOmine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

Quóniam eleváta eſt magnificéntia tua * ſuper cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfeciſti laudem propter inimícos tuos, * ut déſtruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & ſtellas quæ tu fundáſti.

Quid eſt homo, quòd memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam víſitas eum?

Minuíſti eum paulò minùs ab Angelis, * glóriâ & honóre coronáſti eum, & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum.

Omnia ſubjecíſti ſub pédibus ejus, * oves & boves univérſas, inſuper & pécora campi;

Vólucres cœli, * & piſces maris, qui perámbulant ſémitas maris.

Dómine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

PSALMUS 32.

Dei laus ob mundi, per Dei Verbum, creationem & redemptionem.

EXultáte, juſti, in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara: * in pſaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum; * benè psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum eſt verbum Dómini: * & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit miſericórdiam & judícium: * miſericórdiâ Dómini plena eſt terra.

Verbo Dómini cœli firmáti ſunt, * & ſpíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans ſicut in utre aquas maris, * ponens in theſaúris abyſſos.

Tímeat Dóminum omnis terra: * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipſe dixit, & facta ſunt; * ipſe mandávit, & creáta ſunt.

Dóminus diſſipat consília géntium; * réproba autem cogitatiónes populó

rum, & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatióne & generatiónem.

Diviſio Pſalmi 32.

BEáta gens cujus eſt Dóminus Deus ejus, * pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi.

De cœlo reſpéxit Dóminus; * vidit omnes filios hóminum.

De præparáto habitáculo ſuo, * reſpéxit ſuper omnes qui hábitant terram.

Qui finxit ſingillátim corda eórum; * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non ſalvátur rex per multam virtútem; * & gigas non ſalvábitur in multitúdine virtútis ſuæ.

Fallax equus ad ſalútem; * in abundántia autem virtútis ſuæ non ſalvábitur.

Ecce óculi Dómini ſuper metuéntes eum, * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus;

Ut éruat à morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

Anima noſtra ſúſtinet Dóminum; * quóniam adjútor & protéctor noſter eſt;

Quia in eo lætábitur cor noſtrum, * & in nómine ſancto ejus ſperávimus.

*Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, ** quemádmodum ſperávimus in te.

IN II. NOCTURNO.

PSALMUS 101.

Eccleſia, inter hujus mundi adverſa, ſpes in Dei Verbo, per quod omnia facta ſunt.

DOmine, exaúdi oratiónem meam, * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me; * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exaúdi me.

Quia defecérunt ſicut fumus dies mei, * & oſſa mea ſicut crémium aruérunt.

Percúſſus ſum ut fœnum, & áruit cor meum, * quia oblítus ſum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhǽſit os meum carni meæ.

Símilis factus ſum pelicáno ſolitúdinis; * factus ſum ſicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus ſũ ſicut paſſer ſolitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, advérsùm me jurábant:

Quia cínerem tanquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miſcébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinavérunt; * & ego ſicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes, * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Diviſio Pſalmi 101.

TU exúrgens, [Dómine], miſeréberis Sion; * quia tempus miſeréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt ſervis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miſerebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dôminus Sion; * & vidébitur in glória ſua.

Reſpéxit in oratiónem humílium, * & non ſprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera, * & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum;

Quia proſpéxit de excélſo ſancto ſuo: * Dóminus de cœlo in terram aſpéxit;

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut sólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúſalem;

In conveniéndo pópulos in unum, & reges; * ut sérviant Dómino.

Reſpóndit ei in via virtútis ſuæ: * Paucitátem diérum meórũ núntia mihi:

Ne révoces me in dimídio diérum meórum: * *in generatiónem & generatiónem anni tui.*

Altera diviſio Pſal. 101.

INítio tu, Dómine, terram fundáſti, * & ópera mánuum tuárum ſunt cœli.

Ipſi períbunt; tu autem pérmanes; * & omnes ſicut veſtiméntum veteráſcent:

Et ſicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur; * tu autem idem ipſe es, & anni tui non defícient.

Fílii ſervórum tuórum habitábunt; * & ſemen eórum in ſéculum dirigétur.

IN III. NOCTURNO.

PSALMUS 103.

Deus ob multiplicia naturæ & gratiæ miracula benedicendus.

BEnedic, ánima mea, Dómino: * Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confeſſiónem & decórem induíſti, * amíctus lúmine ſicut veſtiménto;

Exténdens cœlum ſicut pellem; * qui tegis aquis ſuperióra ejus:

Qui ponis nubem aſcénſum tuum; * qui ámbulas ſuper pennas ventórum;

Qui facis Angelos tuos ſpíritus, * & miníſtros tuos ignem uréntem;

Qui fundáſti terram ſuper ſtabilitátem ſuam, * non inclinábitur in ſéculum ſéculi.

Abýſſus, ſicut veſtiméntum amíctus ejus; * ſuper montes ſtabunt aquæ.

Ad increpatióne tua fu-

gient; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Aſcéndunt montes, & deſcéndunt campi, * in locum quem fundáſti eis.

Términum poſuíſti quem non tranſgrediéntur; * neque convertántur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus; * inter médium móntiũ pertransíbunt aquæ:

Potábunt omnes béſtiæ agri: * expectábunt ónagri in ſiti ſua.

Super ea vólucres cœli habitábunt, * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de ſuperióribus ſuis; * de fructu óperum tuórum ſatiábitur terra.

Prodúcens fœnum juméntis, * & herbam ſervitúti hóminum,

Ut edúcas panem de terra, * & vinum lætíficet cor hóminis;

Ut exhílaret fáciem in óleo, * & panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, * & cedri Líbani quas plantávit:

Illic páſſeres nidificábunt; * heródii dómus dux eſt eórum.

Montes excélſi cervis, * petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora: * ſol cognóvit occáſum ſuum.

Poſuíſti ténebras, & facta eſt nox; * in ipſa pertransíbunt omnes béſtiæ ſylvæ.

Cátuli leónum rugiéı ut rápiant, * & quæra Deo eſcam ſibi.

Ortus eſt ſol, & con gáti ſunt, * & in cubili ſuis collocabúntur.

Exíbit homo ad c ſuum, * & ad operatióı ſuam uſque ad véſperu

Diviſio Pſal. 103.

QUàm magnificáta ópera tua, Dómi ómnia in ſapiéntia fecíſt impléta eſt terra poſſeſſ tuá.

Hoc mare magnum ſpatióſum mánibus: * reptília quorum non númerus, animália pu cum magnis.

Illic naves pertransíbu draco iſte quem formáſ illudéndum ei.

Omnia à te expéctant des illis eſcam in témpc

Dante te illis, c gent; * aperiénte te ma tuam, ómnia implebú bonitáte.

Averténte autem te ciem, turbabúntur; * feres ſpíritum eórum deficient, & in púlv ſuum reverténtur.

Emíttes ſpíritum tu & creabúntur; * & novábis fáciem terræ.

Altera diviſio Pſal. 1

SIt glória Dómin ſéculum; * lætál Dóminus in opéribus

Qui réſpicit terram facit eam trémere; * tangit montes, & fumi

Cantábo Dómino i

mea, * pſallam Deo meo quándiu ſum.

Jucúndum ſit ei elóquium meum; * ego verò delectábor in Dómino.

Deficiant peccatóres à terra & iníqui, ità ut non ſint: * bénedic, ánima mea, Dómino.

Poſt. ℣. *dicitur.* Pater. *ſecretò.* Et ne nos indúcas, &c. *ut ſuprà.*

Benedictiones ut ordinantur poſt Pſalterium.

Lectiones cum ℟℟℟. *ut in Proprio de Tempore. Et ſic in ſequentibus Feriis.*

Non dicitur: Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis, ut in Proprio de Tempore.*

℣. Deus, in adjutórium.

PSALMUS 18.

Mundi & Eccleſiæ, legis & Evangelii commendatio.

CŒli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat ſciéntiã.

Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit ſonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In ſole póſuit tabernáculum ſuum, * & ipſe tanquam ſponſus procédens de thálamo ſuo.

Exultávit ut gigas ad *currendam viam:* * *à ſummo cœlo egréſſio ejus;*

Et occúrſus ejus uſque ad ſummum ejus; * nec eſt qui ſe abſcóndat à calóre ejus.

Diviſio Pſalmi 18.

LEx Dómini immaculáta, convértens ánimas: * teſtimónium Dómini fidéle, ſapiéntiã præſtans párvulis.

Juſtítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini ſanctus, pérmanens in séculum séculi: * judícia Dómini vera, juſtificáta in ſemetípſa.

Deſiderabília ſuper aurum & lápidem pretióſum multum; * & dulcióra ſuper mel & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtódit ea: * in cuſtodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me, & ab aliénis parce ſervo tuo.

Si meî non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei in conſpéctu tuo ſemper.

Dómine adjútor meus, * & redémptor meus.

PSALMUS 135.

Miſericordia Creatoris & Redemptoris, ob multa in populum ſuum beneficia, celebratur.

COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum ; * confitémini Dómino dominórum ;

Qui facit mirabilia magna ſolus ; * qui fecit cœlos in intelléctu ;

Qui firmávit terram ſuper aquas ; * qui fecit luminária magna ;

Solem in poteſtátem diéi, * lunam & ſtellas in poteſtátem noctis ;

Qui percúſſit Ægýptum * cum primogénitis eórum ;

Qui edúxit Iſraël de médio eórum , * in manu poténti , & bráchio excélſo ;

Qui divíſit mare rubrum in diviſiónes , * & edúxit Iſraël per médium ejus ;

Et excúſſit Pharaónem , & virtútem ejus , * in mari rubro ;

Qui tradúxit pópulum ſuum per desértum ; * qui percúſſit reges magnos ;

Et occídit reges fortes , * Sehon regem Amorrhæórum , & Og regem Baſan :

Et dedit terram eórum hæreditátem , * hæreditátem Iſraël ſervo ſuo :

Quia in humilitáte noſtra memor fuit noſtrî , * & redémit nos ab inimícis noſtris ;

Qui dat eſcam omni carni , * confitémini Deo cœli.

Confitémini Dómino dominórum , * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Hîc dicitur Canticum.

PSALMUS 148.

Omnium creaturarum ad Deum laudandum invitatio.

LAudáte Dóminum de cœlis ; * laudáte eum in excélſis :

Laudáte eum , omnes Angeli ejus ; * laudáte eum , omnes virtútes ejus :

Laudáte eum , ſol & luna ; * laudáte eum , omnes ſtellæ & lumen :

Laudáte eum , cœli cœlórum ; * & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt , laudent nomen Dómini.

Quia ipſe dixit , & facta ſunt : * ipſe mandávit , & creáta ſunt.

Státuit ea in ætérnum , & in séculum séculi : * præcéptum póſuit , & non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra , * dracónes & omnes abýſſi ;

Ignis , grando , nix , glácies , ſpíritus procellárum , * quæ fáciunt verbum ejus.

Montes & omnes colles , * ligna fructífera , & omnes cedri.

Béſtiæ & univérſa pécora , * ſerpéntes & vólucres pennátæ.

Reges terræ , & omnes pópuli , * príncipes , & omnes júdices terræ.

Júvenes & vírgines , ſenes cum junióribus laudent nomen Dómini , * quia exaltátum eſt nomen ejus ſolius.

Confeſſio ejus ſuper cœ-

lum & terram: * & exaltávit cornu pópuli ſui.

Hymnus ómnibus ſanctis ejus, * fíliis Iſraël, pópulo appropinquánti ſibi.

AD PRIMAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus. Jam lucis orto ſídere. *Suprà* p. 11. *Et ſic aliis diebus.*

PSALMUS 81.

Diis terræ excelſior Deus, omnium Creator & Judex.

DEus ſtetit in ſynagóga deórum; * in médio autem deos dijúdicat.

Uſquequò judicátis iniquitátem, * & fácies peccatórum ſúmitis?

Judicáte egéno & pupíllo; * húmilem & paúperem juſtificáte.

Erípite paúperem, * & egénum de manu peccatóris liberáte.

Neſciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant: * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi: Dii eſtis, * & filii Excélſi omnes.

Vos autem ſicut hómines moriémini, * & ſicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram; * quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

PSALMUS 89.

Inter hujus mundi viciſſitudines & adverſa, ſpes in Deo æterno collocanda.

DOmine, *refúgium factus es nobis,* * *à generatióne in generatiónem.*

Priúſquàm montes fierent, aut formarétur terra & orbis, * à ſéculo & uſque in ſéculum tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem; * & dixíſti: Convertímini, filii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tanquam dies heſtérna quæ prætériit, & cuſtódia in nocte.

Quæ pro níhilo habéntur, * eórum anni erunt.

Manè ſicut herba tránſeat; manè flóreat & tránſeat; * véſpere décidat, indúret, & aréſcat.

Quia defécimus in ira tua, * & in furóre tuo turbáti ſumus.

Poſuíſti iniquitátes noſtras in conſpéctu tuo, * ſéculum noſtrum in illuminatióne vultûs tui.

Quóniam omnes dies noſtri defecérunt, * & in ira tua defécimus.

Anni noſtri ſicut aránea meditabúntur: * dies annórum noſtrórum, in ipſis ſeptuagínta anni.

Si autem in potentátibus, octogínta anni; * & ámpliùs eórum, labor & dolor.

Quóniam ſupervénit manſuetúdo, * & corripiémur.

Quis novit poteſtátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam ſic notam fac; * & erudítos corde in ſapiéntia.

Diviſio Pſalmi 89.

COnvértere, Dómine, úſquequò? * & deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos.

Repléti ſumus manè miſericórdiâ tuâ; * & exultávimus, & delectáti ſumus ómnibus diébus noſtris.

Lætáti ſumus pro diébus quibus nos humiliáſti, * annis quibus vídimus mala.

Réſpice in ſervos tuos, & in ópera tua; * & dírige fílios eórum.

Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, * & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige.

AD TERTIAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus. O fons amóris Spíritus. *Suprà* p. 16. *Et ſic aliis diebus.*

PSALMUS 73.

Inter hujus mundi calamitates, refugium noſtrum in Deo omnium Creatore.

UT quid, Deus, repulíſti in finem? * irátus eſt furor tuus ſuper oves páſcuæ tuæ?

Memor eſto congregatiónis tuæ, * quam poſſedíſti ab inítio.

Redemíſti virgam hæreditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitáſti in eo.

Leva manus tuas in ſupérbias eórum in finem: * quanta malignátus eſt inimícus in ſancto!

Et gloriáti ſunt qui odérunt te, * in médio ſolemnitátis tuæ.

Poſuérunt ſigna ſua, ſigna, & non cognovérunt, * ſicut in éxitu ſuper ſummum.

Quaſi in ſylva lignórum ſecúribus excidérunt jánuas ejus in idípſum; * in ſecúri & áſcia dejecérunt eam.

Incendérunt igni ſanctuárium tuum: * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde ſuo cognátio eórum ſimul: * Quiéſcere faciámus omnes dies feſtos Dei à terra.

Signa noſtra non vídimus; jam non eſt prophéta; * & nos non cognóſcet ámpliùs.

Uſquequò, Deus, improperábit inimícus? * irrítat adverſárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam, & déxteram tuam, * de médio ſinu tuo in finem?

Deus autem rex noſter ante ſécula, * operátus eſt ſalútem in médio terræ.

Diviſio Pſalmi 73.

TU confirmáſti in virtúte tua mare; * contribuláſti cápita dracónum in aquis.

Tu confregíſti cápita dracónis, * dedíſti eum eſcam pópulis Æthíopum.

Tu dirupíſti fontes &

torréntes ; * tu ſiccáſti flúvios Ethan.

Tuus eſt dies, & tua eſt nox ; * tu fabricátus es auróram & ſolem.

Tu fecíſti omnes términos terræ ; * æſtátem & ver tu plaſmáſti ea.

Memor eſto hujus, inimícus improperávit Dómino ; * & pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi, * & ánimas paúperum tuórum ne oblivíſcáris in finem.

Réſpice in teſtaméntum tuum ; * quia repléti ſunt, qui obſcuráti ſunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúſus : * pauper & inops laudábunt nomen tuū.

Exúrge, Deus, júdica cauſam tuam ; * memor eſto improperiórum tuórum, eórum quæ ab inſipiénte ſunt totâ die.

Ne oblivíſcáris voces inimicórum tuórum : * ſupérbia eórum qui te odérunt, aſcéndit ſemper.

P S A L M U S 95.

Super omnes gentes regnat Chriſtus, per quem cœli facti ſunt.

CAntáte Dómino cánticum novum, * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus ; * annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus.

*Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómni*bus pópulis mirabília ejus :

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis ; * terríbilis eſt ſuper omnes deos :

Quóniam omnes dii géntium, dæmónia ; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféſſio & pulchritúdo in conſpéctu ejus : * ſanctimónia & magnificéntia in ſanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam & honórem ; * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóſtias, & introíte in átria ejus ; * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérſa terra ; * dícite in géntibus : Quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, & exúltet terra, commoveátur mare, & plenitúdo ejus ; * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis ſunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna ſylvárum à fácie Dómini, quia venit, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte ſua.

A D S E X T A M.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium

Hymnus. Jam ſolis aúreum jubar. *Suprà*, p. 18. *Et ſic aliis diebus.*

PSALMUS 91.

Laudandus Deus, in operibus ſuis magnificus, juſtus in judiciis.

BOnum eſt confitéri Dómino, * & psállere nómini tuo, Altíſſime;

Ad annuntiándum manè miſericórdiam tuam, * & veritátem tuam per noctem.

In decachórdo pſaltério, * cum cántico in cíthara;

Quia delectáſti me, Dómine, in factúra tua, * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Diviſio Pſalmi 91.

QUàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine! * Nimis profúndæ factæ ſunt cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognóſcet, * & ſtultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fúerint peccatóres ſicut fœnum, * & apparúerint omnes qui operántur iniquitátem, ut intéreant in séculum séculi:

Tu autem Altíſſimus * in ætérnum, Dómine:

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt; * & diſpergéntur omnes qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur ſicut unicórnis cornu meum, * & ſenéctus mea in miſericórdia úberi.

Et deſpéxit óculus meus *inimícos meos; * & in* inſurgéntibus in me malignántibus aúdiet auris mea.

Juſtus ut palma florébit, * ſicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in ſenécta úberi, * & benè patiéntes erunt.

Ut annúntient quóniam rectus Dóminus Deus noſter, * & non eſt iníquitas in eo.

PSALMUS 96.

Chriſtus Rex, exaltatus ſuper omnes deos, ab Angelis adorandus.

DOminus regnávit, exúltet terra, * lætentur ínſulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus, * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant ſculptília, * & qui gloriántur in ſimulácris ſuis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta eſt Sion.

Et exultavérunt fíliæ Ju-

dæ, * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram: * nimis exaltátus es ſuper omnes deos.

Qui diligitis Dóminum, odíte malum: * cuſtódit Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta eſt juſto, * & rectis corde lætitia.

Lætámini, juſti, in Dómino, * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus.

AD NONAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus. Prono volútus ímpetu. *Suprà*, p. 20. *Et ſic aliis diebus.*

PSALMUS 102.

Deus ob immenſa in populum ſuum beneficia benedicendus.

BEnedic, ánima mea, Dómino; * & ómnia quæ intra me ſunt, nómini ſancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino, * & noli oblivíſci omnes retributiónes ejus;

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui ſanat omnes infirmitátes tuas;

Qui rédimit de intéritu vitam tuam, * qui corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus;

Qui replet in bonis deſidérium tuum, * renovábitur ut áquilæ *juvéntus tua.*

Fáciens miſericórdias Dóminus, * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias ſuas Móyſi, * filiis Iſraël voluntátes ſuas.

Diviſio Pſalmi 102.

MIſerátor & miſéricors Dóminus, * longánimis & multùm miséricors.

Non in perpétuum iraſcétur, * neque in ætérnum comminábitur.

Non ſecúndùm peccáta noſtra fecit nobis: * neque ſecúndùm iniquitátes noſtras retríbuit nobis:

Quóniam ſecúndùm altitúdinem cœli à terra, * corroborávit miſericórdiã ſuam ſuper timéntes ſe.

Quantùm diſtat ortus ab occidénte, * longè fecit à nobis iniquitátes noſtras.

Altera diviſio Pſal. 102.

QUómodo miſerétur pater filiórum, misértus eſt Dóminus timéntibus ſe; * quóniam ipſe cognóvit figméntum noſtrum.

Recordátus eſt quóniam pulvis ſumus; * homo, ſicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri ſic efflorébit.

Quóniam ſpíritus pertransíbit in illo, & non ſubſíſtet; * & non cognóſcet ámpliùs locum ſuum.

Miſericórdia autem Dómini ab ætérno, * & uſque in ætérnũ ſuper timéntes eũ.

Et juſtítia illíus in filios filiórum, * his qui ſervant teſtaméntum ejus;

Et mémores ſunt manda-

tórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit ſedem ſuam; * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem ſermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus, * miniſtri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus, in omni loco dominatiónis ejus: * bénedic, ánima mea, Dómino.

AD VESPERAS.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

PSALMUS 137.

Dei miſericordia & veritas in populum ſuum celebranda.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audíſti verba oris mei.

In conſpéctu Angelórum pſallam tibi; * adorábo ad templum ſanctum tuum;

Et confitébor nómini tuo ſuper miſericórdia tua & veritáte tua; * quóniam magnificáſti ſuper omne, nomen ſanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exaúdi me; * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna eſt glória Dómini;

Quóniam excélſus Dóminus, & humília réſpicit; * & alta à longè cognóſcit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis vivificábis me; * & ſuper iram inimicórum meórum extendíſti manum tuam, & ſalvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retribuet pro me: Dómine, miſericórdia tua in ſéculum; * ópera mánuum tuárum ne deſpícias.

PSALMUS 138.

Dei ubique præſentis, & omnia cognoſcentis, mirabilis ſcientia.

DOmine, probáſti me, & cognovíſti me; * tu cognovíſti ſeſſiónem meã, & reſurrectiónem meam.

Intellexíſti cogitatiónes meas de longè; * sémitam meam, & funículum meum inveſtigáſti;

Et omnes vias meas prævidíſti; * quia non eſt ſermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovíſti ómnia novíſſima & antíqua; * tu formáſti me & poſuíſti ſuper me manum tuã.

Mirábilis facta eſt ſciéntia tua ex me; * confortáta eſt, & non pótero ad eam.

Quò ibo à ſpíritu tuo? * & quò à fácie tua fúgiam?

Si aſcéndero in cœlum, tu illic es; * ſi deſcéndero in inférnum, ades.

Si súmpſero pennas meas

dilúculo, * & habitávero in extrémis maris:

Etenim illuc manus tuà dedúcet me, * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórſitan ténebræ conculcábunt me, * & nox illuminátio mea in delíciis meis;

Quia ténebræ non obſcurabúntur à te, & nox ſicut dies illuminábitur; * ſicut ténebræ ejus, ità & lumen ejus.

Quia tu poſſedíſti renes meos; * ſuſcepíſti me de útero matris meæ.

Diviſio Pſalmi 138.

CONfitébor tibi, [Dómine], quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognóſcit nimis.

Non eſt occultátum os meum à te, quod fecíſti in occúlto; * & ſubſtántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui; & in libro tuo omnes ſcribéntur; * dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus; * nimis confortátus eſt principátus eórum;

Dinumerábo eos, & ſuper arénam multiplicabúntur: * exurréxi, & adhuc ſum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres; * viri sánguinum, declináte à me.

Quia dícitis in *cogitatióne: * Accípient in vanitáte civitátes tuas.*

Nónne qui odérunt te, Dómine, óderam, * & ſuper inimícos tuos tabeſcébam?

Perfécto ódio óderam illos; * & inimíci facti ſunt mihi.

Proba me, Deus, & ſcito cor meum; * intérroga me, & cognóſce sémitas meas.

Et vide ſi via iniquitátis in me eſt; * & deduc me in via ætérna.

PSALMUS 143.

Chriſtus pro populo ſibi ſubdito gratias agit: Eccleſia ſibi opem poſtulat.

BEnedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * & dígitos meos ad bellum.

Miſericórdia mea, & refúgium meum; * ſuſcéptor meus, & liberátor meus;

Protéctor meus, & in ipſo ſperávi; * qui ſubdit pópulum meum ſub me.

Dómine, quid eſt homo, quia innotuíſti ei? * aut fílius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti ſímilis factus eſt; * dies ejus ſicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, & deſcénde; * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruſcatiónem, & diſſipábis eos; * emítte ſagíttas tuas, & conturbábis eos.

Emítte manum tuam de alto, éripe me, & líbera me de aquis multis, * d

manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum eſt vanitátem, * & déxtera eórum déxtera iniquitátis.

Ant. Inviſibília ipſíus, à creatúra mundi, per ea quæ facta ſunt, intelléćta, conſpiciúntur. *Rom.* 1. 20.

Ant. 4. A. In ipſo.

Diviſio Pſalmi 143.

DEus, cánticum novum cantábo tibi, * in pſaltério decachórdo pſallam tibi.

Qui das ſalútem régibus, * qui redemíſti David ſervum tuum de gládio malígno.

Eripe me, & érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum eſt vanitátem; * & déxtera eórum déxtera iniquitátis:

Quorum filii ſicut novéllæ plantatiónes, * in juventúte ſua:

Fíliæ eórum compóſitæ, * circumornátæ ut ſimilitúdo templi:

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud:

Oves eórum fœtóſæ, abundántes in egréſſibus ſuis; * boves eórum craſſæ:

Non eſt ruína macériæ, neque tránſitus, * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum cui hæc ſunt: * beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

AD COMPLETORIUM.

℣. Convérte nos, Deus.

℣. Deus, in adjutórium.

PSALMUS 6.

Fidelium inter mundi hujus calamitates gemitus & fiducia.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me; * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére meî, Dómine, quóniam infirmus ſum; * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: * ſed tu, Dómine, úſquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam; * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam.

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo: * lavábo per ſíngulas noctes lectum meum; lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam; * Dóminus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubéſcant, & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur, & erubéſcant valde velóciter.

PSALMUS 7.

Chriſti pro nobis patientis oratio: Gentium fides: Judæorum reprobatio.

DOmine Deus meus, in te ſperávi; * ſalvum me fac ex ómnibus perſequéntibus me, & líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam; * dum non eſt qui rédimat, neque qui ſalvum fáciat.

Dómine Deus meus, ſi feci iſtud; * ſi eſt iníquitas in mánibus meis;

Si réddidi retribuéntibus mihi mala; * décidam méritò ab inimícis meis inánis;

Perſequátur inimícus ánimam meam, & comprehéndat, & concúlcet in terra vitam meam; * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exúrge, Dómine, in ira tua; * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge, Dómine Deus meus, in præcépto quod mandáſti; * & ſynagóga populórum circúmdabit te:

Et propter hanc in altum regrédere; * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Dómine, ſecúndùm juſtítiam meam, * & ſecúndùm innocéntiam meam ſuper me.

Conſumétur nequítia peccatórum, & díriges juſtum; * ſcrutans corda & renes Deus.

Juſtum adjutórium meũ à Dómino * qui ſalvos facit rectos corde.

Diviſio Pſalmi 7.

DEus judex juſtus, fortis & pátiens; * numquid iráſcitur per ſíngulos dies?

Niſi convérſi fuéritis, gládium ſuum vibrábit: * arcum ſuum teténdit, & parávit illum:

Et in eo parávit vaſa mortis; * ſagíttas ſuas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injuſtítiam; * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum; * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus, in caput ejus; * & in vérticem ipſíus iníquitas ejus deſcéndet.

Confitébor Dómino ſecúndùm juſtítiam ejus; * & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

FERIA TERTIA,

AD OFFIC. NOCTURN.

IN I. NOCTURNO.

PSALMUS 61.

Fruſtrà oppugnatur, qui Deo ſubjectus, in ejus tutela manet.

NOnne Deo ſubjécta erit ánima mea? * ab ipſo enim ſalutáre meum.

Nam & ipſe Deus meus, & ſalutáris meus, ſuſcéptor meus; * non movébor ámpliùs.

Quoúſque irrúitis in hóminem? * interfícitis univérſi vos, tanquam paríeti inclináto, & macériæ depúlſæ?

manu f[illegible] [illegible] prétium
Qu[illegible] [illegible] cogitavérunt repél-
vanit[illegible] [illegible] in ſiti: * ore
rum [illegible] benedicébant, & corde
A[illegible] maledicébant.
cre[illegible] Verúmtamen Deo ſubjé-
fa[illegible] [illegible] eſto, ánima mea; *
pi[illegible] quóniam ab ipſo patiéntia
mea.

Quia ipſe Deus meus, & ſalvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo ſalutáre meum & glória mea; * Deus auxílii mei, & ſpes mea in Deo eſt.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda veſtra: * Deus adjútor noſter in ætérnum.

Verúmtamen vani filii hóminum, mendáces filii hóminum in ſtatéris; * ut decípiant ipſi de vanitáte in idípſum.

Nolíte ſperáre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíſcere: * divítiæ ſi áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus eſt Deus, duo hæc audívi; quia potéſtas Dei eſt; & tibi, Dómine, miſericórdia; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera ſua.

PSALMUS 79.

Miſeriarum finis per Chriſti adventum expoſtulatur.

QUi regis Iſraël, inténde, * qui dedúcis *velut ovem Joſeph:*

Qui ſedes ſuper Chérubim, * *manifeſtáre coram* Ephraïm, Bénjamin, & Manáſſe.

Excita poténtiam tuam, & veni; * ut ſalvos fácias nos:

Deus, convérte nos; * & oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus.

Dómine Deus virtútū, * quoúſque iraſcéris ſuper oratiónem ſervi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum; * & potum dabis nobis in lácrymis in menſúra?

Poſuíſti nos in contradictiónem vicínis noſtris; * & inimíci noſtri ſubſannavérunt nos.

Deus virtútum, convérte nos; * & oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus.

Diviſio Pſalmi 79.

VIneam de Ægýpto tranſtuliſti, [Dómine]; * ejeciſti gentes, & plantáſti eam.

Dux itíneris fuíſti in conſpéctu ejus; * plantáſti radíces ejus, & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus, * & arbúſta ejus cedros Dei.

Extendit pálmites ſuos uſque ad mare, * & uſque ad flumen propágines ejus.

Ut quid deſtruxíſti macériam ejus; * & vindémiant eam omnes qui prætergrediúntur viam?

Exterminávit eam aper de ſylva, * & ſingularis ferus depáſtus eſt eam.

Deus virtútum, convértere; * réſpice de cœlo, & vide, & víſita víneam iſtam;

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua: * & ſuper filium hóminis quem confirmáſti tibi:

Incénſa igni, & ſuffóſſa; * ab increpatióne vultûs tui peribunt.

Fiat manus tua ſuper virum déxteræ tuæ, * & ſuper filium hóminis quem confirmáſti tibi.

Et non diſcédimus à te: * vivificábis nos, & nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum, convérte nos; * & oſténde fáciem tuam; & ſalvi érimus.

IN II. NOCTURNO.

PSALMUS 104.

Beneficia Iſraëlitico populo collata celebrantur & enumerantur.

CONfitémini Dómino, & invocáte nomen ejus: * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & psállite ei; * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine ſancto ejus: * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quǽrite Dóminum, & confirmámini; * quǽrite fáciem ejus ſemper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, * prodígia *ejus, & judícia* oris *ejus.*

Semen Abraham, ſervi ejus; * filii Jacob, elécti ejus.

Ipſe Dóminus Deus noſter; * in univérſa terra judícia ejus.

Memor fuit in séculum teſtaménti ſui, * verbi quod mandávit in mille generatiónes,

Quod diſpóſuit ad Abraham, * & juraménti ſui ad Iſaac:

Et ſtátuit illud Jacob in præcéptum, * & Iſraël in teſtaméntum ætérnum,

Dicens: Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hæreditátis veſtræ.

Cùm eſſent número brevi, paucíſſimi, * & íncolæ ejus:

Et pertranſiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

Diviſio Pſalmi 104.

NOn relíquit [Dóminus] hóminem nocére eis, * & corrípuit pro eis reges:

Nolíte tángere chriſtos meos; * & in prophétis meis nolíte malignári:

Et vocávit famem ſuper terram; * & omne firmaméntum panis contrívit:

Miſit ante eos virum; * in ſervum venúmdatus eſt Joſeph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránſiit ánimam ejus; * donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dómini inflammávit eum; * miſit rex, & ſolvit eum; prin-

ceps populórum, & dimíſit eum.

Conſtítuit eum dóminum domûs ſuæ, * & príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ:

Ut erudíret príncipes ejus ſicut ſemetípſum, * & ſenes ejus prudéntiam docéret.

Et intrâvit Iſraël in Ægýptum; * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum ſuum veheménter; * & firmávit eum ſuper inimícos ejus.

Convértit cor eórum ut odírent pópulum ejus, * & dolum fácerent in ſervos ejus.

Miſit Móyſen ſervum ſuum, * Aaron quem elégit ipſum.

Pósuit in eis verba ſignórum ſuórum, * & prodigiórum in terra Cham.

Miſit ténebras & obſcurávit; * & non exacerbávit ſermónes ſuos.

Convértit aquas eórum in ſánguinem; * & occídit piſces eórum.

Edidit terra eórum ranas, * in penetrálibus regum ipſórum.

Dixit: & venit cænomýia & cíniphes, * in ómnibus finibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem; * ignem comburéntem in terra ipſórum.

Et percúſſit víneas eórum, & ficúlneas eórum; * & contrívit lignum fínium eórum.

Dixit: & venit locúſta & bruchus, * cujus non erat númerus.

Et comédit omne fœnum in terra eórum, * & comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percúſſit omne primogénitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto & auro; * & non erat in tríbubus eórum infírmus.

Altera diviſio Pſal. 104.

Lætáta eſt Ægýptus in profectióne eórum; * quia incúbuit timor eórum ſuper eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum, * & ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, & venit cotúrnix, * & pane cœli ſaturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ; * abiérunt in ſicco flúmina.

Quóniam memor fuit verbi ſancti ſui, * quod hábuit ad Abraham púerum ſuum:

Et edúxit pópulum ſuum in exultatióne, * & eléctos ſuos in lætítia:

Et dedit illis regiónes géntium; * & labóres populórum poſſedérunt,

Ut cuſtódiant juſtificatiónes ejus, * & legem ejus requírant.

IN III. NOCTURNO.

PSALMUS 105.

Bonitas Dei celebranda.

Iſraëliticus populus peccata ſua agnoſcens & recolens, ſalutem poſcit.

COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum miſericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus ?

Beáti qui cuſtódiunt judícium, & fáciunt juſtítiam, * in omni témpore.

Meménto noſtrî, Dómine, in beneplácito pópuli tui; * víſita nos in ſalutári tuo,

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándum in lætitia gentis tuæ; * ut laudéris cum hæreditáte tua.

Peccávimus cum pátribus noſtris, * injúſte égimus, iniquitátem fécimus.

Patres noſtri in Ægýpto non intellexérunt mirabília tua; * non fuérunt mémores multitúdinis miſericórdiæ tuæ:

Et irritavérunt aſcendéntes in mare, * mare rubrum:

Et ſalvávit eos propter nomen ſuum; * ut notam fáceret poténtiam ſuam:

Et increpuit mare rubrum, & exſiccátum eſt; * & dedúxit eos in abýſſis ſicut in deſérto:

*Et ſalvávit eos de manu odiéntium; * & redémit eos de manu inimíci.*

Et opéruit aqua tribulántes eos; * unus ex eis non remánſit.

Et crediderunt verbis ejus, * & laudavérunt laudem ejus.

Diviſio Pſalmi 105.

CItò fecérunt, oblíti ſunt óperum ejus, * & non ſuſtinuérunt consílium ejus:

Et concupiérunt concupiſcéntiam in deſérto; * & tentavérunt Deum in inaquóſo:

Et dedit eis petitiónem ipsórum, * & miſit ſaturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móyſen in caſtris, * Aaron ſanctum Dómini.

Apérta eſt terra, & deglutívit Dathan; * & opéruit ſuper congregatiónem Abíron:

Et exárſit ignis in ſynagóga eórum; * flamma combúſſit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb, * & adoravérunt ſcúlptile;

Et mutavérunt glóriam ſuam * in ſimilitúdinem vítuli comedéntis fœnum.

Oblíti ſunt Deum qui ſalvávit eos, * qui fecit magnália in Ægýpto, mirabília in terra Cham, terribília in mari rubro.

Et dixit ut diſpérderet eos, * ſi non Móyſes eléctus ejus ſteúſſet in confractióne in conſpéctu ejus;

Ut avérteret iram ejus, * ne diſpérderet eos.

Et pro níhilo habuérunt terram deſiderábilem ; * non credidérunt verbo ejus.

Et murmuravérunt in tabernáculis ſuis ; * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum ſuam ſuper eos, * ut proſtérneret eos in desérto,

Et ut dejíceret ſemen eórum in natiónibus, * & diſpérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti ſunt Beélphegor ; * & comedérunt ſacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus ſuis ; * & multiplicáta eſt in eis ruína.

Et ſtetit Phínees, & placávit ; * & ceſsávit quaſsátio.

Et reputátum eſt ei in juſtítiam, * in generatiónem & generatiónem, uſque in ſempitérnum.

Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis ; * & vexátus eſt Móyſes propter eos ;

Quia exacerbavérunt ſpíritum ejus ; * & diſtínxit in lábiis ſuis.

Altera diviſio Pſal. 105.

NOn diſperdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.

Et commíxti ſunt inter gentes, & didicérunt ópera eórum, & serviérunt ſculptílibus eórum ; * & *factum eſt illis* in ſcándalũ.

*Et immolavérunt fílios ſuos * & filias ſuas dæmóniis.*

Et effudérunt ſánguinem innocéntem, * ſánguinem filiórum ſuórum, & filiárum ſuárum quas ſacrificavérunt ſculptílibus Chánaan.

Et inféćta eſt terra in ſanguínibus, & contamináta eſt in opéribus eórum ; * & fornicáti ſunt in adinventiónibus ſuis.

Et irátus eſt furóre Dóminus in pópulum ſuum ; * & abominátus eſt hæreditátem ſuam.

Et trádidit eos in manus géntium ; * & domináti ſunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, & humiliáti ſunt ſub mánibus eórum : * ſæpè liberávit eos.

Ipſi autem exacerbavérunt eum in consílio ſuo, * & humiliáti ſunt in iniquitátibus ſuis.

Et vidit cùm tribularéntur, * & audívit oratiónem eórum.

Et memor fuit teſtaménti ſui, * & pœnítuit eum ſecúndùm multitúdinem miſericórdiæ ſuæ.

Et dedit eos in miſericórdias, * in conſpéćtu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noſter ; * & cóngrega nos de natiónibus :

Ut confiteámur nómini ſanćto tuo, * & gloriémur in laude tua.

Benedíćtus Dóminus Deus Iſraël à século, & uſque in

ſéculum: * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat.

Poſt. ℣. *dicitur* Pater noſter, &c. *ut ſuprà.*

AD LAUDES MATUTINAS.

PSALMUS 106.

Miſericordia Dei in populum ſuum celebranda ſub diverſis emblematibus deſcribitur.

CONfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

Dicant qui redémpti ſunt à Dómino, quos redémit de manu inimíci, * & de regiónibus congregávit eos,

A ſolis ortu & occáſu, * ab aquilóne & mari.

Erravérunt in ſolitúdine in inaquóſo, * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Eſuriéntes & ſitiéntes, * ánima eórum in ipſis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de neceſſitátibus eórum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus filiis hóminum:

Quia ſatiávit ánimam inánem, * & ánimam eſuriéntem ſatiávit bonis.

*Sedéntes in ténebris & umbra mortis, * vinctos in mendicitáte & ferro,*

*Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & conſilium Altíſſimi irritavérunt;*

Et humiliátum eſt in labóribus cor eórum; * infirmáti ſunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de neceſſitátibus eórum liberávit eos;

Et edúxit eos de ténebris, & umbra mortis; * & víncula eórum diſrúpit.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus filiis hóminum:

Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit.

Diviſio Pſalmi 106.

SUſcépit eos [Dóminus] de via iniquitátis eórum; * propter injuſtítias enim ſuas humiliáti ſunt.

Omnem eſcam abomináta eſt ánima eórum, * & appropinquavérunt uſque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de neceſſitátibus eórum liberávit eos.

Miſit verbum ſuum, & ſanávit eos, * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus filiis hóminum.

Et ſacríficent ſacrificium laudis, * & annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui deſcéndunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis,

Ipſi vidérunt ópera Dó

mini, * & mirabília ejus in profúndo.

Dixit; & ſtetit ſpíritus procéllæ, * & exaltáti ſunt flúctus ejus:

Aſcéndunt uſque ad cœlos, & deſcéndunt uſque ad abýſſos; * ánima eórum in malis tabeſcébat:

Turbáti ſunt, & moti ſunt ſicut ébrius: * & omnis ſapiéntia eórum devoráta eſt.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de neceſſitátibus eórum edúxit eos:

Et ſtátuit procéllam ejus in auram; * & ſiluérunt flúctus ejus:

Et lætáti ſunt quia ſiluérunt; * & dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Et exáltent eum in eccléſia plebis, * & in cáthedra ſeniórum laudent eum.

Altera diviſio Pſal. 106.

POſuit [Dóminus] flúmina in deſértum; * & éxitus aquárum in ſitim;

Terram fructíferam in ſalsúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Póſuit deſértum in ſtagna aquárum, * & terram ſinè aqua in éxitus aquárum;

Et collocávit illic eſuriéntes; * & conſtituérunt civitátem habitatiónis;

Et ſeminavérunt agros, & plantavérunt víneas; * & fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, & multiplicáti ſunt nimis; * & juménta eórũ non minorávit.

Et pauci facti ſunt, * & vexáti ſunt à tribulatióne malórum, & dolóre.

Effúſa eſt contémptio ſuper príncipes; * & erráre fecit eos in ínvio, & non in via:

Et adjúvit paúperem de inópia, * & póſuit ſicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabúntur; * & omnis iníquitas oppilábit os ſuum.

Quis ſápiens, & cuſtódiet hæc? * & intélliget miſericórdias Dómini?

Hîc dicitur Canticum.

PSALMUS 134.

Deus ob univerſa in populum ſuum beneficia laudandus. Idolorum vanitas.

LAudáte nomen Dómini; * laudáte, ſervi, Dóminum.

Qui ſtátis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus; * psállite nómini ejus, quóniam ſuáve:

Quóniam Jacob elégit ſibi Dóminus, * Iſraël in poſſeſſiónem ſibi.

Quia ego cognóvi quòd magnus eſt Dóminus, * & Deus noſter præ ómnibus diis.

Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus fecit, * in cœlo & in terra, in mari & in ómnibus abýſſis.

Edúcens nubes ab extrémo

mo terræ, * fúlgura in plúviam fecit;

Qui prodúcit ventos de theſáuris ſuis; * qui percúſſit primogénita Ægýpti ab hómine uſque ad pecus.

Et miſit ſigna & prodígia in médio tuî, Ægýpte; * in Pharaónem, & in omnes ſervos ejus.

Qui percúſſit gentes multas; * & occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Baſan, * & ómnia regna Chánaan:

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátem Iſraël pópulo ſuo.

Dómine, nomen tuum in ætérnum; * Dómine, memoriále tuum in generatiónem & generatiónem;

Quia judicábit Dóminus pópulum ſuum, * & in ſervis ſuis deprecábitur.

Simulácra géntium argéntum & aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, & non loquéntur; * óculos habent, & non vidébunt;

Aures habent, & non aúdient; * neque enim eſt ſpíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confidunt in eis.

Domus Iſraël, benedícite Dómino; * domus Aaron, benedícite Dómino.

Domus Levi, benedícite Dómino; * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúſalem.

AD PRIMAM.

PSALMUS 9.

Eccleſia pro victoriis jam reportatis grates reddit, pro reportandis opem poſcit.

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te; * pſallam nómini tuo, Altíſſime.

In convertendo inimícum meum retrórsùm, * infirmabúntur, & períbunt à fácie tua.

Quóniam fecíſti judícium meum & cauſam meam: * ſediſti ſuper thronum, qui júdicas juſtítiam.

Increpáſti gentes, & périit ímpius: * nomen eórum deléſti in ætérnum, & in séculum séculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem; * & civitátes eórum deſtruxíſti.

Périit memória eórum cum sónitu; * & Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronū ſuum; * & ipſe judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in juſtítia.

Et factus eſt Dóminus refúgium paúperi, * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et ſperent in te, qui novérunt nomen tuum; *

quóniam non dereliquíſti quæréntes te, Dómine.

Psállite Dómino qui hábitat in Sion; * annuntiáte inter gentes ſtúdia ejus.

Quóniam requírens sánguinem, eórum recordátus eſt; * non eſt oblítus clamórem paúperum.

Diviſio Pſalmi 9.

MIſerére meî, Dómine: * vide humilitátem meam de inimícis meis,

Qui exáltas me de portis mortis, * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exultábo in ſalutári tuo: * infixæ ſunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo iſto quem abſcondérunt, * comprehénſus eſt pes eórum.

Cognoſcétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum ſuárum comprehénſus eſt peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum, * omnes gentes quæ oblivíſcúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit paúperis; * patiéntia paúperum non períbit in finem.

Exúrge, Dómine, non confortétur homo; * judicéntur gentes in conſpéctu tuo.

Conſtítue, Dómine, legiſlatórem ſuper eos; * ut ſciant gentes quóniam hómines ſunt.

Altera diviſio Pſalmi 9.
[*Secundùm Heb. Pſ.* 10.]

UT quid, Dómine, receſsíſti longè? * déſpicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum ſupérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in deſidériis ánimæ ſuæ; * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor, * ſecúndùm multitúdinem iræ ſuæ non quæret.

Non eſt Deus in conſpéctu ejus: * inquinátæ ſunt viæ illíus in omni témpore.

Auferúntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum ſuórum dominábitur.

Dixit enim in corde ſuo: * Non movébor à generatióne in generatiónem ſinè malo.

Cujus maledictióne os plenum eſt, & amaritúdine & dolo: * ſub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis; * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in paúperem reſpíciunt: * inſidiátur in abſcóndito, quaſi leo in ſpelúnca ſua;

Inſidiátur ut rápiat paúperem; * rápere paúperem dum áttrahit eum.

In láqueo ſuo humiliábit eum; * inclinábit ſe, & ca-

det cùm dominátus fúerit paúperum.

Dixit enim in corde ſuo: Oblítus eſt Deus: * avértit fáciem ſuam ne vídeat in finem.

Exúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua: * ne oblíviſcáris paúperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde ſuo: Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas, * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus eſt pauper: * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & malígni: * quærétur peccátum illíus, & non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, & in séculum séculi: * períbitis, gentes, de terra illíus.

Deſidérium paúperum exaudívit Dóminus: * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupíllo & húmili, * ut non appónat ultrà magnificáre ſe homo ſuper terram.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Pater.

PSALMUS 5.

Eccleſia à Deo ſummè juſto adversùs iniquos opem petit.

VErba mea aúribus pércipe, Dómine; * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo; * Dómine, manè exaúdies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo, * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus, * neque permanébunt injúſti ante óculos tuos.

Odíſti omnes qui operántur iniquitátem; * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolóſum * abominábitur Dóminus.

Ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum ſanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in juſtítia tua, propter inimícos meos: * dírige in conſpéctu tuo viam meam.

Quóniam non eſt in ore eórum véritas; * cor eórum vanum eſt.

Sepúlcrum patens eſt guttur eórum, linguis ſuis dolóſè agébant: * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis: * ſecúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos, quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui ſperant in te; * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum; * quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ, * coronáſti nos.

PSALMUS 33.

Deus ſemper benedicendus: non eſt inopia timentibus eum.

BEnedícam Dóminum in omni témpore; * ſemper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea; * aúdiant manſuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum, * & exaltémus nomen ejus in idípſum.

Exquiſívi Dóminum, & exaudívit me: * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini; * & fácies veſtræ non confundéntur.

Iſte pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum, * & de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, * & erípiet eos.

Guſtáte, & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus: * beátus vir qui ſperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes ſancti ejus; * quóniam non eſt inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & eſuriérunt; * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Diviſio Pſalmi 33.

VEníte, filii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis eſt homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo, * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perſéquere eam.

Oculi Dómini ſuper juſtos; * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini ſuper faciéntes mala; * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt juſti, & Dóminus exaudívit eos; * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxtà eſt Dóminus iis qui tribuláto ſunt corde; * & húmiles ſpíritu ſalvábit.

Multæ tribulatiónes juſtórum, * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Cuſtódit Dóminus ómnia oſſa eórum; * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péſſima: * & qui odérunt juſtum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas ſervórum ſuórum; * & non delínquent omnes qui ſperant in eo.

AD SEXTAM.

PSALMUS 56.

Chriſti pro nobis patientis oratio: Reſurrectio & Aſcenſio ejus prænuntiantur.

MIſerére meî, Deus, miſerére meî; * quóniam in te confídit ánima mea;

Et in umbra alárum tuárum ſperábo, * donec tránſeat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíſſimum, * Deum qui benefécit mihi.

Miſit de cœlo, & liberávit me; * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Miſit Deus miſericórdiam ſuam & veritátem ſuam; * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum; dormívi conturbátus.

Filii hóminum, dentes eórum arma & ſagíttæ, * & lingua eórũ gládius acútus.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus; * & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis, * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam, * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum; * cantábo & pſalmum dicam.

Exúrge, glória mea; exúrge, pſaltérium & cíthara; * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & pſalmum dicam tibi in géntibus.

Quóniam magnificáta eſt uſque ad cœlos miſericórdia tua, * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * & ſuper omnem terram glória tua.

PSALMUS 93.

Eccleſia inter hujus mundi procellas, auxilium petit à Deo ſuperborum everſore.

DEus ultiónum Dóminus, * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram, * redde retributiónem ſupérbis.

Uſquequò peccatóres, Dómine, * úſquequò peccatóres gloriabúntur?

Effabúntur & loquéntur iniquitátem, * loquéntur omnes qui operántur injuſtítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt; * & hæreditátem tuam vexavérunt:

Víduam & ádvenam interfecérunt, * & pupíllos occidérunt:

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, inſipiéntes in pópulo; * & ſtulti, aliquándo ſápite.

Qui plantávit aurem, non aúdiet? * aut qui finxit óculum, non consíderat?

Qui córripit gentes, non árguet? * qui docet hóminem ſciéntiam?

Dóminus ſcit cogitatió-

nes hóminum, * quóniam vanæ ſunt.

Diviſio Pſalmi 93.

BEátus homo quem tu erudíeris, Dómine, * & de lege tua docúeris eum;

Ut mítiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem ſuam, * & hæreditátem ſuam non derelínquet.

Quoadúſque juſtítia convertátur in judícium; * & qui juxta illam, omnes qui recto ſunt corde.

Quis consúrget mihi advérsùs malignántes? * aut quis ſtabit mecum advérsùs operántes iniquitátem?

Nisì quia Dóminus adjúvit me, * paulò minùs habitáſſet in inférno ánima mea.

Si dicébam: Motus eſt pes meus; * miſericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * conſolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhǽret tibi ſedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam juſti; * & sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus eſt mihi Dóminus in refúgium, * & Deus meus in adjutórium ſpei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum; & in malítia eórum diſpérdet eos; * diſpérdet illos Dóminus Deus noſter.

AD NONAM.

PSALMUS 43.

Eccleſia priora in ſe Dei beneficia recolens, poſterioráque exponens mala, opem ſibi à Deo poſcit.

DEus, aúribus noſtris audívimus, patres noſtri annuntiavérunt nobis opus, * quod operátus es in diébus eórum, & in diébus antíquis.

Manus tua gentes diſpérdidit, & plantáſti eos: * afflixíſti pópulos, & expulíſti eos.

Nec enim in gládio ſuo poſſedérunt terram, * & bráchium eórum non ſalvávit eos:

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui; * quóniam complacuíſti in eis.

Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, * qui mandas ſalútes Jacob.

In te inimícos noſtros ventilábimus cornu, * & in nómine tuo ſpernémus inſurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo ſperábo; * & gládius meus non ſalvábit me.

Salváſti enim nos de affligéntibus nos, * & odiéntes nos confudíſti.

Diviſio Pſalmi 43.

IN Deo laudábimur totâ die; * & in nómine tuo confitébimur in séculum.

Nunc autem repulíſti, & confudíſti nos; * & non

egrediéris, Deus, in virtútibus noſtris.

Avertíſti nos retrórsùm poſt inimícos noſtros; * & qui odérunt nos, diripiébant ſibi.

Dedíſti nos tanquam oves eſcárum; * & in géntibus diſpersíſti nos.

Vendidíſti pópulum tuum ſinè prétio; * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Poſuíſti nos oppróbrium vicínis noſtris; * ſubſannatiónem & deríſum his qui ſunt in circúitu noſtro.

Poſuíſti nos in ſimilitúdinem géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis.

Totâ die verecúndia mea contra me eſt, * & confúſio faciéi meæ coopéruit me.

A voce exprobrántis & obloquéntis, * à fácie inimíci & perſequéntis.

Hæc ómnia venérunt ſuper nos, nec oblíti ſumus te; * & iníquè non égimus in teſtaménto tuo:

Et non recéſſit retrò cor noſtrum, * & declináſti sémitas noſtras à via tua.

Quóniam humiliáſti nos in loco afflictiónis; * & coopéruit nos umbra mortis.

Altera diviſio Pſal. 43.

SI oblíti ſumus nomen Dei noſtri, * & ſi expándimus manus noſtras ad deum aliénum,

Nónne Deus requíret iſta? * ipſe enim novit abſcóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur totâ die, * æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis.

Exúrge, quare obdórmis, Dómine? * exúrge, & ne repéllas in ſinem.

Quare fáciem tuam avértis? * oblivíſceris inópiæ noſtræ, & tribulatiónis noſtræ?

Quóniam humiliáta eſt in púlvere ánima noſtra, * conglutinátus eſt in terra venter noſter.

Exúrge, Dómine, ádjuva nos, * & rédime nos propter nomen tuum.

AD VESPERAS.

PSALMUS 119.

Eccleſia vitæ præſentis mala luget.

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi; * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolóſa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguam dolóſam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cũ carbónibus deſolatóriis.

Heu mihi! quia incolátus meus prolongátus eſt; habitávi cum habitántibus Cedar; * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

PSALMUS 120.

Dominus cuſtos Eccleſiæ ſuæ.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlũ & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormitet qui cuſtódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui cuſtódit Iſraël.

Dóminus cuſtódit te; Dóminus protéctio tua,* ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo; * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat introítum tuum, & éxitum tuum, * ex hoc, nunc, & uſque in séculum.

PSALMUS 123.

Eccleſiæ à periculis ereptæ gratiarum actio.

NIsì quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Iſraël, * nisì quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutíſſent nos.

Cùm iraſcerétur furor eórum in nos, * fórſitan aqua abſorbuíſſet nos.

Torréntem pertransívit ánima noſtra; * fórſitan pertransíſſet ánima noſtra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima noſtra, ſicut paſſer, erépta eſt * *de láqueo venántium;*

Láqueus contrítus eſt, * & nos liberáti ſumus.

Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

PSALMUS 124.

Fidelium Deus ipſe tutela. Iniqui perituri.

QUi confídunt in Dómino, ſicut mons Sion; * non commovébitur in ætérnum qui hábitat in Jerúſalem.

Montes in circúitu ejus, * & Dóminus in circúitu pópuli ſui, ex hoc, nunc, & uſque in séculum.

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum ſuper ſortem juſtórum; * ut non exténdant juſti ad iniquitátem manus ſuas.

Bénefac, Dómine, bonis, * & rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax ſuper Iſraël.

PSALMUS 126.

Vani labores hominum quibus Deus non opitulatur.

NIsì Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisì Dóminus cuſtodíerit civitátem, * fruſtrà vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem súrgere: * súrgite poſtquàm ſedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis ſuis

ſomnum, * ecce hæréditas Dómini, filii, merces, fructus ventris.

Sicut ſagíttæ in manu poténtis, * ità filii excuſſórum.

Beátus vir qui implévit deſidérium ſuum ex ipſis; * non confundétur cùm loquétur inimícis ſuis in porta.

AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 10.

Animæ in Deo confidentis ſecuritas.

IN Dómino confido: * quómodo dícitis ánimæ meæ: Tránſmigra in montem ſicut paſſer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt ſagíttas ſuas in pháretra; * ut ſagíttent in obſcúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecíſti, deſtruxérunt: * juſtus autem quid fecit?

Dóminus in templo ſancto ſuo, * Dóminus in cœlo ſedes ejus:

Oculi ejus in paúperem reſpíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant filios hóminum.

Dóminus intérrogat juſtum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam ſuam.

Pluet ſuper peccatóres láqueos: * ignis, & ſulphur, & ſpíritus procellárum, pars cálicis eórum.

*Quóniam juſtus Dóminus, & juſtítias diléxit: * æquitátem vidit vultus ejus.*

PSALMUS 11.

Juſtorum paucitas. Eloquiorum Domini laus.

SAlvum me fac, Dómine, quóniam defécit ſanctus, * quóniam diminútæ ſunt veritátes à filiis hóminum.

Vana locúti ſunt unuſquíſque ad próximum ſuũ; * lábia dolóſa, in corde & corde locúti ſunt.

Diſpérdat Dóminus univérſa lábia dolóſa, * & linguam magníloquam.

Qui dixérunt: Linguam noſtram magnificábimus, lábia noſtra à nobis ſunt; * quis noſter Dóminus eſt?

Propter misériam ínopum, & gémitum paúperum, * nunc exúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in ſalutári; * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia caſta; * argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, ſervábis nos; * & cuſtódies nos à generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant: * ſecúndùm altitúdinem tuam multiplicáſti filios hóminum.

PSALMUS 12.

Animæ fidelis in tribulatione ad Deum deprecatio.

USquequò, Dómine, oblivíſcéris me in finem? * úſquequò avértis fáciem tuam à me?

Quándiu ponam conſília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me? * réſpice, & exaúdi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte: * nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérsùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero; * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo: * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

FERIA QUARTA,
AD OFFIC. NOCTURN.

IN I. NOCTURNO.

PSALMUS 36.

Lex Dei perſeveranter ſervanda. Bonorum & malorum quàm diſpar ſtatus & exitus.

NOli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris faciéntes iniquitátem:

Quóniam tanquam fœnum velóciter aréſcent; * & quemádmodum ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino, & fac bonitátem; * & inhábita terram, & paſcéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino; * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, & ſpera in eo; * & ipſe fáciet.

Et edúcet quaſi lumen juſtítiam tuam, * & judícium tuum tanquam merídiem.

Súbditus eſto Dómino, * & ora eum.

Noli æmulári in eo qui proſperátur in via ſua; * in hómine faciénte injuſtítias.

Déſine ab ira, & derelínque furórem; * noli æmulári ut malignéris:

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur; * ſuſtinéntes autem Dóminum, ipſi hæreditábunt terram.

Et adhuc pusíllum, & non erit peccátor; * & quæres locum ejus, & non invénies.

Manſuéti autem hæreditábunt terram; * & delectabúntur in multitúdine pacis.

Obſervábit peccátor juſtum, * & ſtridébit ſuper eum déntibus ſuis.

Dóminus autem irridébit eum, * quóniam próſpicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres, intendérunt arcum ſuum; * ut dejíciant paúperem & ínopem, ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum; * & arcus eórum confringátur.

Mélius eſt módicum juſto, * ſuper divítias peccatórum multas;

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur; * confírmat autẽ juſtos Dóminus.

Diviſio Pſalmi 36.

NOvit Dóminus dies immaculatórum: * & hæréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo: * & in diébus famis ſaturabúntur:

Quia peccatóres * períbunt:

Inimíci verò Dómini, mox ut honorificáti fúerint & exaltáti, * deficiéntes quemádmodum fumus defícient.

Mutuábitur peccátor, & non ſolvet: * juſtus autem miſerétur, & tríbuet.

Quia benedicéntes ei hæreditábunt terram; * maledicéntes autem ei diſperíbunt.

Apud Dóminum greſſus hóminis dirigéntur; * & viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur; * quia Dóminus ſuppónit manum ſuam.

Júnior fui, étenim ſénui; * & non vidi juſtum derelíctum, nec ſemen ejus quærens panem.

Totâ die miſerétur & cómmodat; * & ſemen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, & fac bonum; * & inhábita in ſéculum ſéculi.

Quia Dóminus amat judícium, & non derelínquet ſanctos ſuos; * in ætérnum conſervabúntur.

Injúſti puniéntur, * & ſemen impiórum períbit.

Juſti autem hæreditábunt terram, * & inhabitábunt in ſéculum ſéculi ſuper eam.

Altera diviſio Pſalmi 36.

OS juſti meditábitur ſapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus; * & non ſupplantabúntur greſſus ejus.

Consíderat peccátor juſtum, * & quærit mortificáre eum;

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus; * nec damnábit eum, cùm judicábitur illi.

Expécta Dóminum, * & cuſtódi viam ejus:

Et exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium ſuperexaltátum, * & elevátum ſicut cedros Líbani:

Et transívi, & ecce non erat; * & quæsívi eum, & non eſt invéntus locus ejus.

Cuſtódi innocéntiam, & vide æquitátem; * quóniam ſunt relíquiæ hómini pacífico.

Injúſti autem diſperíbunt ſimul: * relíquiæ impiórum interíbunt:

Salus autem juſtórum à Dómino, * & protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos; & éruet eos à peccatóribus, & ſalvábit eos; * quia ſperavérunt in eo.

IN II. NOCTURNO.

PSALMUS 48.

Homo de priſtino ſuo ſtatu per peccatum lapſus, divitiis non redimitur: nihil contra infernum proſunt opes.

AUdíte hæc, omnes gentes, * aúribus percípite, omnes qui habitátis orbem,

Quique terrígenæ, & filii hóminum, * ſimul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur ſapiéntiam, * & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam, * apériam in pſaltério propoſitiónem meam.

Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte ſua, * & in multitúdine divitiárum ſuárum gloriántur.

Frater non rédimit, rédimet homo? * non dabit Deo placatiónem ſuam,

Et prétium redemptiónis ánimæ ſuæ: * & laborábit in ætérnum, & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cùm víderit ſapiéntes moriéntes: * ſimul inſípiens & ſtultus períbunt.

Et relínquent aliénis divítias ſuas; * & ſepúlcra eórum domus illórum in ætérnum.

Tabernácula eórum in progénie & progénie: * vocavérunt nómina ſua in terris ſuis.

Et homo, cùm in honóre eſſet, non intelléxit: * comparátus eſt juméntis inſipiéntibus: & símilis factus eſt illis.

Hæc via illórum ſcándalum ipſis: * & póſteà in ore ſuo complacébunt.

Sicut oves in inférno póſiti ſunt: * mors depáſcet eos.

Et dominabúntur eórum juſti in matutíno: * & auxílium eórum veteráſcet in inférno à glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

Diviſio Pſalmi 48.

NE timúeris cùm dives factus fúerit homo, * & cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam cùm interíerit, non ſumet ómnia; * neque deſcéndet cũ eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipſíus benedicétur; * confitébitur tibi, cùm benefèceris ei.

Introíbit uſque in progénies patrum ſuórum; * & uſque in ætérnum non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre eſſet, non intelléxit: * comparátus eſt juméntis inſipiéntibus, & símilis factus eſt illis.

PSALMUS 52.

Impii fruſtrà ſibi dicunt Deum non eſſe. Chriſti adventus poſtulatur.

DIxit inſipiens in corde ſuo : * Non eſt Deus.

Corrúpti ſunt, & abominábiles facti ſunt in iniquitátibus : * non eſt qui fáciat bonum.

Deus de cœlo proſpéxit ſuper filios hóminum, * ut vídeat ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt ; * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Nónne ſcient omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam, ut cibum panis ?

Deũ non invocavérunt : * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus diſſipávit oſſa eórum qui homínibus placent : * confúſi ſunt, quóniam Deus ſprevit eos.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſraël ? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætábitur Iſraël.

IN III. NOCTURNO.

PSALMUS 72.

Dum improbi in hac vita videntur felices, probi, quòd ſua quemque maneant præmia, conſolatione levantur.

QUàm bonus Iſraël Deus, * his qui recto ſunt corde!

Mei autem penè moti ſunt pedes, * penè effúſi ſunt greſſus mei :

Quia zelávi ſuper iníquos, * pacem peccatórum videns :

Quia non eſt reſpéctus morti eórum, * & firmaméntum in plaga eórum :

In labóre hóminum non ſunt, * & cum homínibus non flagellabúntur.

Ideò ténuit eos ſupérbia, * opérti ſunt iniquitáte, & impietáte ſuâ :

Pródiit quaſi ex ádipe iníquitas eórum ; * tranſiérunt in affectum cordis :

Cogitavérunt, & locúti ſunt nequítiam, * iniquitátem in excélſo locúti ſunt :

Poſuérunt in cœlum os ſuum, * & lingua eórum transívit in terra.

Ideò convertétur pópulus meus hîc, * & dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt : Quómodo ſcit Deus ? * &, ſi eſt ſciéntia in Excélſo ?

Ecce ipſi peccatóres, & abundántes in ſéculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi : Ergo ſinè cauſa juſtificávi cor meum, * & lavi inter innocéntes manus meas :

Et fui flagellátus totâ die, * & caſtigátio mea in matutínis.

Si dicébam : Narrábo ſic, * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Exiſtimábam ut cognóſcerem hoc; * labor eſt ante me,

Donec intrem in ſanctuárium Dei, * & intélligam in noviſſimis eórum.

Verúmtamen propter dolos poſuíſti eis, * dejecíſti eos dum allevaréntur.

Quómodo facti ſunt in deſolatiónem! * súbitò defecérunt, periérunt propter iniquitátem ſuam.

Velut sómnium ſurgéntium, * Dómine, in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum eſt cor meum, & renes mei commutáti ſunt; * & ego ad níhilum redáctus ſum, & neſcívi.

Ut juméntum factus ſum apud te; * & ego ſemper tecum.

Diviſio Pſalmi 72.

TEnuíſti, [Dómine], manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxíſti me, * & cum glória ſuſcepíſti me.

Quid enim mihi eſt in cœlo? * & à te quid vólui ſuper terram?

Defécit caro mea, & cor meum; * Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum.

Quia ecce, qui elóngant ſe à te, períbunt; * perdidíſti omnes qui fornicántur abs te.

*Mihi autem adhærére Deo bonum eſt, * pónere in Dómino Deo ſpem meam;*

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas, * in portis fíliæ Sion.

PSALMUS 74.

Fruſtrà extollunt ſe iniqui: Deus judex eſt.

COnfitébimur tibi, Deus; * confitébimur, & invocábimus nomen tuũ: narrábimus mirábilia tua.

Cùm accépero tempus, * ego juſtítias judicábo.

Liquefácta eſt terra, & omnes qui hábitant in ea; * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis: Nolíte iníquè ágere; * & delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu;

Nolíte extóllere in altum cornu veſtrum; * nolíte loqui advérsùs Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, * neque à desértis móntibus.

Quóniam Deus judex eſt, * hunc humíliat, & hunc exáltat:

Quia calix in manu Dómini vini meri plenus mixto, * & inclinávit ex hoc in hoc;

Verúmtamen fæx ejus non eſt exinaníta; * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sǽculum; * cantábo Deo Jacob:

Et ómnia córnua peccatórum confríngam; * & exaltabúntur córnua juſti.

Poſt. ℣. dicitur Pater noſter, &c. *ut ſuprà.*

AD LAUDES MATUTINAS.

PSALMUS 67.

Carmen triumphale de Chriſti & Eccleſiæ victoriis, ab Aſcenſione Chriſti uſque ad ultimum ejus adventum.

EXúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus; * & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus:

Sicut déficit fumus, defíciant: * ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei, * & delectént ur in lætítia.

Cantáte Deo, pſalmum dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui aſcéndit ſuper occáſũ; Dóminus nomen illi.

Exultáte in conſpéctu ejus; * turbabúntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco ſancto ſuo; * Deus qui inhabitáre facit unius moris in domo.

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * ſimíliter eos qui exáſperant, qui hábitant in ſepúlcris.

Deus, cùm egrederéris in conſpéctu pópuli tui, * cùm pertransíres in desérto,

Terra mota eſt, * étenim cœli diſtillavérunt à fácie Dei Sínaï, à fácie Dei Iſraël.

Plúviam voluntáriam ſegregábis, *Deus, hæreditáti tuæ; * & infirmáta eſt, tu veró perfecíſti eam.*

Animália tua habitábunt in ea; * paráſti in dulcédine tua paúperi, Deus.

Diviſio Pſalmi 67.

DOminus dabit verbum evangelizántibus, * virtúte multâ.

Rex virtútum dilécti, dilécti; * & ſpeciéi domûs divídere ſpólia.

Si dormiátis inter médios cleros, * pennæ colúmbæ deargentátæ, & poſterióra dorſi ejus in pallóre auri.

Dum diſcérnit cœléſtis reges ſuper eam, * nive dealbabúntur in Selmon.

Mons Dei, mons pinguis; * mons coagulátus, mons pinguis:

Ut quid ſuſpicámini montes coagulátos? * mons in quo beneplácitum eſt Deo habitáre in eo, étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium: * Dóminus in eis in Sina, in ſancto.

Aſcendíſti in altum, cepíſti captivitátem; * accepíſti dona in homínibus.

Etenim non credéntes * inhabitáre Dóminum Deũ.

Benedíctus Dóminus die quotídie: * próſperum iter fáciet nobis Deus ſalutárium noſtrórum.

Deus noſter, Deus ſalvos faciéndi; * & Dómini Dómini éxitus mortis.

Verùmtamen Deus confrínget cápita inimicórum ſuórum, * vérticem capi

perambulántium in delíctis ſuis.

Dixit Dóminus : Ex Baſan convértam, * convértam in profúndum maris.

Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipſo.

Altera diviſio Pſal. 67.

VIdérunt ingréſſus tuos, Deus, * ingréſſus Dei mei, Regis mei qui eſt in ſancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti pſalléntibus, * in médio juvenculárum tympaniſtriárum.

In eccléſiis benedícite Deo, * Dómino de fóntibus Iſraël.

Ibi Bénjamin adoleſcéntulus, * in mentis excéſſu.

Príncipes Juda duces eórum; * príncipes Zabúlon, príncipes Néphthali.

Manda, Deus, virtúti tuæ: * confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúſalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórum in vaccis populórum, * ut exclúdant eos qui probáti ſunt argénto.

Diſſipa gentes quæ bella volunt: * vénient legáti ex Ægýpto, Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte *Deo; * psállite Dómino, psállite Deo,*

*Qui aſcéndit ſuper cœ*lum cœli ad Oriéntem; * ecce dabit voci ſuæ vocem virtútis.

Date glóriam Deo; * ſuper Iſraël magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſraël, ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ: * benedíctus Deus.

Hîc dicitur Canticum.

PSALMUS 146.

Laudandus Deus, cui beneplacitum eſt ſuper timentes eum.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus eſt pſalmus: * Deo noſtro ſit jucúnda, decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúſalem Dóminus, * diſperſiónes Iſraélis congregábit:

Qui ſanat contrítos corde, * & álligat contritiónes eórum:

Qui númerat multitúdinem ſtellárum; * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus; * & ſapiéntiæ ejus non eſt númerus.

Suſcípiens manſuétos Dóminus; * humílians autem peccatóres, uſque ad terram.

Præcínite Dómino in confeſſióne; * psállite Deo noſtro in cíthara,

Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviā:

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam ſervitúti hóminum:

- Qui dat juméntis eſcam ipsórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit; * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum eſt Dómino ſuper timéntes eum, * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

AD PRIMAM.

PSALMUS 88.

Miſericordia & veritas Dei in populum ſuum celebranda. Promiſſiones quas Chriſto & Eccleſiæ fecit, immutabiles ſunt, nec adverſis hujus vitæ delentur.

MIſericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem & generatiónem, * annuntiábo veritátem tuam in ore meo;

Quóniam dixíſti: In ætérnum miſericórdia ædificábitur in cœlis, * præparábitur véritas tua in eis:

Diſpóſui teſtaméntum eléctis meis, * jurávi David ſervo meo:

Uſque in ætérnum præparábo ſemen tuum; * & ædificábo in generatiónem & generatiónem ſedem tuã.

Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine; * étenim veritátem tuam in ecclésia ſanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino? * ſímilis erit Deo in filiis Dei?

Deus qui glorificátur in concílio ſanctórum, * magnus & terríbilis ſuper omnes qui in circúitu ejus ſunt.

Dómine Deus virtútum, quis ſímilis tibi? * potens es, Dómine, & véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris poteſtáti maris, * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliáſti ſicut vulnerátum, ſupérbum; * in bráchio virtútis tuæ diſperſíſti inimícos tuos.

Tui ſunt cœli, & tua eſt terra; orbem terræ, & plenitúdinem ejus tu fundáſti; * aquilónem & mare tu creáſti.

Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt: * tuũ bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua: * juſtítia & judícium præparátio ſedis tuæ.

Miſericórdia & véritas * præcédent fáciem tuam.

Diviſio Pſalmi 88.

BEátus pópulus qui ſcit jubilatiónem: * Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt;

Et in nómine tuo exultábunt totâ die; * & in juſtítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es: * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu noſtrum:

Quia Dómini eſt aſſúmptio noſtra, * & Sancti Iſraël, Regis noſtri.

Tunc locútus es in viſióne ſanctis tuis, & dixíſti: * Póſui adjutórium in potén-

re, & exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David ſervum meum, * óleo ſancto meo unxi eum:

Manus enim mea auxiliábitur ei, * & bráchium meum confortábit eum:

Nihil proficiet inimícus in eo, * & filius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, * & odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo: * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipſe invocábit me: Pater meus es tu, * Deus meus, & ſuſcéptor ſalútis meæ:

Et ego primogénitum ponam illum, * excélſum præ régibus terræ.

In ætérnũ ſervábo illi miſericórdiã meam, * & teſtaméntum meum fidéle ipſi.

Et ponam in séculum séculi ſemen ejus, * & thronum ejus ſicut dies cœli.

Si autem derelíquerint filii ejus legem meã, * & in judíciis meis non ambuláverint:

Si juſtítias meas profanáverint, * & mandáta mea non cuſtodíerint:

Viſitábo in virga iniquitátes eórum, * & in verbéribus peccáta eórum:

Miſericórdiã autem meã non diſpérgam ab eo, * neque nocébo in veritáte mea:

Neque profanábo teſtaméntum meum, * & quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

Altera diviſio Pſal. 88.

SEmel jurávi in Sancto meo, * ſi David méntiar:

Semen ejus in ætérnum manébit; * & thronus ejus ſicut ſol in conſpéctu meo:

Et ſicut luna perfécta in ætérnum; * & teſtis in cœlo fidélis.

Tu verò repuliſti, & deſpexíſti, * diſtuliſti chriſtum tuum:

Evertíſti teſtaméntum ſervi tui, * profanáſti in terra ſanctuárium ejus:

Deſtruxíſti omnes ſepes ejus, * poſuíſti firmaméntum ejus formídinem:

Diripuérunt eum omnes tranſeúntes viam: * factus eſt oppróbrium vicínis ſuis:

Exaltáſti déxteram depriméntium eum, * lætificáſti omnes inimícos ejus:

Avertíſti adjutórium gládii ejus, * & non es auxiliátus ei in bello:

Deſtruxíſti eum ab emundatióne, * & ſedem ejus in terram colliſiſti:

Minoráſti dies témporis ejus, * perfudíſti eum confuſióne.

Uſquequò, Dómine, avértis in finem, * exardéſcet ſicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea ſubſtántia: * numquid enim vanè conſtituíſti omnes filios hóminum?

Quis eſt homo qui vivet,

& non vidébit mortem? * éruet ánimam ſuam de manu ínferi?

Ubi ſunt miſericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * ſicut juráſti David in veritáte tua?

Memor eſto, Dómine, oppróbrii ſervórum tuórum, * quod contínui in ſinu meo, multárum géntium:

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine, * quod exprobravérunt commutatiónem chriſti tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum. * Fiat, fiat.

AD TERTIAM.

PSALMUS 28.

Chriſti regnum: vox prædicationis Evangelicæ.

AFférte Dómino, filii Dei, * afférte Dómino filios aríetum.

Afférte Dómino glóriam & honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus, * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Vox Dómini ſuper aquas, Deus majeſtátis intónuit; * Dóminus ſuper aquas multas.

Vox Dómini in virtúte, * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros; * & confrínget Dóminus cedros Líbani.

Et comminuet eas tanquam vítulum Líbani: * & diléctus quemádmodum filius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis *flammam ignis:* vox Dómini concutiéntis desértum; * & commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénſa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit: * & ſedébit Dóminus rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo ſuo dabit; * Dóminus benedícet pópulo ſuo in pace.

PSALMUS 49.

Ultimus Chriſti adventus prænuntiatur. Non ex cæſis victimis, ſed ex animi puritate judicandi homines.

DEus deórum Dóminus locútus eſt, * & vocávit terram à ſolis ortu uſque ad occáſum.

Ex Sion ſpécies decóris ejus; * Deus maniféſtè véniet; Deus noſter, & non ſilébit.

Ignis in conſpéctu ejus exardéſcet; * & in circúitu ejus tempéſtas válida.

Advocábit cœlum deſúrsùm, & terram, * diſcérnere pópulum ſuum.

Congregáte illi ſanctos ejus, * qui órdinant teſtaméntum ejus ſuper ſacrificia.

Et annuntiábunt cœli juſtítiam ejus, * quóniam Deus judex eſt.

Diviſio Pſalmi 49.

AUdi, pópulus meus, & loquar; Iſraël, & teſtificábor tibi: * Deus Deus tuus ego ſum.

Non in ſacrificiis tuis

árguam te ; * holocaúſta autem tua in conſpéctu meo ſunt ſemper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos ;

Quóniam meæ ſunt omnes feræ ſylvárum, * juménta in móntibus, & boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli ; * & pulchritúdo agri mecum eſt.

Si eſuríero, non dicam tibi ; * meus eſt enim orbis terræ, & plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum, * aut sánguinem hircórum potábo ?

Immola Deo ſacrificium laudis, * & redde Altíſſimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis : * éruam te, & honorificábis me.

Peccatóri autem dixit Deus : * Quare tu enárras juſtítias meas, & aſsúmis teſtaméntum meum per os tuum ?

Tu veró odíſti diſciplínam, * & projecíſti ſermónes meos retrórsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo ; * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ, * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsùs fratrem tuum loquebáris, & advérsùs fílium matris tuæ ponébas ſcándalum : * hæc feciſti, & tácui.

Exiſtimáſti iníquè, quòd ero tuî ſímilis : * árguam te, & ſtátuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviſcímini Deum ; * nequándo rápiat, & non ſit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me : * & illic iter, quo oſténdam illi ſalutáre Dei.

AD SEXTAM.

PSALMUS 77.

Beneficia olim Judæis à Deo præſtita in parabolis enarrantur, ut inde diſcat populus Dei ponere in Deo ſpem ſuam, & mandata ejus ſervare.

ATténdite, pópule meus, legem meam, * inclináte aurem veſtram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum ; * loquar propoſitiónes ab inítio.

Quanta audívimus, & cognóvimus ea, * & patres noſtri narravérunt nobis.

Non ſunt occultáta à filiis eórum, * in generatióne áltera.

Narrántes laudes Dómini, & virtútes ejus, * & mirabília ejus quæ fecit.

Et ſuſcitávit teſtimónium in Jacob, * & legem póſuit in Iſraël :

Quanta mandávit pátribus noſtris nota fácere ea fíliis ſuis, * ut cognóſcat generátio áltera ;

Fílii qui naſcéntur, & exúrgent, * & narrábunt filiis ſuis ;

Ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcántur óperum Dei, * & mandáta ejus exquírant:

Ne fiant ſicut patres eórum, * generátio prava & exáſperans,

Generátio quæ non diréxit cor ſuum; * & non eſt créditus cum Deo ſpíritus ejus.

Prima diviſio Pſal. 77.

FIlii Ephrem intendéntes & mitténtes arcum, * convérſi ſunt in die belli.

Non cuſtodiérunt teſtaméntum Dei, * & in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti ſunt benefactórum ejus, * & mirabílium ejus quæ oſténdit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægýpti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, & perdúxit eos, * & ſtátuit aquas quaſi in utre.

Et dedúxit eos in nube diéi, * & totâ nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo, * & adaquávit eos velut in abýſſo multa.

Et edúxit aquam de petra, * & dedúxit tanquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccáre ei, * in iram excitavérunt Excélſum in inaquóſo.

Et tentavérunt Deum in córdibus ſuis, * ut péterent eſcas animábus ſuis.

Et malè locúti ſunt de Deo; * dixérunt: Numquid póterit Deus paráre menſam in desérto?

Quóniam percúſſit petram, & fluxérunt aquæ, * & torréntes inundavérunt.

Numquid & panem póterit dare, * aut paráre menſam pópulo ſuo?

Ideò audívit Dóminus, & díſtulit; * & ignis accénſus eſt in Jacob, & ira aſcéndit in Iſraël.

Quia non credidérunt in Deo, * nec ſperavérunt in ſalutári ejus.

Et mandávit núbibus déſuper, * & jánuas cœli apéruit,

Et pluit illis manna ad manducándum, * & panem cœli dedit eis:

Panem Angelórum manducávit homo; * cibária miſit eis in abundántia.

Secunda diviſio Pſal. 77.

TRánſtulit Auſtrum de cœlo, * & indúxit in virtúte ſua Africum;

Et pluit ſuper eos ſicut púlverem carnes, * & ſicut arénam maris volatília pennáta;

Et cecidérunt in médio caſtrórum eórum, * circa tabernácula eórum:

Et manducavérunt, & ſaturáti ſunt nimis, & deſidérium eórum áttulit eis; * non ſunt fraudáti à deſidério ſuo.

Adhuc eſcæ eórum erant in ore ipsórum, * & ira Dei aſcéndit ſuper eos:

Et occídit pingues eórũ, * & eléctos Iſraël impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc; * & non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * & anni eórum cum feſtinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum, & revertebántur; * & dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti ſunt quia Deus adjútor eſt eórum, * & Deus excélſus redémptor eórum eſt.

Et dilexérunt eum in ore ſuo, * & linguâ ſuâ mentíti ſunt ei:

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti ſunt in teſtaménto ejus.

Ipſe autem eſt miséricors, & propítius fiet peccátis eórum, * & non diſpérdet eos.

AD NONAM.

Tertia diviſio Pſal. 77. Et

ABundávit [Dóminus] ut avérteret iram ſuã, * & non accéndit omnem iram ſuam:

Et recordátus eſt quia caro ſunt, * ſpíritus vadens, & non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in desérto, * in irã concitavérunt eum in inaquóſo!

Et convérſi ſunt, & tentavérunt Deum, * & Sanctum Iſraël exacerbavérunt.

Non ſunt recordáti manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulántis.

Sicut póſüit in Ægýpto ſigna ſua, * & prodígia ſua in campo Táneos.

Et convértit in ſánguinem flúmina eórum, * & imbres eórum ne bíberent.

Miſit in eos cœnomýiam, & comédit eos; * & ranam, & diſpérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * & labóres eórum locúſtæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * & moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum, * & poſſeſſiónem eórum igni.

Miſit in eos iram indignatiónis ſuæ, indignatiónem, & iram, & tribulatiónem; * immiſſiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ ſuæ, & non pepércit à morte animábus eórum; * & juménta eórum in morte conclúſit.

Et percúſſit omne primogénitum in terra Ægýpti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Quarta diviſio Pſal. 77.

ET ábſtulit ſicut oves pópulum ſuum, * & perdúxit eos tanquam gregem in desérto.

Et dedúxit eos in ſpe, & non timuérunt; * & inimícos eórum opéruit mare.

Et indúxit eos in montem ſanctificatiónis ſuæ, * montem quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum

gentes, * & ſorte divíſit eis terram in funículo diſtri-butiónis.

Et habitáre fecit in taber-náculis eórum*tribus Iſraël.

Et tentavérunt, & exa-cerbavérunt Deum excél-ſum, * & teſtimónia ejus non cuſtodiérunt.

Et avertérunt ſe, & non ſervavérunt pactum quem-ádmodum patres eórum: * convérſi ſunt in arcum pra-vum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus ſuis, * & in ſculptílibus ſuis ad æmula-tiónem eum provocavé-runt.

Audívit Deus, & ſpre-vit; * & ad níhilum redé-git valde Iſraël.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum ſuum, ubi habitávit in hómini-bus.

Et trádidit in captivitá-tem virtútem eórum: * & pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúſit in gládio pópulum ſuum, * & hære-ditátem ſuam ſprevit.

Júvenes eórum comédit ignis; * & vírgines eórum non ſunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in glá-dio cecidérunt; * & víduæ eórum non plorabántur.

Ultima diviſio Pſal. 77.

ET excitátus eſt tanquam dórmiens Dóminus, * tanquam potens crapulátus à vino.

Et percúſſit inimícos ſuos in poſterióra, * oppróbrium ſempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joſeph, * & tribum Ephraïm non elégit:

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit ſicut uni-córnium ſanctificium ſuum in terra, * quam fundávit in ſécula.

Et elégit David ſervum ſuum, * & ſúſtulit eum de grégibus óvium:

De poſt fœtántes accépit eum, * páſcere Jacōb ſer-vum ſuum, & Iſraël hære-ditátem ſuam.

Et pavit eos in innocén-tia cordis ſui, * & in intel-léctibus mánuum ſuárum dedúxit eos.

AD VESPERAS.

PSALMUS 122.

Mens in Deum erigenda tempore tribulationis.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce, ſicut óculi ſervó-rum * in mánibus dominó-rum ſuórum;

Sicut óculi ancíllæ in má-nibus dóminæ ſuæ, * ità óculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum, donec mi-ſereátur noſtrî.

Miſerére noſtrî, Dómi-ne, miſerére noſtrî; * quia multùm repléti ſumus deſ-pectióne;

Quia multùm repléta eſt ánima noſtra; * oppróbriũ abundántibus, & deſpéctio ſupérbis.

PSALMUS 130.

Non in ſe, ſed in Deo, ſperandum eſt.

DOmine, non eſt exaltátum cor meum, * neque eláti ſunt óculi mei;

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus ſuper me.

Si non humíliter ſentiébam, * ſed exaltávi ánimam meam.

Sicut ablactátus eſt ſuper matre ſua, * ità retribútio in ánima mea.

Speret Iſraël in Dómino, * ex hoc, nunc, & uſque in ſéculum.

PSALMUS 144.

Dei magnitudo & beneficentia celebrantur.

EXaltábo te, Deus meus Rex, * & benedícam nómini tuo in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Per ſíngulos dies benedícam tibi, * & laudábo nomen tuum in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, * & magnitúdinis ejus non eſt finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua, * & poténtiam tuã pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ ſanctitátis tuæ loquéntur, * & mirabília tua narrábunt;

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * & magnitúdinem tuam narrábunt:

Memóriam abundántiæ ſuavitátis tuæ eructábunt, * & juſtitiâ tuâ exultábunt.

Miſerátor & miséricors Dóminus; * pátiens & multùm miséricors.

Suávis Dóminus univérſis, * & miſeratiónes ejus ſuper ómnia ópera ejus.

Diviſio Pſalmi 144.

COnfiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; * & ſancti tui benedícant tibi:

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquéntur.

Ut notam fáciant filiis hóminum poténtiam tuam, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium ſeculórum; * & dominátio tua in omni generatióne, & generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis ſuis, * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * & érigit omnes eliſos.

Oculi ómnium in te ſperant, Dómine; * & tu das eſcam illórum in témpore opportúno:

Aperis tu manum tuam, * & imples omne ánimal benedictióne.

Altera diviſio Pſal. 144.

JUſtus Dóminus in ómnibus viis ſuis; * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

Propè eſt Dóminus ómnibus invocántibus eum, *

ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium ſe fáciet, & deprecatiónem eórum exaúdiet, * & ſalvos fáciet eos.

Cuſtódit Dóminus omnes diligéntes ſe; * & omnes peccatóres diſpérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum; * & benedícat omnis caro nómini ſancto ejus in séculum, & in séculum séculi.

AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 13

Impii fruſtrà ſibi dicunt Deum non eſſe. Chriſti adventus poſtulatur.

DIxit insípiens in corde ſuo: * Non eſt Deus.

Corrúpti ſunt, & abominábiles facti ſunt in ſtúdiis ſuis: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Dóminus de cœlo proſpéxit ſuper filios hóminum, * ut vídeat ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Sepúlcrum patens eſt guttur eórum; linguis ſuis dolóſè agébant; * venénum áſpidum ſub lábiis eórum,

Quorum os maledictióne & amaritúdine plenum eſt: * velóces pedes eórum ad effundéndum ſánguinem.

Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt: * non eſt timor Dei ante óculos eórum.

Nónne cognóſcent omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ſicut eſcam panis?

Dóminum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne juſta eſt: * consílium ínopis confudiſtis, quóniam Dóminus ſpes ejus eſt.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſraël? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætábitur Iſraël.

PSALMUS 14.

Quibus virtutum exercitiis ſalus obtineatur.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéſcet in monte ſancto tuo?

Qui ingréditur ſinè mácula, * & operátur juſtitiam:

Qui lóquitur veritátem in corde ſuo; * qui non egit dolum in lingua ſua:

Nec fecit próximo ſuo malum, * & oppróbrium non accépit advérsùs próximos ſuos.

Ad níhilum dedúctus eſt in conſpéctu ejus malígnus; * timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo ſuo, & non décipit; * qui pecúniam ſuam non dedit ad uſúram, & múnera ſuper innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

PSALMUS 31.

Miſericordia Dei hominem peccatorem per gratiam ſuam juſtificantis commendatur.

BEáti quorum remíſſæ ſunt iniquitátes; * & quorum tecta ſunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt oſſa mea; * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua: * convérſus ſum in ærúmna mea, dum configitur ſpina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci: * & injuſtítiam meam non abſcóndi.

Dixi: Confitébor advérsùm me injuſtítiam meam Dómino, * & tu remiſíſti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis ſanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meũ à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & inſtruam te in via hac quâ gradiéris; * firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fieri ſicut equus & mulus, * quibus non eſt intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eórum conſtrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris; * ſperántem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino & exultáte, juſti; * & gloriámini, omnes recti corde.

FERIA QUINTA,

AD OFFIC. NOCTURN.

IN I. NOCTURNO:

PSALMUS 44.

Carmen nuptiale de Chriſti & Eccleſiæ dotibus.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ * velóciter ſcribéntis.

Speciósus formâ præ filiis hóminum, diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: * proptéreà benedíxit te Deus in ætérnũ.

Accíngere glàdio tuo ſuper femur tuũ, * Potentíſſime:

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ inténde, * próſperè procéde;

Et regna propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli ſub te cadent, in corda inimicórum Regis.

Sedes tua, Deus, in séculum séculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexíſti juſtítiam, & odíſti iniquitátem: * proptéreà unxit te, Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cáſia à veſtiméntis tuis, à dómibus ebúrneis, * ex qui-

bus delectavérunt te filiæ regum in honóre tuo.

Aſtitit Regína à dextris tuis in veſtítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Diviſio Pſalmi 44.

AUdi, filia, & vide, & inclína aurem tuam; * & oblivíſcere pópulũ tuum, & domum patris tui:

Et concupíſcet Rex decórem tuum; * quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus: * vultum tuũ deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ regis ab intùs; * in fimbriis aúreis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines poſt eam, * próximæ ejus afferéntur tibi;

Afferéntur in lætítia & exultatióne, * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis, nati ſunt tibi filii: * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui, * in omni generatióne & generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in séculum séculi.

P S A L M U S 45.

Eccleſia, in ſe habens Deum inhabitantem, non commovebitur.

DEus noſter refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra: * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ ſunt aquæ eórũ: * conturbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * ſanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus; non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ ſunt gentes, & inclináta ſunt regna: * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dóminus virtútum nobíſcum: * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ póſuit prodígia ſuper terram, * aúferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma, * & ſcuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego ſum Deus; * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíſcum: * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

IN II. NOCTURNO.

P S A L M U S 64.

Inter adverſa, ſperandum in Deo, qui fidelibus ſuis cibum parat.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jeruſalem.

Exaúdi oratiónẽ meam; * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt ſuper nos ; * & impietátibus noſtris tu propitiáberis.

Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti ; * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ : * ſanctum eſt templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaúdi nos, Deus ſalutáris noſter, * ſpes ómnium finiũ terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtiâ : * qui contúrbas profúndum maris, ſonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à ſignis tuis : * éxitus matutíni & véſpere delectábis.

Viſitáſti terram, & inebriáſti eam ; * multiplicáſti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum eſt aquis : * paráſti cibum illórum, quóniam ità eſt præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus ; * in ſtillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ ; * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéſcent ſpecióſa desérti, * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti ſunt aríetes oviũ, & valles abundábunt fruménto : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

P S A L M U S 76.

Conſolatio ſpiritalis ex benignitate Dei ſumpta.

VOce meâ ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad Deum, & inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum ; * & non ſum decéptus.

Rénuit conſolári ánima mea ; * memor fui Dei, & delectátus ſum, & exercitátus ſum, & defécit ſpíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei ; * turbátus ſum, & non ſum locútus.

Cogitávi dies antíquos, * & annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus ſum nocte cum corde meo, * & exercitábar, & ſcopébam ſpíritum meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus ? * aut non appónet ut complacítior ſit adhuc ?

Aut in finem miſericórdiam ſuam abſcíndet, * à generatióne in generatióne ?

Aut obliviſcétur miſeréri Deus ? * aut continébit in ira ſua miſericórdias ſuas ?

Et dixi : Nunc cœpi : * hæc mutátio déxteræ Excélſi.

Diviſio Pſalmi 76.

MEmor fui óperum Dómini : * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum,

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus, in ſancto via tua: quis Deus magnus ſicut Deus noſter? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam fecíſti in pópulis virtútem tuam; * redemíſti in bráchio tuo pópulum tuum, filios Jacob & Joſeph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, & timuérunt; * & turbátæ ſunt abýſſi.

Multitúdo sónitus aquárum; * vocem dedérunt nubes.

Etenim ſagíttæ tuæ tránſeunt: * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruſcatiónes tuæ orbi terræ; * commóta eſt, & contrémuit terra.

In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis multis; * & veſtígia tua non cognoſcéntur.

Deduxíſti, ſicut oves, pópulum tuum, * in manu Móyſi & Aaron.

IN III. NOCTURNO.

P s a l m u s 26.

Deus in Chriſto fidelium lumen & ſalus. Auxilium ejus adversùs hoſtes petitur.

DOminus illuminátio mea, & ſalus mea: * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ: * à quo trepidábo?

Dum apprópiant ſuper me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci meï, * ipſi infirmáti ſunt, & cecidérunt.

Si consíſtant advérsùm me caſtra, * non timébit cor meum,

Si exúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego ſperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & víſitem templum ejus.

Quóniam abſcóndit me in tabernáculo ſuo: * in die malórum protéxit me, in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me: * & nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis: * cantabo, & pſalmum dicam Dómino.

Diviſio Pſalmi 26.

EXaúdi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te; * miserére meî, & exaúdi me.

Tibi dixit cor meum: Exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me; * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto, ne derelínquas me; * neque deſpícias me, Deus ſalutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me; * Dóminus autem aſſúmpſit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua; * & dirí-

ge me in ſémitam rectam, propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me : * quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui, & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini, * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age, & confortétur cor tuum,* & ſúſtine Dóminū.

PSALMUS 84.

Iſraël è captivitate liberatus, adventum Redemptoris expoſcit.

BEnedixíſti, Dómine, terram tuam,* avertíſti captivitátem Jacob.

Remiſíſti iniquitátem plebis tuæ, * operuíſti ómnia peccáta eórum.

Mitigáſti omnem iram tuam; * avertíſti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus ſalutáris noſter, * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum iraſcéris nobis? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérſus vivificábis nos, * & plebs tua lætábitur in te.

Oſténde nobis, Dómine, miſericórdiam tuam, * & ſalutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus, * quóniam loquétur pacem in plebem ſuam,

Et ſuper ſanctos ſuos,* & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen propè timéntes eum ſalutáre ipsíus,* ut inhábitet glória in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi, * juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt,* & juſtítia de cœlo proſpéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem, * & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit, * & ponet in via greſſus ſuos.

Poſt. ℣. *dicitur* Pater noſter, &c. *ut ſuprà.*

AD LAUDES MATUTINAS.

PSALMUS 20.

Eccleſia pro Chriſti Regis ſui victoriis gratias agit.

DOmine, in virtúte tua lætábitur rex; * & ſuper ſalutáre tuum exultábit veheménter.

Deſidérium cordis ejus tribuíſti ei, * & voluntáte labiórum ejus non fraudáſti eum.

Quóniam prævéniſti eum in benedictiónibus dulcédinis: * poſuíſti in cápite ejus corónam de lápide pretióſo.

Vitam pétiit à te; * & tribuíſti ei longitúdinem diérum in séculum, & in séculum séculi.

Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo : * glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in séculum

ſéculi ; * lætificábis eum in gaúdio cum vultu tuo :

Quóniam rex ſperat in Dómino, * & in miſericórdia Altíſſimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui : * Dóminus in ira ſua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * & ſemen eórum à fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala ; * cogitavérunt consília quæ non potuérunt ſtabilíre.

Quóniam pones eos dorſum ; * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus & pſallémus virtútes tuas.

PSALMUS 71.

Chriſti regnum ſuper omnes gentes prænuntiatur.

DEus, judícium tuum regi da, * & juſtítiam tuam fílio regis,

Judicáre pópulum tuum in juſtítia, * & paúperes tuos in judício.

Suſcípiant montes pacem pópulo, * & colles juſtítiam.

Judicábit paúperes pópuli, & ſalvos fáciet fílios paúperum, * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum ſole, & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Deſcéndet ſicut plúvia in vellus, * & ſicut ſtillicídia ſtillántia ſuper terram.

Oriétur in diébus ejus juſtítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari uſque ad mare, * & à flúmine uſque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharſis & ínſulæ múnera ófferent ; * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ ; * omnes gentes sérvient ei :

Quia liberábit paúperem à poténte, * & paúperem cui non erat adjútor.

Parcet paúperi & ínopi, * & ánimas paúperum ſalvas fáciet.

Ex uſúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum ; * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipſo ſemper ; * totâ diè benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in ſummis móntium, ſuperextollétur ſuper Líbanum fructus ejus, * & florébunt de civitáte ſicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in ſécula ; * ante ſo-

lem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipſo omnes tribus terræ; * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſraël, * qui facit mirabília ſolus.

Et benedíctum nomen majeſtátis ejus in ætérnum; & replébitur majeſtáte ejus omnis terra. * Fiat, fiat.

PSALMUS 97.

Deus laudandus, ob Chriſti Salvatoris adventum & manifeſtationem.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus, * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum; * in conſpéctu géntium revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, * & veritátis ſuæ dómui Iſraël.

Vidérunt omnes términi terræ * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo, omnis terra; * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce pſalmi, * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpéctu Regis Dómini; * moveátur mare & plenitúdo ejus, orbis terrárum & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ſimul montes exultábunt à conſpéctu Dómini; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia, * & pópulos in æquitáte.

Hîc dicitur Canticum.

PSALMUS 147.

Laudandus Deus, qui Eccleſiam ſuam adipe frumenti ſatiat.

LAuda, Jerúſalem, Dóminum, * lauda Deum tuum, Sion;

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum; * benedíxit filiis tuis in te:

Qui póſuit fines tuos pacem; * & ádipe fruménti sátiat te:

Qui eníttit elóquium ſuum terræ; * velóciter currit ſermo ejus:

Qui dat nivem ſicut lanam, * nébulam ſicut cínerem ſpargit:

Mittit cryſtállum ſuam ſicut buccéllas; * ante fáciē frígoris ejus quis ſuſtinébit?

Emíttet verbum ſuum, & liquefáciet ea; * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ:

Qui annúntiat verbum ſuum Jacob, * juſtítias & judícia ſua Iſraël.

Non fecit táliter omni natióni; * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

AD PRIMAM.

PSALMUS 41.

In Deo ſperandum. Juſtus in domo Dei epulans, exultabit.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, * itá desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * Quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei!

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dicitur mihi quotídie: Ubi eſt Deus tuus?

Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimam meam: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, uſque ad domū Dei,

In voce exultatiónis & confeſſiónis, * ſonus epulántis.

Quare triſtis es, ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi; * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Diviſio Pſalmi 41.

AD meipſum ánima mea conturbáta eſt: * proptéreà memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abýſſus abýſſum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélſa tua, & fluctus tui * ſuper me tranſiérunt.

In die mandávit Dóminus miſericórdiam ſuam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ; * dicam Deo: Suſcéptor meus es.

Quare oblítus es meî? * & quare contriſtátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur oſſa mea, * exprobravérunt mihi, qui tribulant me, inimíci mei.

Dum dicunt mihi per ſíngulos dies: * Ubi eſt Deus tuus?

Quare triſtis es, ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi; * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

PSALMUS 42.

In Deo ſperandum. Deo duce, ad altare ejus hilariter & confidenter introëundum.

JUdica me, Deus, & diſcérne cauſam meam de gente non ſancta; * ab hómine iníquo & dolóſo érue me:

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: * quare me repuliſti? & quare triſtis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam & veritátem tuam: * ipſa me deduxérunt, & adduxérunt in montem ſanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: * quare triſtis es, ánima mea? & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

AD TERTIAM.

PSALMUS 24.

Oratio pœnitentis, veniam à Deo poſcentis.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído.

Non erubéſcam, * neque irrídeant me inimíci mei.

Etenim univérſi qui ſúſtinent te, non confundéntur: * confundántur omnes iníqua agéntes ſupervácuè.

Vias tuas, Dómine, demónſtra mihi; * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me, * quia tu es Deus ſalvátor meus, & te ſuſtínui totâ die.

Reminíſcere miſeratiónum tuárum, Dómine, * & miſericordiárum tuárum, quæ à século ſunt.

Delícta juventútis meæ, & ignorántias meas ne memíneris: * ſecúndùm miſericórdiam tuam meménto meî tu, propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget manſuétos in judício: * docébit mites vias ſuas.

Diviſio Pſalmi 24.

UNivérſæ viæ Dómini, miſericórdia & véritas, * requiréntibus teſtaméntum ejus & teſtimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo: * multum eſt enim.

Quis eſt homo qui timet Dóminum? * legem ſtátuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur; * & ſemen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum eſt Dóminus timéntibus eum; * & teſtaméntum ipsíus ut manifeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad Dóminum; * quóniam ipſe evéllet de láqueo pedes meos.

Réſpice in me, & miſerére meî; * quia únicus & pauper ſum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ ſunt: * de neceſſitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meã, & labórem meum, * & dimítte univérſa delícta mea.

Réſpice inimícos meos, quóniam multiplicáti ſunt, * & ódio iníquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam, & érue me: * non erubéſcam, quóniam ſperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi, * quia ſuſtínui te.

Líbera, Deus, Iſraël, * ex ómnibus tribulatiónibus ſuis.

PSALMUS 60.

Spes noſtra Deus, turris fortitudinis à facie inimici.

EXaúdi, Deus, deprecatiónem meam, * inténde oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi, dum anxiarétur cor

meum; * in petra exaltáſti me.

Deduxíſti me, quia factus es ſpes mea, * turris fortitúdinis à facie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in ſécula, * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudíſti oratiónem meam; * dediſti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies ſuper dies regis adjícies, * annos ejus uſque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conſpéctu Dei: * miſericórdiam & veritátem ejus quis requíret?

Sic pſalmum dicam nómini tuo in séculum séculi, * ut reddam vota mea de die in diem.

AD SEXTAM.

PSALMUS 80.

In Deo lætandum, qui cibat nos ex adipe frumenti, & de petrâ melle ſaturat.

EXultáte Deo adjutóri noſtro, * jubiláte Deo Jacob.

Súmite pſalmum, & date tympanum, * pſaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tubâ, * in insígni die ſolemnitátis veſtræ:

Quia præcéptum in Iſraël eſt, * & judícium Deo Jacob.

Teſtimónium in Joſeph póſuit illud, cùm exíret de terra Ægypti: * linguam quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorſum ejus, * manus ejus in cóphino ſerviérunt.

Diviſio Pſalmi 80.

IN tribulatióne invocáſti me, & liberávi te; * exaudívi te in abſcóndito tempeſtátis, probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & conteſtábor te: * Iſraël, ſi audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti, * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam, * & Iſraël non inténdit mihi.

Et dimíſi eos ſecúndùm deſidéria cordis eórũ, * ibunt in adinventiónibus ſuis.

Si pópulus meus audíſſet me, * Iſraël ſi in viis meis ambuláſſet,

Pro níhilo fórſitan inimícos eórum humiliáſſem, * & ſuper tribulántes eos miſíſſem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti ſunt ei; * & erit tempus eórum in ſécula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti; * & de petra, melle ſaturávit eos.

PSALMUS 83.

Æterna Dei tabernacula unicum juſti deſiderium.

QUàm dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíſcit, &

déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invénit ſibi domum, * & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus, & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine; * in sécula ſeculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus eſt auxílium abs te; * aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit, in valle lacrymárum, in loco quem póſuit.

Etenim benedictiónem dabit legiſlátor, ibunt de virtúte in virtútem; * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exaúdi oratiónem meam, * aúribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noſter, áſpice, Deus, * & réſpice in fáciem Chriſti tui:

Quia mélior eſt dies una in átriis tuis, * ſuper míllia.

Elégi abjéctus eſſe in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia miſericórdiam & veritátem díligit Deus, * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui ſperat in te.

AD NONAM.

Psalmus 19.

Chriſti ſacrificium pro ſuis acceptari plebs ejus poſcit.

EXaúdiat te Dóminus in die tribulatiónis; * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de Sancto, * & de Sion tueátur te.

Memor ſit omnis ſacrifícii tui; * & holocaúſtum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi ſecúndùm cor tuum, * & omne conſílium tuum confírmet.

Lætábimur in ſalutári tuo, * & in nómine Dei noſtri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas; * nunc cognóvi quóniam ſalvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum.

Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo: * in potentátibus ſalus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis: * nos autem in nómine Dómini Dei noſtri invocábimus.

Ipſi obligáti ſunt, & cecidérunt: * nos autem ſurréximus, & eré cti ſumus.

Dómine, ſalvum fac regem; * & exaúdi nos in die quâ invocavérimus te.

Psalmus 22.

Menſam in conſpectu noſtro paravit Deus.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me ſuper ſémitas juſtítiæ, * propter nomen ſuum.

Nam, & ſi ambuláverо in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéctu meo menſam, * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum : * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me,* ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

PSALMUS 53.

Juſtus adversùs inſidiatores & hoſtes animæ ſuæ conſtantiam expoſcit.

DEus, in nómine tuo ſalvum me fac, * & in virtúte tua júdica me.

Deus, exaúdi oratiónem meam, * aúribus pérçipe verba oris mei :

Quóniam aliéni inſurrexérunt advérsùm me, & fortes quæſiérunt ánimam meam, * & non propoſuérunt Deum ante conſpéctum ſuum.

Ecce enim Deus ádjuvat me, * & Dóminus ſuſcéptor eſt ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis, * & in veritáte tua diſpérde illos.

Voluntárie ſacrificábo tibi; * & confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum eſt.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuíſti me, * & ſuper inimícos meos deſpéxit óculus meus.

AD VESPERAS.

PSALMUS 115.

Calix ſalutaris accipiendus; vota Domino coram populo reddenda.

CRédidi, propter quod locútus ſum; * ego autem humiliátus ſum nimis.

Ego dixi in excéſſu meo:* Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem ſalutáris accípiam, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretióſa in conſpéctu Dómini mors ſanctórum ejus.

O Dómine, quia ego ſervus tuus, * ego ſervus tuus, & fílius ancíllæ tuæ.

Dirupíſti víncula mea : * tibi ſacrificábo hóſtiam laudis, & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conſpéctu omnis pópuli ejus; * in átriis domûs Dómini, in médio tuî, Jerúſalem.

PSALMUS 125.

In Deo exultant fideles, quia magnificè cum eis egit.

IN convertendo Dóminus captivitátem Sion, * facti ſumus ſicut conſoláti.

Tunc replétum eſt gaúdio os noſtrum, * & lingua noſtra exultatióne:

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobiſcum; * facti ſumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem noſtram, * ſicut torrens in auſtro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant & flebant, * mitténtes sémina ſua;

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos ſuos.

Ant. 3. *à.* Gaudeámus.

PSALMUS 127.

Chriſti & Eccleſiæ filii in circuitu menſæ Domini.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis, * beátus es, & benè tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis abúndans, * in latéribus domûs tuæ.

Fílii tui ſicut novéllæ olivárum, * in circúitu menſæ tuæ:

Ecce ſic benedicétur homo * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * & vídeas bona Jerúſalem, ómnibus diébus vitæ tuæ;

Et vídeas filios filiórum tuórum, * pacem ſuper Iſraël.

PSALMUS 131.

Chriſtus promiſſus: per ipſum, Eccleſiam ſuam Deus inhabitat, pauperes ejus panibus ſaturat.

MEménto, Dómine, David, * & omnis manſuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domûs meæ; * ſi aſcéndero in lectum ſtrati mei;

Si dédero ſomnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiónem,

Et réquiem tempóribus meis, * donec invéniam locum Dómino, tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephráta, * invénimus eam in campis ſylvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus, * adorábimus in loco, ubi ſtetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu & arca ſanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur juſtítiam; * & ſancti tui exúltent.

Propter David ſervum tuum, * non avértas fáciem Chriſti tui.

Diviſio Pſalmi 131.

JUrávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrábitur eam : * De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Si cuſtodíerint filii tui teſtaméntum meum, * & teſtimónia mea hæc, quæ docébo eos :

Et filii eórum uſque in séculum * ſedébunt ſuper ſedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion ; * elégit eam in habitatiónem ſibi.

Hæc réquies mea in séculum séculi : * hîc habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * paúperes ejus ſaturábo pánibus :

Sacerdótes ejus índuam ſalutári : * & ſancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David ; * parávi lucérnam Chriſto meo.

Inimícos ejus índuam confuſióne : * ſuper ipſum autem efflorébit ſanctificátio mea.

AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 15.

Deus in Chriſto pars calicis noſtri, nos cum Chriſto reſſuſcitabit.

COnſérva me, Dómine, quóniam ſperávi in te:* dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui ſunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis,

Multiplicátæ ſunt infirmitátes eórum ; * póſteà acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de ſanguínibus ; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei : * tu es qui reſtitues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris ; * étenim hæréditas mea præclára eſt mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum ; * inſuper & uſque ad noctem, increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conſpéctu meo ſemper ; * quóniam à dextris eſt mihi ne commóvear :

Propter hoc lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea : * ínſuper & caro mea requiéſcet in ſpe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno ; * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecíſti vias vitæ, adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua uſque in finem.

PSALMUS 23.

Quibus virtutibus aſcendemus in cœlum cum Chriſto.

DOmini eſt terra, & plenitúdo ejus ; * orbis terrárum, & univérſi qui hábitant in eo.

Quia ipſe ſuper mária

fundávit eum, * & ſuper flúmina præparávit eum.

Quis aſcéndet in montem Dómini? * aut quis ſtabit in loco ſanćto ejus?

Innocens mánibus, & mundo corde; * qui non accépit in vano ánimam ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo.

Hic accípiet benedićtiónem à Dómino, * & miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo.

Hæc eſt generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, veſtras; & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prǽlio.

Attóllite portas, príncipes, veſtras; & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipſe eſt Rex glóriæ.

PSALMUS 149.

Laudandus Deus, qui exaltabit manſuetos in ſalutem.

CAntáte Dómino cánticum novum; * laus ejus in eccléſia ſanćtórum.

Lætétur Iſraël in eo qui fecit eum; * & fílii Sion exúltent in Rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro; * in týmpano & pſaltério pſallant ei;

Quia beneplácitum eſt Dómino in pópulo ſuo; * & exaltábit manſuétos in ſalútem.

Exultábunt ſanćti in glória, * lætabúntur in cubílibus ſuis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum; * & gládii ancípites in mánibus eórum,

Ad faciéndam vindíćtam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis;

Ad alligándos reges eórum in compédibus, * & nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conſcríptum: * glória hæc eſt ómnibus ſanćtis ejus.

FERIA SEXTA,

AD OFFIC. NOCTURN.

IN I. NOCTURNO.

PSALMUS 51.

Impios manet interitus; Juſtos, gloria.

QUid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Totâ die injuſtítiam cogitávit lingua tua: * ſicut novácula acúta feciſti dolum.

Dilexíſti malítiam ſuper benignitátem, * iniquitátem magìs quàm loqui æquitátem.

Dilexíſti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolóſa.

Proptéreà Deus déſtruet te in finem: * evéllet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo, & radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt juſti, & timé-

bunt, & ſuper eum ridébunt, & dicent: * Ecce homo, qui non póſuit Deum adjutórem ſuum:

Sed ſperávit in multitúdine divitiárum ſuárum; * & præváluit in vanitáte ſua.

Ego autem, ſicut oliva fructífera in domo Dei, * ſperávi in miſericórdia Dei in ætérnum, & in séculum séculi.

Confitébor tibi in séculum, quia fecíſti: * & expectábo nomen tuum, quóniam bonum eſt, in conſpéctu ſanctórum tuórum.

PSALMUS 54.

Juſtus ab iniquis vexatus, & ab ipſis familiaribus ſuis maledictus, in Deo ſpem ſuam ponit.

EXaúdi, Deus, oratiónem meam, & ne deſpéxeris deprecatiónem meam: * inténde mihi, & exaúdi me.

Contriſtátus ſum in exercitatióne mea: * & conturbátus ſum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes: * & in ira moléſti erant mihi.

Cor meum conturbátum eſt in me: * & formído mortis cécidit ſuper me.

Timor & tremor venérunt ſuper me: * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut colúmbæ? * & volábo, & requiéſcam.

Ecce elongávi fúgiens; * & manſi in ſolitúdine.

Expectábam eum, qui ſalvum me fecit à puſillanimitáte ſpíritûs, * & tempeſtáte.

Præcípita, Dómine, dívide linguas eórum: * quóniam vidi iniquitátem, & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam ſuper muros ejus iníquitas: * & labor in médio ejus, & injuſtítia.

Et non defécit de platéis ejus * uſúra & dolus.

Quóniam ſi inimícus meus maledixíſſet mihi, * ſuſtinuíſſem útique.

Et ſi is qui óderat me, ſuper me magna locútus fuíſſet, * abſcondíſſem me fórſitan ab eo.

Tu verò, homo unánimis, * dux meus, & notus meus,

Qui ſimul mecum dulces capiébas cibos: * in domo Dei ambulávimus cum conſénſu.

Véniat mors ſuper illos; * & deſcéndant in inférnum vivéntes:

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi: * & Dóminus ſalvábit me.

Diviſio Pſalmi 54.

VEſpere, & manè, & merídie narrábo, & annuntiábo; * & exaúdiet [Dóminus] vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropínquant mihi; * quóniam inter multos erant mecum.

Exaúdiet Deus, & humiliábit illos, * qui eſt ante sécula.

Non enim eſt illis commutátio, & non timuérunt Deum; * exténdit manum ſuam in retribuéndo.

Contaminavérunt teſtaméntum ejus, diviſi ſunt ab ira vultûs ejus: * & appropinquávit cor illíus.

Mollíti ſunt ſermónes ejus ſuper óleum: * & ipſi ſunt jácula.

Jacta ſuper Dóminum curam tuam, & ipſe te enútriet: * non dabit in ætérnum fluctuatiónem juſto.

Tu verò, Deus, dedúces eos * in púteum intéritûs.

Viri ſánguinum, & dolóſi non dimidiábunt dies ſuos: * ego autem ſperábo in te, Dómine.

IN II. NOCTURNO.

PSALMUS 63.

Anima fidelis Dei juſtitiam contra calumniatores deprecatur.

EXaúdi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor: * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexíſti me à convéntu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas ſuas: * intendérunt arcum rem amáram, ut ſagíttent in occúltis immaculátum.

Súbitò ſagittábunt eum, & non timébunt, * firmavérunt ſibi ſermónẽ nequã.

Narravérunt ut abſcónderent láqueos, * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti ſunt iniquitátes: * defecérunt ſcrutántes ſcrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * & exaltábiturDeus.

Sagíttæ parvulórum factæ ſunt plagæ eórum: * & infirmátæ ſunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti ſunt omnes qui vidébant eos: * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei: * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur juſtus in Dómino, & ſperábit in eo; * & laudabúntur omnes recti corde.

PSALMUS 87.

Juſtus ab inimicis vexatus, & ab amicis derelictus, ſe Deo commendat.

DOmine Deus ſalútis meæ, * in die clamávi, & nocte coram te.

Intret in conſpéctu tuo orátio mea, * inclína aurem tuam ad precem meam.

Quia repléta eſt malis ánima mea, * & vita mea inférno appropinquávit.

Æſtimátus ſum cum deſcendéntibus in lacum; * factus ſum ſicut homo ſinè adjutório, inter mórtuos liber;

Sicut vulneráti dormiéntes in ſepúlcris, quorum non es memor ámpliùs; * & ipſi de manu tua repúlſi ſunt.

Poſuérunt me in lacu inferióri, * in tenebróſis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus eſt furor tuus, * & omnes fluctus tuos induxíſti ſuper me.

Longè fecíſti notos meos à me, * poſuérunt me abominatiónem ſibi.

Tráditus ſum, & non egrediébar, * óculi mei languérunt præ inópia.

Diviſio Pſalmi 87.

CLamávi ad te, Dómine, totâ die; * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília? * aut médici ſuſcitábunt, & confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in ſepúlcro miſericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoſcéntur in ténebris mirabília tua, * & juſtítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi; * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam? * avértis fáciem tuam à me?

Pauper ſum ego, & in labóribus à juventúte mea; * exaltátus autem humiliátus ſum, & conturbátus.

In me tranſiérunt iræ tuæ; * & terróres tui conturbavérunt me:

Circumdedérunt me ſicut aqua totâ die, * circumdedérunt me ſimul.

Elongáſti à me amícum & próximum, * & notos meos à miséria.

IN III. NOCTURNO.

PSALMUS 68.

Chriſti orantis in monte Oliveti agonia, & alia paſſionis ejus circumſtantia.

SAlvum me fac, Deus; * quóniam intravérunt aquæ uſque ad ánimam meam.

Infixus ſum in limo profúndi: * & non eſt ſubſtántia.

Veni in altitúdinem maris; * & tempéſtas demérſit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ: * defecérunt óculi mei, dum ſpero in Deum meum.

Multiplicáti ſunt ſuper capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratìs.

Confortáti ſunt, qui perſecúti ſunt me inimíci mei injúſtè: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu ſcis inſipiéntiam meam: * & delícta mea à te non ſunt abſcóndita.

Non erubéſcant in me qui expéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur ſuper me, * qui quærunt te, Deus Iſraël.

Quóniam propter te ſuſtínui oppróbrium; * opéruit confúſio fáciem meam.

Extráneus factus ſum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ.

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me; * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt ſuper me.

Et opérui in jejúnio animam meam,* & factum eſt in oppróbrium mihi.

Et póſui veſtiméntum meum cilícium, * & factus ſum illis in parábolam.

Advérsùm me loquebántur qui ſedébant in porta, * & in me pſallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meā ad te, Dómine : * tempus benepláciti, Deus.

In multitúdine miſericórdiæ tuæ exaúdi me, * in veritáte ſalútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar: * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéſtas aquæ, neque absórbeat me profúndum, * neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum.

Diviſio Pſalmi 68.

EXaúdi me, Dómine, quóniam benígna eſt miſericórdia tua; * ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum réſpice in me.

Et ne avértas fáciem tuam à púero tuo; * quóniam tríbulor, velóciter exaúdi me.

Inténde ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

Tu ſcis impropérium meum, & confuſiónem meam, * & reveréntiam meam.

In conſpéctu tuo ſunt omnes qui tríbulant me: * impropérium expectávit cor meum, & miſériam,

Et ſuſtínui qui ſimul contriſtarétur, & non fuit; * & qui conſolarétur, & non invéni.

Et dedérunt in eſcam meam fel; * & in ſiti mea, potavérunt me acéto.

Fiat menſa eórum coram ipſis in láqueum, * & in retributiónes, & in ſcándalum.

Obſcuréntur óculi eórum ne vídeant, * & dorſum eórum ſemper incúrva.

Effúnde ſuper eos iram tuam, * & furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum desérta, * & in tabernáculis eórum non ſit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percuſſiſti, perſecúti ſunt; * & ſuper dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem ſuper iniquitátem eórum; * & non intrent in juſtítiam tuam.

Deleántur de libro viventium, * & cum juſtis non ſcribántur.

Altera diviſio Pſal. 68.

EGo ſum pauper & dolens: * ſalus tua, Deus, ſuſcépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo ſuper vítulum novéllum, * córnua producéntem & úngulas.

Vídeant paúperes, & lætentur: * quǽrite Deum, & vivet ánima veſtra:

Quóniam exaudívit paúperes Dóminus: * & vinctos ſuos non deſpéxit.

Laudent illum cœli & terra, * mare & ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus ſalvam fáciet Sion, * & ædificabúntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et ſemen ſervórum ejus poſſidébit eam, * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Poſt. ℣. *dicitur* Pater noſter, &c. *ut ſuprà.*

AD LAUDES MATUTINAS.

PSALMUS 69.

Chriſtus pro nobis patiens, ſibi pro nobis opem precatur.

DEus, in adjutórium meum inténde; * Dómine, ad adjuvándum me feſtína.

Confundántur & revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsùm & erubéſcant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur ſtatim erubeſcéntes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent & lætentur in te omnes qui quærunt te; * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper ſum; * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, & liberátor meus es tu; * Dómine, ne moréris.

PSALMUS 70.

Caput Eccleſiæ Chriſtus pro ipſa adversùs impios auxilium poſtulat.

IN te, Dómine, ſperávi, non confúndar in ætérnum: * in juſtítia tua líbera me, & éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * & ſalva me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum; * ut ſalvum me fácias;

Quóniam firmaméntum meum, * & refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agéntis, & iniqui;

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine: * Dómine, ſpes mea à juventúte mea.

In te confirmátus ſum ex útero; de ventre matris meæ tu es protéctor meus; * in te cantátio mea ſemper.

Tanquam prodígium factus ſum multis, * & tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, * ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore ſenectútis; * cùm defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi;* & qui cuſtodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicéntes: Deus derelíquit eum, perſequímini, & comprehéndite eum; * quia non eſt qui erípiat.

Deus, ne elongéris à me;* Deus meus, in auxílium meum réſpice.

Confundántur, & defíciant detrahéntes ánimæ meæ;*operiántur confuſióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem ſemper ſperábo; *& adjíciam ſuper omnem laudem tuam.

Diviſio Pſalmi 70.

OS meum annuntiábit juſtítiam tuam, [Dómine], * totâ die ſalutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini; * Dómine, memorábor juſtítiæ tuæ ſolíus.

Deus, docuíſti me à juventúte mea; * & uſque nunc pronuntiábo mirabília tua.

Et uſque in ſenéctam & sénium, * Deus, ne derelínquas me;

Donec annúntiem brachium tuum * generatióni omni quæ ventúra eſt,

Poténtiam tuam, & juſtítiam tuam, Deus, uſque in altíſſima, quæ fecíſti magnália: * Deus, quis símilis tibi?

Quantas oſtendíſti mihi tribulatiónes multas & malas, * & convérſus vivificáſti me, & de abýſſis terræ íterùm reduxíſti me!

Multiplicáſti magnificéntiam tuam, * & convérſus conſolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vaſis pſalmi veritátem tuam, Deus; * pſallam tibi in cíthara, Sanctus Iſraël.

Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi, * & ánima mea quam redemíſti.

Sed & lingua mea totâ die meditábitur juſtítiam tuã,* cùm confúſi & revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Hìc dicitur Canticum.

PSALMUS 145.

Laudandus Deus, qui facit judicium injuriam patientibus.

LAuda, ánima mea, Dóminum; * laudábo Dóminum in vita mea, pſallam Deo meo quándiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus, * in filiis hóminum, in quibus non eſt ſalus.

Exíbit ſpíritus ejus, & revertétur in terram ſuã; * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare & ómnia quæ in eis ſunt:

Qui cuſtódit veritátem

in séculum, facit judícium injúriam patiéntibus; * dat eſcam eſuriéntibus.

Dóminus ſolvit compedítos; * Dóminus illúminat cœcos:

Dóminus érigit eliſos; * Dóminus díligit juſtos:

Dóminus cuſtódit ádvenas; pupíllum & víduam ſuſcípiet, * & vias peccatórum diſpérdet.

Regnábit Dóminus in sécula; * Deus tuus, Sion, in generatiónem & generatiónem.

AD PRIMAM.

PSALMUS 34.

Chriſtus pro nobis patiens, ab hoſtibus liberari deprecatur.

JUdica, Dómine, nocéntes me; * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma & ſcutum: * & exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, & conclúde advérsùs eos qui perſequúntur me: * dic ánimæ meæ: Salus tua ego ſum.

Confundántur & reveréantur, * quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsùm, & confundántur, * cogitántes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti; * & ángelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lúbricum; * & ángelus Dómini pérſequens eos.

Quóniam gratìs abſcondérunt mihi intéritum láquei ſui; * ſupervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus quem ignórat; & cáptio quam abſcóndit, apprehéndat eum; * & in láqueum cadat in ipſum.

Anima autem mea exultábit in Dómino, * & delectábitur ſuper ſalutári ſuo.

Omnia oſſa mea dicent: * Dómine, quis ſímilis tibi?

Erípiens inopem de manu fortiórum ejus, * egénum & páuperem à diripiéntibus eum.

Diviſio Pſalmi 34.

SUrgéntes teſtes iníqui, * quæ ignorábam, interrogábant me;

Retribuébant mihi mala pro bonis, * ſterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem, cùm mihi moléſti eſſent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam, * & orátio mea in ſinu meo convertétur.

Quaſi próximum & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacébam: * quaſi lugens & contriſtátus, ſic humiliábar.

Et advérsùm me lætáti ſunt, & convenérunt: * congregáta ſunt ſuper me flagélla, & ignorávi.

Diſſipáti ſunt, nec compúncti; tentavérunt me, ſubſannavérunt me ſubſannatióne; * frenduérunt ſuper me déntibus ſuis.

Dómine, quandò reſpi-

cies? * reſtítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in ecclé-ſia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non ſupergaúdeant mihi qui adversántur mihi iníquè; * qui odérunt me gratis, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebántur; * & in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt ſuper me os ſuum: * dixérunt: Euge, euge; vidérunt óculi noſtri.

Vidiſti, Dómine, ne ſíleas; * Dómine, ne diſcédas à me.

Altera diviſio Pſal 34.

EXúrge, & inténde judício meo; * Deus meus, & Dóminus meus in cauſam meam.

Júdica me ſecúndùm juſtítiam tuam, Dómine Deus meus; * & non ſupergaúdeant mihi.

Non dicant in córdibus ſuis: Euge, euge, ánimæ noſtræ: * nec dicant: Devorávimus eum.

Erubéſcant, & revereántur ſimul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confuſióne & reveréntiâ, * qui magna loquúntur ſuper me.

Exúltent & lætén tur, qui volunt juſtítiam meam; * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem ſervi ejus.

Et lingua mea meditábitur juſtítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

AD TERTIAM.

PSALMUS 25.

Anima fidelis ab iniquis vexata humilis apud Deum querela.

JÚdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréſſus ſum; * & in Dómino ſperans non infirmábor.

Proba me, Dómine, & tenta me: * ure renes meos & cor meum.

Quóniam miſericórdia tua ante óculos meos eſt; * & complácui in veritáte tua.

Non ſedi cum concílio vanitátis; * & cum iniqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclé ſiam malignántium; * & cum ímpiis non ſedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas; * & circúmdabo altáre tuum, Dómine;

Ut aúdiam vocem laudis, * & enárrem univérſa mirabília tua.

Dómine, diléxi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam; * & cum viris sánguinum vitam meam,

In quorum mánibus iniquitátes ſunt; * déxtera eórum repléta eſt munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréſſus ſum: * rédime me, & miſerére meî.

Pes meus ſtetit in diré-

ctο: * in eccléſiis benedícam te, Dómine.

PSALMUS 39.

Chriſtus mortis & inferi victor, Deo Patri pro ſe gratias agit, pro ſuis membris preces offert.

EXpéctans expectávi Dóminum; * & inténdit mihi;

Et exaudívit preces meas;* & edúxit me de lacu miſériæ, & de luto fæcis.

Et ſtátuit ſuper petram pedes meos; * & diréxit greſſus meos.

Et immíſit in os meum cánticum novum, * carmen Deo noſtro.

Vidébunt multi, & timébunt, * & ſperábunt in Dómino.

Beátus vir cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus; * & non reſpéxit in vanitátes, & insánias falſas.

Multa fecíſti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua: * & cogitatiónibus tuis non eſt qui ſímilis ſit tibi.

Annuntiávi & locútus ſum: * multiplicáti ſunt ſuper númerum.

Sacrifícium & oblatiónem noluíſti: * aures autem perfecíſti mihi.

Holocaúſtum, & pro peccáto non poſtuláſti: * tunc dixi: Ecce vénio.

In cápite libri ſcriptum eſt de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui, & legem tuam in médio cordis mei.

Diviſio Pſalmi 39.

ANnuntiávi juſtítiã tuam in eccléſia magna: * ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu ſciſti.

Juſtítiam tuam non abſcóndi in corde meo: * veritátem tuam, & ſalutáre tuum dixi.

Non abſcóndi miſericórdiam tuam & veritátem tuam, * à concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longè fácias miſeratiónes tuas à me: * miſericórdia tua & véritas tua ſemper ſuſcepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala quorum non eſt númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ, & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ ſunt ſuper capíllos cápitis mei, * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me; * Dómine, ad adjuvándum me réſpice.

Confundántur & revereántur ſimul, qui quærunt ánimã meam, * ut aúferant eam.

Convertántur retrórsùm, & revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant conféſtim confuſiónem ſuam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent & læténtur ſuper te omnes quæréntes te;* & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego autem mendícus ſum & pauper: * Dóminus ſollícitus eſt meî.

Adjútor meus & protéctor meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

AD SEXTAM.

PSALMUS 21.

Chriſtus in cruce, Patrem obſecrat, ut ſibi adſit.

DEus, Deus meus, réſpice in me, quare me dereliquíſti?* longè à ſalúte mea verba delictórũ meórũ.

Deus meus, clamábo per diem, & non exaúdies; * & nocte, & non ad inſipiéntiam mihi.

Tu autem in Sancto hábitas, * Laus Iſraël.

In te ſperavérunt patres noſtri; * ſperavérunt, & liberáſti eos.

Ad te clamavérunt, & ſalvi facti ſunt: * in te ſperavérunt, & non ſunt confúſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo; * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, deriſérunt me; * locúti ſunt lábiis, & movérunt caput:

Sperávit in Dómino, erípiat eum; * ſalvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxíſti me de ventre, * ſpes mea ab ubéribus matris meæ:

In te projéctus ſum ex útero; * de ventre matris meæ, Deus meus es tu.

Diviſio Pſalmi 21.

NE diſcéſſeris à me; * *quóniam tribulátio próxima eſt, quóniam non eſt qui ádjuvet.*

Circumdedérunt me vítuli multi; * tauri pingues obſedérunt me.

Aperuérunt ſuper me os ſuum, * ſicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúſus ſum;* & diſpérſa ſunt ómnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tanquam cera liquéſcens, * in médio ventris mei.

Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faúcibus meis: * & in púlverẽ mortis deduxíſti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi:* concílium malignántium obſédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos; * dinumeravérunt ómnia oſſa mea.

Ipſi verò conſideravérunt & inſpexérunt me: * divisérunt ſibi veſtiménta mea, & ſuper veſtem meam misérunt ſortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me; * ad defenſiónem meam cónſpice.

Erue à frámea, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis; * in médio eccléſiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum; * univérſum ſemen Jacob, glorificáte eum; tímeat eum omne ſemen Iſraël:

Quóniam non ſprevit neque deſpéxit deprecatiónem paúperis, nec avértit fáciem ſuam à me; * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Altera diviſio Pſal. 21.

APud te laus mea in ecclésia magna; * vota mea reddam in conſpéctu timéntium eum.

Edent paúperes, & ſaturabúntur: & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in séculum séculi.

Reminiſcéntur, & converténtur ad Dóminum * univérſi fines terræ:

Et adorábunt in conſpéctu ejus * univérſæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini eſt regnum; * & ipſe dominábitur géntium.

Manducavérunt, & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conſpéctu ejus cadent omnes qui deſcéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet; * & ſemen meum sérviet ipſi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * & annuntiábunt cœli juſtítiam ejus pópulo qui naſcétur, quem fecit Dóminus.

AD NONAM.

PSALMUS 30.

Vox Chriſti morientis & ſpiritum ſuum Patri commendantis.

IN te, Dómine, ſperávi, non confúndar in ætérnum: * *in juſtítia tua líbera me.*

Inclina ad me aurem tuã; * accélera ut éruas me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii, * ut ſalvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abſcondérunt mihi; * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo ſpíritum meum; * redemíſti me, Dómine, Deus veritátis.

Odíſti obſervántes vanitátes * ſupervácuè.

Ego autem in Dómino ſperávi: * exultábo, & lætábor in miſericórdia tua;

Quóniam reſpexíſti humilitátem meam; * ſalváſti de neceſſitátibus ánimam meam.

Nec concluſíſti me in mánibus inimíci; * ſtatuíſti in loco ſpatióſo pedes meos.

Diviſio Pſalmi 30.

MIſerére meî, Dómine, quóniam tríbulor: * conturbátus eſt in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus:

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta eſt in paupertáte virtus mea; * & oſſa mea conturbáta ſunt.

Super omnes inimícos meos factus ſum oppróbriũ, & vicínis meis valde; * & timor notis meis.

Qui vidébant me, * foràs fugérunt à me.

Oblivióni datus ſum tanquam mórtuus à corde; * factus ſum tanquam vas pérditum:

Quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu, in eo dùm convenírent ſimul advérsùm me,* accípere ánimam meam conſiliáti ſunt.

Ego autem in te ſperávi, Dómine: * dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à perſequéntibus me.

Illúſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum; * ſalvum me fac in miſericórdia tua.

Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te; * erubéſcant ímpii, & deducántur in inférnum.

Muta fiant lábia dolóſa,* qui loquúntur advérsùs juſtum iniquitátem, in ſupérbia & in abuſióne.

Altera diviſio Pſal. 30.

QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abſcondíſti timéntibus te!

Perfecíſti eis qui ſperant in te, * in conſpéctu filiórum hóminum.

Abſcóndes eos in abſcóndito faciéi tuæ,* à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo, * à contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus; * quóniam mirificávit miſericórdiam ſuam mihi in civitáte muníta.

Ego autem dixi in excéſſu mentis meæ: * Projéctus ſum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudíſti vocem oratiónis meæ, * cùm clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes ſancti ejus; * quóniam veritátem requíret Dóminus, & retríbuet abundánter faciéntibus ſupérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor veſtrum, * omnes qui ſperátis in Dómino.

AD VESPERAS.

PSALMUS 128.

Chriſti & Eccleſiæ prælia & victoria.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Iſraël;

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea; * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorſum meum fabricavérunt peccatóres, * prolongavérunt iniquitátem ſuam.

Dóminus juſtus concídit cervíces peccatórum: * confundántur & convertántur retrórsùm omnes qui odérunt Sion.

Fiant ſicut fœnum tectórum, * quod priúſquàm evellátur, exáruit:

De quo non implévit manum ſuam qui metit, * & ſinum ſuum qui manípulos cólligit:

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio Dómini ſuper vos; * benedíximus vobis in nómine Dómini.

PSALMUS 129.

Oratio pœnitentis veniam à Deo per Chriſtum poſcentis.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exaúdi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dómine, * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt; * & propter legem tuam ſuſtínui te, Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus; * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem, * ſperet Iſraël in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia; * & copióſa apud eum redémptio:

Et ipſe rédimet Iſraël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

PSALMUS 139.

Se ab improbis defendi precatur Eccleſia.

ERipe me, Dómine, ab hómine malo: * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde, * totâ die conſtituébant prælia:

Acuérunt linguas ſuas ſicut ſerpéntis; * venénum áſpidum ſub lábiis eórum.

Cuſtódi me, Dómine, de manu peccatóris, * & ab homínibus iníquis éripe me;

Qui cogitavérunt ſupplantáre greſſus meos, * abſcondérunt ſupérbi láqueum mihi;

Et funes extendérunt in láqueum; * juxta iter ſcándalum poſuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu: * exaúdi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Diviſio Pſalmi 139.

DOmine, Dómine, virtus ſalútis meæ, * obumbráſti ſuper caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, à deſidério meo peccatóri; * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne fortè exalténtur.

Caput circúitûs eórum, * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent ſuper eos carbónes, in ignem dejícies eos; * in miſériis non ſubsíſtent.

Vir linguóſus non dirigétur in terra; * virum injúſtum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * & vindíctam paúperum.

Verúmtamen juſti confitebúntur nómini tuo; * & habitábunt recti cum vultu tuo.

PSALMUS 141.

Juſtus humanâ ope deſtitutus, ad divinum confugit auxilium.

VOce meâ ad Dóminum clamávi: * voce meâ ad Dóminum deprecátus ſum.

Effúndo in conſpéctu ejus oratiónem meam; * & tribulatiónem meam ante ipſum pronúntio.

In deficiéndo ex me ſpíritum meum: * & tu cognovíſti sémitas meas.

In via hac quâ ambulábam, * abſcondérunt láqueum mihi.

Conſiderábam ad déxteram, & vidébam; * & non erat qui cognóſceret me.

Périit fuga à me; * & non eſt qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te Dómine, * dixi: Tu es ſpes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam; * quia humiliátus ſum nimis.

Líbera me à perſequéntibus me; * quia confortáti ſunt ſuper me.

Educ de cuſtódia ánimam meam, ad confiténdum nómini tuo; * me expéctant juſti, donec retríbuas mihi.

AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 37.

Mala hujus vitæ ſuſtinenda, ad obtinendam peccatorum veniam.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam ſagíttæ tuæ infixæ ſunt mihi, * & confirmáſti ſuper me manum tuam.

Non eſt sánitas in carne *mea à fácie iræ tuæ*: * non *eſt pax óſſibus* meis à fácie *peccatórum* meórum:

Quóniam iniquitátes meæ ſupergréſſæ ſunt caput meum, * & ſicut onus grave, graváta ſunt ſuper me.

Putruérunt & corrúptæ ſunt cicatríces meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem, * totâ die contriſtátus ingrediébar:

Quóniam lumbi mei impléti ſunt illuſiónibus; * & non eſt sánitas in carne mea.

Afflíctus ſum & humiliátus ſum nimis; * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne deſidérium meum, * & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Cor meum conturbátum eſt, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum.

Diviſio Pſalmi 37.

AMíci mei & próximi mei * advérsùm me appropinquavérunt & ſtetérunt;

Et qui juxta me erant, de longè ſtetérunt; * & vim faciébant, qui quærébant ánimam meam;

Et qui inquirébant mala mihi, locúti ſunt vanitátes; * & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiébam, * & ſicut mutus non apériens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non áudiens, * & non ha-

bens in ore ſuo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, ſperávi; * tu exaúdies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo ſupergaúdeant mihi inimíci mei; * & dum commovéntur pedes mei, ſuper me magna locúti ſunt.

Quóniam ego in flagélla parátus ſum, * & dolor meus in conſpéctu meo ſemper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo:

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti ſunt ſuper me; * & multiplicáti ſunt, qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam ſequébar bonitátē.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus, * ne diſcéſſeris à me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine, Deus ſalútis meæ.

PSALMUS 55.

Anima fidelis in Deo ſperans, nihil ab homine timet.

MIſerére meî, Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die; * quóniam multi bellántes advérsùm me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego verò in te ſperábo.

*In Deo laudábo ſermónes meos, in Deo ſperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.*

Totâ die verba mea execrabántur; * advérsùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abſcóndent: * ipſi calcáneum meum obſervábunt.

Sicut ſuſtinuérunt ánimam meam, pro níhilo ſalvos fácies illos: * in ira pópulos confrínges.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi; * poſuíſti lácrymas meas in conſpéctu tuo, ſicut & in promiſſióne tua.

Tunc convertêntur inimíci mei retrórsùm: * in quacúmque die invocávero te, ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo ſermónem; * in Deo ſperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam, * laudatiónes tibi.

Quóniam eripuíſti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapſu; * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

SABBATO,

AD OFFIC. NOCTURN.

IN I. NOCTURNO.

PSALMUS 16.

Chriſti pro nobis patientis oratio cum ſpe reſurgendi.

EXaúdi, Dómine, juſtítiam meam; * inténde deprecatiónem meam.

Aúribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolóſis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probáſti cor meum, & viſitáſti nocte: * igne me examináſti, & non eſt invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum, * propter verba labiórum tuórũ, ego cuſtodívi vias duras.

Pérfice greſſus meos in sémitis tuis, * ut non moveántur veſtígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudíſti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, & exaúdi verba mea.

Diviſio Pſalmi 16.

Mirífica miſericórdias tuas, [Dómine], * qui ſalvos facis ſperántes in te.

A reſiſténtibus déxteræ tuæ cuſtódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me, * à fácie impiórũ qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meã circumdedérunt, ádipem ſuum concluſérunt, * os eórum locútum eſt ſupérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me: * óculos ſuos ſtatuérunt declináre in terram.

Suſcepérunt me ſicut leo *parátus ad prædam, * & ſicut cátulus leónis hábitans in ábditis.*

Exúrge, Dómine, præveni eum, & ſupplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine, à paucis de terra dívide eos in vita eórum; * de abſcónditis tuis adimplétus eſt venter eórũ.

Saturáti ſunt filiis: * & dimiſérunt relíquias ſuas párvulis ſuis.

Ego autem in juſtítia apparébo conſpéctui tuo: * ſatiábor, cum apparúerit glória tua.

PSALMUS 35.

Impiorum malitia. Juſtitia Dei. Juſtorum gloria.

Dixit injúſtus, ut delínquat in ſemetípſo: * non eſt timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolósè egit in conſpéctu ejus; * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas & dolus; * nóluit intellígere ut benè ágeret.

Iniquitátem meditátus eſt in cubíli ſuo; áſtitit omni viæ non bonæ; * malítiam autem non odívit.

Dómine, in cœlo miſericórdia tua, * & véritas tua uſque ad nubes.

Juſtítia tua ſicut montes Dei: * judícia tua abýſſus multa.

Hómines & juménta ſalvábis, Dómine: * quemádmodum multiplicáſti miſericórdiam tuam, Deus.

Filii autem hóminum *

in tégmine alárum tuárum ſperábunt:

Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ; * & torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te eſt fons vitæ; * & in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætén de miſericórdiam tuam ſciéntibus te, * & juſtítiam tuam his qui recto ſunt corde.

Non véniat mihi pes ſupérbiæ; * & manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem; * expúlſi ſunt, nec potuérunt ſtare.

IN II. NOCTURNO.

PSALMUS 57.

Chriſtus inimicorum ſuorum injuſtitiam arguit, & Dei vindictam in ipſos prænuntiat.

SI verè útique juſtítiam loquímini, * recta judicáte, filii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini in terra, * injuſtítias manus veſtræ concínnant.

Alienáti ſunt peccatóres à vulva, erravérunt ab útero, * locúti ſunt falſa.

Furor illis ſecúndùm ſimilitúdinem ſerpéntis, * ſicut áſpidis ſurdæ & obturántis aures ſuas,

Quæ non exaúdiet vocem incantántium, * & venéfici incantántis ſapiénter.

*Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum; ** molas leónum confrínget Dóminus.

Ad níhilum devénient tanquam aqua decúrrens: *, inténdit arcum ſuum, donec infirméntur.

Sicut cera quæ fluit, auferéntur: * ſupercécidit ignis; & non vidérunt ſolem.

Priúſquàm intellígerent ſpinæ veſtræ rhamnum, *, ſicut vivéntes, ſic in ira absórbet eos.

Lætábitur juſtus cùm víderit vindíctam; * manus ſuas lavábit in ſánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique eſt fructus juſto, * útique eſt Deus júdicans eos in terra.

PSALMUS 142.

Oratio pœnitentis opem & miſericordiam Dei deprecantis.

DOmine, exaúdi oratiónem meam, aúribus pércipe obſecratiónem meam in veritáte tua, * exaúdi me in tua juſtítia;

Et non intres in judícium cum ſervo tuo; * quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens;

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam, * humiliávit in terra vitam meam;

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos séculi; * & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus, in me turbátum eſt cor meum.

Memor fui diérũ antiquórum, meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis, *in factis mánuũ tuárũ meditábar.

Expándi manus meas ad te; * ánima mea ſicut terra ſinè aqua tibi.

Velóciter exaúdi me, Dómine; * defécit ſpíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me: * & símilis ero deſcendéntibus in lacum.

Diviſio Pſalmi 142.

AUdítam fac mihi manè miſericórdiam tuam, [Dómine]; * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine, ad te confugi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam, * & in miſericórdia tua diſpérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam; * quóniã ego ſervus tuus ſum.

IN III. NOCTURNO.

PSALMUS 38.

Hujus vitæ vanitas & miſeria. Divinum poſtulatur ſubſidium.

DIxi: Cuſtódiam vias meas, * ut non delínquam in lingua mea.

Póſui ori meo cuſtódiã, * cùm conſíſteret peccátor advérsùm me.

Obmútui, & humiliátus ſum, & ſílui à bonis: * & dolor meus renovátus eſt.

Concáluit cor meum intra me: * & in meditatióne mea exardéſcet ignis.

Locútus ſum in lingua mea: * Notum fac mihi, Dómine, finem meum,

Et númerum diérum meórum quis eſt; * ut ſciam quid deſit mihi.

Ecce menſurábiles poſuiſti dies meos: * & ſubſtántia mea tanquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérſa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránſit homo: * ſed & fruſtrà conturbátur.

Theſaurízat, * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc, quæ eſt expectátio mea? nónne Dóminus? * & ſubſtántia mea apud te eſt.

Diviſio Pſalmi 38.

AB ómnibus iniquitátibus meis érue me, [Dómine]; * oppróbrium inſipiénti dediſti me.

Obmútui, & non apérui os meum, * quóniam tu feciſti.

Amove à me plagas tuas; * à fortitúdine manûs tuæ ego deféci, in increpatiónibus.

Propter iniquitátem corripuiſti hóminem, & tabéſcere feciſti ſicut aráneam

ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaúdi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam; * aúribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego ſum apud te, & peregrinus, * ſicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúſquàm ábeam, * & ámpliùs non ero.

PSALMUS 46.

Chriſtus Rex magnus ſuper omnem terram; ipſi pſallendum.

OMnes gentes, plaúdite mánibus; * jubiláte Deo, in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélſus, terríbilis, * Rex magnus ſuper omnem terrã.

Subjécit pópulos nobis, * & gentes ſub pédibus noſtris.

Elégit nobis hæreditátem ſuam, * ſpéciem Jacob, quam diléxit.

Aſcéndit Deus in júbilo, * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo noſtro, psállite: * psállite Regi noſtro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus; * psállite ſapiénter.

Regnábit Deus ſuper gentes: * Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Príncipes populórum congregáti ſunt cum Deo Abraham; * *quóniam dii fortes terræ veheménter* eleváti ſunt.

Poſt. ℣. *dicitur* Pater noſter, &c. *ut ſuprà.*

AD LAUDES MATUTINAS.

PSALMUS 47.

Eccleſia Dei fruſtrà impugnatur; Deus fundavit eam in æternum.

MAgnus Dóminus & laudábilis nimis, * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundátur exultatióne univérſæ terræ mons Sion, látera Aquilónis, * cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur, * cùm ſuſcípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti ſunt, * convenérunt in unum.

Ipſi vidéntes ſic admiráti ſunt, conturbáti ſunt, * commóti ſunt:

Tremor apprehéndit eos; * ibi dolóres ut parturiéntis.

In ſpíritu veheménti, * cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus, ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei noſtri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suſcépimus, Deus, miſericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum, Deus, ſic & laus tua in fines terræ: * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, &

complectímini eam; * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus, & diſtribúite domos ejus, * ut enarrétis in progénie áltera;

Quóniam hic eſt Deus, Deus noſter in ætérnum, & in séculum séculi; * ipſe reget nos in sécula.

PSALMUS 66.

Deus in toto orbe per Chriſtum cognoſcendus.

DEus miſereátur noſtrî, & benedícat nobis; * illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtrî;

Ut cognoſcámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus ſalutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur & exúltent gentes; * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dirigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum ſuum.

Benedícat nos Deus, Deus noſter, benedícat nos Deus; * & métuant eum omnes fines terræ.

PSALMUS 86.

Eccleſiæ Dei dilatatio: ipſe fundavit eam Altiſſimus.

FUndaménta ejus in móntibus ſanctis: * díligit Dóminus portas Sion ſuper ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa dicta ſunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis * ſciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthiópum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo & homo natus eſt in ea: * & ipſe fundávit eam Altíſſimus?

Dóminus narrábit in ſcriptúris populórum & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium * ómnium habitátio eſt in te.

Hîc dicitur Canticum.

PSALMUS 116.

Miſericordia & veritas Dei in populum ſuum à gentibus laudanda.

LAudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli;

Quóniã confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia ejus; * & véritas Dómini manet in ætérnum.

AD PRIMAM.

PSALMUS 40.

Chriſtus propter nos egenus, morti traditus, reſurrectionem ſuam petit & impetrat.

BEátus qui intélligit ſuper egénum & páuperem; * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi

ſuper lectum dolóris ejus; * univérſum ſtratum ejus verſáſti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miſerére meî; * ſana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi; * Quandò moriétur, & peribit nomen ejus?

Et ſi ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur; * cor ejus congregávit iniquitátem ſibi.

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idipſum.

Advérsùm me ſuſurrábant omnes inimíci mei, * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum conſtituérunt advérsùm me: * numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo ſperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit ſuper me ſupplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miſerére meî, & resúſcita me; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluíſti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me.

Me autem propter innocéntiam ſuſcepíſti; * & confirmáſti me in conſpéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus *Iſraël à século*, & uſque in *séculum.* * *Fiat*, fiat.

PSALMUS 98.

Chriſti regnum ſuper omnes populos: ipſe eſt cui ſerviebant patres antiqui.

DOminus regnávit, iraſcántur pópuli; * qui ſedet ſuper Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excélſus ſuper omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile & ſanctum eſt: * & honor regis judícium díligit.

Tu paráſti directiónes, * judícium & juſtítiam in Jacob tu fecíſti.

Exaltáte Dóminum Deū noſtrum; * & adoráte ſcabéllum pedum ejus, quóniam ſanctum eſt.

Móyſes & Aaron in ſacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipſe exaudiébat eos, * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Cuſtodiébant teſtimónia ejus, * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noſter, tu exaudiébas eos; * Deus, tu propítius fuíſti eis, & ulciſcens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deū noſtrum, & adoráte in monte ſancto ejus; * quóniam Sanctus Dóminus Deus noſter.

PSALMUS 107.

Chriſtus reſurrectionem ſuam, & regni ſui dilatationem prænuntiat.

PArátum cor meum, Deus, parátum cor meum; * cantábo, & pſallam in glória mea.

Exúrge, glória mea, exúrge, pſaltérium & cíthara: * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & pſallam tibi in natiónibus;

Quia magna eſt ſuper cœlos miſericórdia tua, * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * & ſuper omnem terram glória tua.

Ut liberéntur dilécti tui, * ſalvum fac déxterâ tuâ, & exaúdi me.

Deus locútus eſt in Sancto ſuo: * Exultábo, & dívidam Sichimam; & convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes; * & Ephraïm ſuſcéptio cápitis mei.

Juda rex meus; * Moab lebes ſpei meæ.

In Idumǽam extendam calceaméntum meum: * mihi alienígenæ amíci facti ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me uſque in Idumǽam?

*Nónne tu, Deus, qui repuliſti nos? * & non exi*bis, Deus, in virtútibus noſtris?

Da nobis auxílium de tribulatióne; * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * & ipſe ad níhilum dedúcet inimícos noſtros.

AD TERTIAM.

PSALMUS 58.

Chriſtus morti traditus, Patrem ſuum orat, Judæis incredulis diſperſionem, regnúmque ſuum ſuper gentes prænuntians.

ERipe me de inimícis meis, Deus meus, * & ab inſurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * & de viris ſánguinum ſalva me.

Quia ecce cepérunt ánimam meam: * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine: * ſinè iniquitáte cucúrri, & diréxi.

Exúrge in occúrſum meũ, & vide: * & tu, Dómine Deus virtútum, Deus Iſraël,

Inténde ad viſitándas omnes gentes; * non miſereáris ómnibus qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad véſperam, & famem patiéntur ut canes; * & circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore ſuo, & gládius in lábiis eórum: * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Diviſio Pſalmi 58.

FOrtitúdinem meam ad te cuſtódiam, quia, Deus, ſuſcéptor meus es: * Deus meus, miſericórdia ejus prævéniet me.

Deus oſténdet mihi ſuper inimícos meos, ne occídas eos: * nequándo obliviſcántur pópuli mei.

Diſpérge illos in virtúte tua: * & depóne eos, protéctor meus, Dómine.

Delíctum oris eórum, ſermónem labiórum ipsórum, * & comprehendántur in ſupérbia ſua.

Et de execratióne & mendácio annuntiabúntur in conſummatióne: * in ira conſummatiónis, & non erunt.

Et ſcient quia Deus dominábitur Jacob, * & fínium terræ.

Converténtur ad véſperam, & famem patiéntur ut canes; * & circuíbunt civitátem.

Ipſi diſpergéntur ad manducándum: * ſi verò non fúerint ſaturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam: * & exultábo manè miſericórdiam tuam:

Quia factus es ſuſcéptor meus & refúgium meum, * in die tribulatiónis meæ.

*Adjútor meus, tibi pſallam, quia, Deus, ſuſcéptor meus es: * Deus meus, miſericórdia mea.*

PSALMUS 75.

Terribilis eſt Deus in judiciis ſuis ſuper iniquos.

NOtus in Judæa Deus; * in Iſraël magnum nomen ejus.

Et factus eſt in pace locus ejus; * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * ſcutum, gládium & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis: * turbáti ſunt omnes inſipiéntes corde.

Dormiérunt ſomnum ſuum, * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus ſuis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui aſcendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis resíſtet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum fecíſti judícium; * terra trémuit, & quiévit,

Cum exúrgeret in judícium Deus; * ut ſalvos fáceret omnes manſuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi; * & relíquiæ cogitatiónis diem feſtum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo veſtro, * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera,

Terríbili, & ei qui aufert ſpíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

AD SEXTAM.

PSALMUS 100.

Chriſti regnum deſcribitur: ultimum ejus judicium prænuntiatur.

MIſericórdiam & judícium * cantábo tibi, Dómine.

Pſallam & intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injúſtam; * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhǽſit mihi cor pravum; * declinántem à me malignum non cognoſcébam.

Detrahéntem ſecrétò próximo ſuo, * hunc perſequébar.

Supérbo óculo & inſatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum; * ámbulans in via immaculáta, hic mihi miniſtrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit ſupérbiam: * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conſpéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ; * ut diſpérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

PSALMUS 108.

Chriſtus inimicis ſuis, Dei in ipſis vindictam, ſuámque de ipſis victoriam prædicit.

DEus, laudem meam ne tacúeris; * quia os peccatóris, & os dolóſi ſuper me apértum eſt.

Locúti ſunt advérsùm me linguâ dolósâ, & ſermónibus ódii circumdedérunt me, * & expugnavérunt me gratìs.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi; * ego autem orábam.

Et poſuérunt advérsùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne mea.

Conſtítue ſuper eum peccatórem, * & diábolus ſtet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus; * & orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci; * & epiſcopátum ejus accípiat alter.

Fiant filii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur filii ejus, & mendícent, * & ejiciántur de habitatiónibus ſuis.

Scrutétur fœnerátor omnem ſubſtántiam ejus; * & divípiant aliéni labóres ejus.

Non ſit illi adjútor, * nec ſit qui miſereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum; * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iní-

quitas patrum ejus in conſpéctu Dómini, * & peccátũ matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum ſemper, * & diſpéreat de terra memória eórum;

Pro eo quòd non eſt recordátus fácere miſericórdiam, * & perſecútus eſt hóminem ínopem & mendícum, & compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, & véniet ei; * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem ſicut veſtiméntum; * & intrávit ſicut aqua in interióra ejus, & ſicut óleum in óſſibus ejus.

Fiat ei ſicut veſtiméntum quo operítur, * & ſicut zona quâ ſemper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum; * & qui loquúntur mala advérsùs ánimã meam.

Diviſio Pſalmi 108.

ET tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum; * quia ſuávis eſt miſericórdia tua.

Líbera me, quia egénus & pauper ego ſum, * & cor meum conturbátum eſt intra me.

Sicut umbra cùm declínat, ablátus ſum; * & excúſſus ſum ſicut locúſtæ.

Génua mea infirmáta ſunt à jejúnio, * & caro mea immutáta eſt, propter óleum.

Et ego factus ſum oppróbrium illis; * vidérunt me, & movérunt cápita ſua.

Adjuva me, Dómine Deus meus; * ſalvum me fac ſecúndùm miſericórdiam tuam.

Et ſciant quia manus tua hæc, * & tu, Dómine, fecíſti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces; * qui insúrgunt in me, confundántur; ſervus autem tuus lætábitur.

Induántur qui détrahunt mihi pudóre; * & operiántur ſicut diplóide, confuſióne ſuâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * & in médio multórum laudábo eum;

Quia áſtitit à dextris paúperis, * ut ſalvam fáceret à perſequéntibus ánimam meam.

AD NONAM.

PSALMUS 59.

Chriſtus mala gentis ſuæ deflet, regníque ſui dilatationem prænuntiat.

DEus, repulíſti nos, & deſtruxíſti nos: * irátus es, & misértus es nobis.

Commovíſti terram, & conturbáſti eam: * ſana contritiónes ejus, quia commóta eſt.

Oſtendíſti pópulo tuo dura; * potáſti nos vino compunctiónis.

Dedíſti metuéntibus te ſignificatiónem; * ut fúgiant à fácie arcûs.

Ut liberéntur dilécti tui, *

ſalvum fac déxterâ tuâ, & exaúdi me.

Deus locútus eſt in Sancto ſuo:* Lætábor & partíbor Síchimam, & convállem tabernaculórum metíbor.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes; * & Ephraïm fortitúdo cápitis mei;

Juda rex meus; * Moab olla ſpei meæ.

In Idumǽam extέndam calceaméntum meum; * mihi alienígenæ súbditi ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me uſque in Idumǽam?

Nónne tu, Deus, qui repuliſti nos? * & non egrediéris, Deus, in virtútibus noſtris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * & ipſe ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

PSALMUS 78.

Fideles ab infidelibus vexati, opem Dei poſcunt.

DEus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum ſanctum tuum, * poſuérunt Jerúſalem in pomórum cuſtódiam.

Poſuérunt morticína ſervórum tuórum eſcas volatílibus cœli, * carnes ſanctórum tuórum béſtiis terræ.

Effudérunt ſánguinem eórum, tanquam aquam, in circúitu Jerúſalem; * & non erat qui ſepelíret.

Facti ſumus oppróbrium vicínis noſtris, * ſubſannátio, & illúſio his qui in circúitu noſtro ſunt.

Uſquequò, Dómine, iraſcéris in finem, * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt:

Quia comedérunt Jacob, * & locum ejus deſolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum noſtrárum antiquárũ, citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ; * quia paúperes facti ſumus nimis.

Adjuva nos, Deus ſalutáris noſter, & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos, * & propítius eſto peccátis noſtris, propter nomen tuum;

Ne fortè dicant in géntibus: * Ubi eſt Deus eórũ?

Et innotéſcat in natiónibus coram óculis noſtris, * últio ſánguinis ſervórum tuórum, qui effúſus eſt.

Intróeat in conſpéctu tuo gémitus compeditórum; * ſecúndùm magnitúdinem bráchii tui póſſide filios mortificatórum;

Et redde vicínis noſtris séptuplum in ſinu eórum, * impropérium ipsórũ, quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, & oves páſcuæ tuæ, * confitébimur tibi in séculum.

In generatiónem & generatiónem, * annuntiábimus laudem tuam.

P S A L M U S 82.

Infidelium adversùs Eccleſiam motus: ipſorúmque confuſio & interitus.

DEus, quis ſímilis erit tibi? * ne táceas, neque compeſcáris, Deus:

Quóniam ecce inimíci tui ſonuérunt: * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium, * & cogitavérunt advérsùs ſanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, & diſperdámus eos de gente; * & non memorétur nomen Iſraël ultrà.

Quóniam cogitavérunt unanímiter ſimul, * advérsùm te teſtaméntum diſpoſuérunt, tabernácula Idumæórum, & Iſmaëlítæ,

Moab & Agaréni, Gebal, & Ammon, & Amalec, * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Aſſur venit cum illis; * facti ſunt in adjutórium filiis Lot.

Fac illis ſicut Mádian & Síſaræ, * ſicut Jabin in torrénte Ciſſon.

Diſperiérunt in Endor; * facti ſunt ut ſtercus terræ.

Pone príncipes eórum, ſicut Oreb, * & Zeb, & Zébee, & Sálmana.

Omnes príncipes eórum, qui dixérunt: * Hæreditáte poſſideámus ſanctuárium Dei.

Deus meus, pone illos ut rotam, * & ſicut ſtípulam ante fáciem venti.

Sícut ignis qui combúrit ſylvam, * & ſicut flamma combúrens montes,

Ità perſéquéris illos in tempeſtáte tua; * & in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ; * & quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéſcant, & conturbéntur in séculum séculi, * & confundántur, & péreant.

Et cognóſcant quia nomen tibi Dóminus; * tu ſolus Altíſſimus in omni terra.

A D V E S P E R A S,
Quæ ſunt Primæ de Dominica.

P S A L M U S 114.

Tribulationes vitæ præſentis: æternæ vitæ deſiderium.

DIléxi, quóniam exaúdiet Dóminus * vocem oratiónis meæ;

Quia inclinávit aurem ſuam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & pericula inférni invenérunt me:

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam; * miséricors Dóminus, & juſtus, & Deus noſter miſerétur.

Cuſtódiens párvulos Dóminus; * humiliátus ſum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea,

in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapſu.

Placébo Dómino, * in regióne vivórum.

PSALMUS 121.

Spes æternæ vitæ. Pax Eccleſiæ deſideranda.

LÆtátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes noſtri, * in átriis tuis, Jerúſalẽ;

Jerúſalem, quæ ædificátur ut cívitas * cujus participátio ejus in idípſum:

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini, teſtimónium Iſraël, * ad confiténdum nómini Dómini:

Quia illic ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem; * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei noſtri, * quæsívi bona tibi.

PSALMUS 132.

Fraternæ concordiæ beatitudo.

ECce quàm bonum & quàm jucúndum, * habitáre fratres in unum!

Sicut unguéntum in cápite, quod deſcéndit in barbam, barbam Aaron, * quod deſcéndit in oram veſtiménti ejus.

Sicut ros Hermon, * qui deſcéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * & vitam uſque in séculum.

PSALMUS 136.

Sub hujus mundi Babylone, anima fidelis coram Deo gemit.

SUper flúmina Babylónis illic sédimus, * & flévimus cùm recordarémurSion.

In ſalícibus, in médio ejus, * ſuſpéndimus órgana noſtra:

Quia illic interrogavérunt nos qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum;

Et qui abduxérunt nos: * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini, * in terra aliéna?

Si oblítus fúero tuî, Jerúſalem, * oblivióni detur déxtera mea:

Adhæreat lingua mea faúcibus meis, * ſi non memínero tuî,

Si non proposúero Jerúſalẽ, * in princípio lætítiæ meæ.

Memor eſto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúſalem;

Qui dicunt: Exinaníte, exinaníte, * uſque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis míſera; * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuíſti nobis:

Beátus qui tenébit, * & allídet párvulos tuos ad petram.

P S A L M U S 140.

Orat juſtus, ut ſit patiens, & tutus ab inimicis.

DOmine, clamávi ad te, exaúdi me;*inténde voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea ſicut incénſum in conſpéctu tuo : * elevátio mánuum meárum, ſacrifícium veſpertínum.

Pone, Dómine, cuſtódiam ori meo, * & óſtium circumſtántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excuſándas excuſatiónes in peccátis,

Cum homínibus operántibus iniquitátem, * & non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me juſtus in miſericórdia, & increpábit me; * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum;

Quóniam adhuc & orátio mea* in beneplácitis eórum.

Absórpti ſunt junćti petræ júdices eórum, * aúdient verba mea quóniam potuérunt.

Sicut craſſitúdo terræ erúpta eſt ſuper terram, * diſſipáta ſunt oſſa noſtra ſecùs inférnum.

Quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei; * in te ſperávi, non aúferas ánimam meam.

Cuſtódi me à láqueo quem ſtatuérunt mihi, * & à ſcándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * ſinguláriter ſum ego, donec tránſeam.

Antiphona & cætera omnia habentur in Proprio de Tempore.

Oratio Dominicæ ſequentis.

Non fiunt ſuffragia ; ſed ſi facienda ſit Commemoràtio de aliquo Sancto, fit hoc loco.

AD COMPLETORIUM.

P S A L M U S 50.

Animæ pænitentis oratio.

Eccleſiæ bona deſideranda.

MIſerére meî, Deus, * ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam:

Et ſecúndùm multitúdinē miſeratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me:

Quóniam iniquitátem meam ego cognóſco; * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci, * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexíſti; * incérta & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſsópo, & mundábor: * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaúdium & lætítiam; * & exultábunt oſſa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * & Spíritum ſanctum tuum ne aúferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; * & ſpíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas; * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluíſſes ſacrifíciũ, dedíſſem útique; * holocaúſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus; * cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benígnè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificéntur muri Jeruſalem.

Tunc acceptábis ſacrifícium juſtítiæ, oblatiónes & holocaúſta: * tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.

PSALMUS 85.

Chriſtus in anguſtia mortis, à Deo Patre ſalutem poſcit.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaúdi me; * quóniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meam, quóniam ſanctus ſum; * ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperántem in te.

Miſerére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die; * lætífica ánimam ſervi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi:

Quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis, * & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam, * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudíſti me.

Non eſt ſímilis tuî in diis, Dómine, * & non eſt ſecúndùm ópera tua.

Omnes gentes quaſcúmque fecíſti vénient, & adorábunt coram te, Dómine, * & glorificábunt nomen tuũ;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus ſolus.

Diviſio Pſalmi 85.

DEduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum:

Quia miſericórdia tua magna eſt ſuper me, * & eruiſti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iniqui inſurrexérunt ſuper me, & ſynagóga poténtium quæſiérunt ánimam meam, * & non propoſuérunt te in conſpéctu ſuo.

Et tu, Dómine, Deus miſerátor & miséricors, * pátiens, & multæ miſericórdiæ, & verax.

Réſpice in me, & miſerére meî; * da impérium tuum púero tuo, & ſalvum fac filium ancíllæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur; * quóniam tu, Dómine, adjuviſti me, & conſolátus es me.

Cætera omnia ut in Proprio de Tempore.

ANTIPHONÆ

DE BEATA MARIA VIRGINE.

A Feria IV. Cinerum uſque ad Feriam V. in Cœna Domini excluſivè.

AVE, Regína cœlórum:
Ave, Dómina Angelórum:
Salve, radix; ſalve, porta,
Ex qua mundo lux eſt orta.
GAUDE, Virgo glorióſa,
Super omnes ſpecióſa:
Vale, ô valde decóra!
Et pro nobis Chriſtum exóra.

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

Orémus.

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti noſtræ præſídium; ut qui ſanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, interceſſiónis ejus auxílio, à noſtris iniquitátibus reſurgámus; Per eúmdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

A die Sancto Paſchæ uſque ad Sabbatum Dominicæ primæ poſt Pentecoſten.

REGINA cœli, lætáre, allelúia;
Quia quem meruíſti portáre, allelúia,
Reſurréxit, ſicut dixit, allelúia.
Ora pro nobis Deum, allelúia.

℣. Circumdedíſti me lætítiâ, Dómine; ℟. Ut cantet tibi glória mea. *Pſ.* 28. 12. 13.

Orémus.

DEus, qui per Reſurrectiónem Fílii tui Dómini noſtri Jeſu Chriſti mundum lætificáre dignátus es; præſta, quæſumus, ut per ejus Genitrícem Vírginem Maríam, perpétuæ capiámus gaúdia vitæ; Per eúmdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

BENEDICTIONES
DICENDÆ IN OFFICIO NOCTURNO ANTE LECTIONES.

DOMINICA,
Et in Officiis novem Lectionum.

IN I. NOCTURNO.

1. DEus Dómini noſtri Jeſu Chriſti, Pater glóriæ, det nobis ſpíritum ſapiéntiæ. *Epheſ.* 1. 17. ℟. Amen. *Et ſic ad ſequentes.*
2. Fílius Dei det nobis ſenſum, ut cognoſcámus verum Deũ. 1. *Joan.* 5. 20.
3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan.* 16. 13.

IN II. NOCTURNO.

4. Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti benedícat nos in omni benedictióne ſpirituáli. *Epheſ.* 1. 3.
5. Sciámus ſupereminéntem ſciéntiæ caritátem Chriſti, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Epheſ.* 3. 19.
6. Unctio quam accépimus à Deo, máneat in nobis, & dóceat nos de ómnibus. 1. *Joan.* 2. 27.

IN III. NOCTURNO.

7. Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti det nobis Chriſtum habitáre per fidem in córdibus noſtris. *Epheſ.* 3. 14. 16. 17.
8. Creſcámus in grátia & cognitióne Dómini noſtri & Salvatóris Jeſu Chriſti. 2. *Petr.* 3. 18.
9. Evangélium non ſit in ſermóne tantùm, ſed & in virtúte, & in Spíritu ſancto, & in plenitúdine multa. 1. *Theſſ.* 1. 5.

IN FESTIS
B. MARIÆ VIRGINIS,
Quæ ſunt novem Lectionum.

In I. & III. Nocturno, Benedictiones, ut ſuprà. In II. verò Nocturno, ut ſequitur.

4. Exúltet ſpíritus noſter in Deo, quia reſpéxit humilitátem Ancíllæ ſuæ. *Luc.* 1. 47. 48.
5. Nobíſcum ſit Deus, qui in Ancílla ſua adimplévit miſericórdiam ſuã, quam promíſit dómui Iſraël. *Judith.* 13. 13. 18.
6. Invocet Dóminum, & loquátur Regi pro nobis, & líberet nos de morte. *Eſther.* 15. 3.

Hæ Benedictiones non dicuntur in Feſtis quæ ſunt ſimul de Domino & B. Maria, qualia ſunt Purificatio, Annuntiatio, & Viſitatio.

In Officio de Beata Maria in Sabbato, itémque in Officio parvo, tres tantùm præcedentes dicuntur Benedictiones.

In

In Officio autem trium Lectionum Feſti B. Mariæ, ſi ultima ſit Evangelium, dicitur, pro ultima Benedictione: Evangéliũ non ſit in ſermóne, &c. *ſuprà*, p. 120.

IN FESTIS SANCTORUM,

Quæ ſunt novem Lectionum, Benedictiones I. & III. Nocturni, ut ſuprà. In II. autem Nocturno, ut ſequitur.

4. Deus det nobis illuminátos óculos cordis, ut ſciámus quæ ſit ſpes vocatiónis ejus in Sanctis. *Eph.* 1. 17. 18.

5. Dignos fáciat nos in partem ſortis Sanctórum, qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum. *Coloſſ.* 1. 12. 13.

6. Aperiántur óculi noſtri, ut convertámur à ténebris ad lucem, & accipiámus ſortem inter Sanctos. *Act.* 26. 18.

In Officiis Sanctorum quæ ſunt trium Lectionum, tres tantùm præcedentes dicuntur Benedictiones; ſi autem ultima ſit Evangelium, dicitur pro Benedictione: Evangélium non ſit in ſermóne, &c. *ſuprà*, p. 120.

Quando poſt Laudes Matutinas habetur aliqua Lectio pro Commemoratione, ſi ſit Evangelium cum Homilia, Benedictio erit:

Permaneámus in fide fundáti, & ſtábiles, & immóbiles à ſpe Evangélii. *Coloſſ.* 1. 23.

Si verò Lectio ſit de aliquo Sancto, Benedictio erit:

Digni habeámur in regno Dei, cùm vénerit in Sanctis ſuis admirábilis fieri. 2. *Theſſ.* 1. 5. 10.

IN FERIALI OFFICIO.

Benedictiones dicuntur ſecundùm feriam, ut ſequitur.

Feriâ II. & V. ſumuntur è I. Nocturno Dominicæ, ſuprà, p. 120.

Feriâ III. & VI. ſumuntur è II. Nocturno Dominicæ.

Feriâ IV. & Sabbato, duæ priores Benedictiones, ut in III. Nocturno Dominicæ; ultima autem, ut ſequitur.

Deus ſpei répleat nos omni gaúdio & pace in credéndo, ut abundémus in ſpe & virtúte Spíritûs ſáncti. *Rom.* 15. 13.

Si tertia Lectio ſit Evangelium, dicitur:

Non erubeſcámus Evangélium; virtus enim Dei eſt, in ſalútem omni credénti. *Rom.* 1. 16.

Quando D. D. Epiſcopus Lectionem lecturus eſt, præmittit ex more, Jube, Domne, benedícere: *omnes reſpondent*: Amen. *Et Epiſcopus legit Lectionem.*

Idem obſervatur, ubi unicus eſt Presbyter, qui, ſive in choro, ſive extra chorum, recitat cum inferioribus Clericis.

TEMPORE PASCHALI,

In Officio de Tempore.

1. Confiteámur in ore, & in corde credámus, quòd Deus ſuſcitávit Jeſum à mórtuis. *Rom.* 10. 9.

2. Jam non nobis vivámus, ſed ei qui pro nobis mórtuus eſt & reſurréxit. 2. *Cor.* 5. 15.

3. Spíritus ejus qui ſuſcitávit Jeſum à mórtuis, hábitet in nobis. *Rom.* 4. 11.

Quando tertia Lectio eſt Evangelium, Benedictio erit:

Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Chriſti, qui eſt imágo Dei. 2. *Cor.*

Cætera omnes Benedictiones, ut in aliis temporibus, ſuprà.



PROPRIUM
DE TEMPORE.
PARS VERNA.

IN FERIIS.

A Feria iv. Cinerum ad Dominicam Passionis.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Dóminum vocántem peccatóres ad pœniténtiam, * Veníte, adorémus. *Luc.* 5. 32.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſimplici.*

Hymnus.

EN tempus acceptábile,
Salútis ecce nunc dies,
Utrúmque quos Fœdus dicat
Deno quater jejúnio.

Sit ergo potus, ſit cibus,
Sit ſomnus ipſe párcior;
Prudénſque demat párcitas
Quod caritáti fœneret.

Suo, tibi mens sóbria
Litet, Deus, jejúnio;
Hoſtis dolóſi mens vigil
Nunquam patéſcat fraúdibus.

Das tempus acceptábile:
Et cor ſimul da pœnitens;
Convértat ut cleméntia
Quos longa fert benígnitas.

Præsta, beáta Trínitas,
Concéde, ſimplex Unitas,
Ut fructuóſa ſint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

Feriis II. et V. *ſuper Pſalmos feriales.*

Ant. 4. *E.* Convertímini ad me, ait Dóminus exercítuum; & convértar ad vos. *Zach.* 1. 3.

Ant. 1. a. Revertátur unuſquíſque à via ſua mala. *Jer.* 18. 11.

Ant. 6. F. Vivo ego, dicit Dóminus: Nolo mortem ímpii, ſed ut convertátur ímpius à via ſua, & vivat. *Ezech.* 33. 11.

℣. Filii hóminum, úſquequò gravi corde? ℟. Ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium? *Pſ.* 4. 3.

Lectiones ut in qualibet Feria.

℟. *j.* Non tardes convérti ad Dóminum, & ne dífferas de die in diem; * Súbitò enim véniet ira illíus, & in témpore vindíctæ diſpérdet te. *Eccli.* 5. 8, 9. ℣. Dies Dómini

ſicut fur in nocte, ità véniet. 1. *Theſſ.* 5. 2. * Súbitò.

℟. *ij.* Státue tibi ſpéculam; pone tibi amaritúdines; * Dírige cor tuum in viam rectam in qua ambuláſti. *Jer.* 31. 21. ℣. Memor eſto unde excíderis, & age pœniténtiam, & prima ópera fac. *Apoc.* 2. 5. * Dírige.

℟. *iij. ut in qualibet Feria.*

Feriis III. et VI. *ſuper Pſalmos feriales.*

Ant. 2. D. Derelínquat ímpius viam ſuam, & vir iníquus cogitatiónes ſuas. *Iſ.* 55. 7.

Ant. 7. c. Revertátur ad Dóminum, & miſerébitur ejus; & ad Deum noſtrum, quóniam multus eſt ad ignoſcéndum. *Iſ.* 55. 7.

Ant. 5. a. Pius & miséricors eſt Deus, & remíttet in die tribulatiónis peccáta. *Eccli.* 2. 13.

℣. Dóminus Deus loquétur pacem in plebem ſuam, ℟. Et ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui convertúntur ad cor. *Pſ.* 84. 9.

Lectiones ut in qualibet Feria.

℟. *j.* Si pœniténtiam non egérimus, incidémus * In manus Dómini, & non in manus hóminum. *Eccli.* 2. 22. ℣. Horréndum eſt incídere in manus Dei vivéntis. *Hebr.* 10. 31. * In manus.

℟. *ij.* Quis póterit habitáre de vobis cum igne devoránte? * Quis habitábit ex vobis cum ardóribus ſempitérnis? *Iſ.* 33. 14. ℣. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidétur, & in ignem mittétur. *Matt.* 3. 10. * Quis habitábit?

℟. *iij. ut in qualibet Feria.*

Feria IV. et Sabbato, *ſuper Pſalmos feriales.*

Ant. 3. *a.* Mundémus nos ab omni inquinaménto carnis & ſpíritûs. 2. *Cor.* 7. 1.

Ant. 8. G. Non eſt abbreviáta manus Dómini, ut ſalváre néqueat: neque aggraváta eſt auris ejus, ut non exaúdiat. *Iſ.* 59. 1.

Ant. 1. *g.* Dóminus bonus propitiábitur cunctis, qui in toto corde requírunt Dóminum Deum patrum ſuórum. 2. *Par.* 30. 18. 19.

℣. Non repéllet Dóminus plebem ſuam, ℟. Et hæreditátem ſuam non derelínquet. *Pſ.* 93. 14.

Lectiones ut in qualibet Feria.

℟. *j.* Convertímini, & ágite pœniténtiam ab ómnibus iniquitátibus veſtris: * Et non erit vobis in ruínam iníquitas. *Ezech.* 18. 30. ℣. Pœnitémini, & convertímini, ut deleántur peccáta veſtra. *Act.* 3. 19. * Et non.

℟. *ij.* Fácite vobis cor novum & ſpíritum novum; & quare moriémini, Domus Iſraël? * Quia nolo mortem moriéntis, dicit Dóminus Deus, revertímini, & vívite. *Ezech.* 18. 31. 32. ℣. Patiénter agit Dóminus propter vos, nolens áliquos períre, ſed om-

nes ad pœniténtiam revérti. 2. *Petr.* 3. 9. * Quia.

℟. *iij. ut in qualibet Feria.*

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Deus, in adjutórium.

Pſalmi ut in Pſalterio ſecundùm Feriam.

Ant. 7. b. Dómine omnípotens, Deus Iſraël, ánima in angúſtiis, & ſpíritus ánxius clamat ad te. *Bar.* 3. 1.

Ant. 4. F. Audi, Dómine, & miſerére, quia Deus es miséricors; & miſerére noſtrî, quia peccávimus ante te. *Bar.* 3. 2.

Ant. 2. D. Tu à princípio, Dómine Deus meus, Sancte meus, & non moriémur. *Hab.* 1. 12.

Ant. 8. G. Dedíſti.

CANTICUM BARUCH. *c.* 2. *v.* 12. *ad* 18.

Pœnitentium gemitus.

PEccávimus, impiè égimus, iníquè geſſimus, Dómine Deus noſter, * in ómnibus juſtítiis tuis.

Avertátur ira tua à nobis. .... * Exaúdi, Dómine, preces noſtras, & oratiónes noſtras:

Ut ſciat omnis terra * quia *tu es Dóminus Deus noſter;*

*Et quia nomen tuum in*vocátum eſt ſuper Iſraël, * & ſuper genus ipsíus.

Réſpice, Dómine de domo ſancta tua in nos, * & inclína aurem tuam, & exaúdi nos, áperi óculos tuos, & vide:

Quia non mórtui, qui ſunt in inférno, quorum ſpíritus accéptus eſt à viſcéribus ſuis, * dabunt honórem & juſtificatiónem Dómino;

Sed ánima, quæ triſtis eſt ſuper magnitúdine mali, & incédit curva & infírma, * & óculi deficiéntes, & ánima esúriens dat tibi glóriã & juſtítiam Dómino.

Glória Patri.

Ant. Dedíſti, Dómine, timórem tuum in córdibus noſtris, & ut invocémus nomen tuum, & laudémus te. *Bar.* 3. 7.

Ant. 7. *d.* In ánimo contríto, & ſpíritu humilitátis ſuſcipiámur, Dómine. *Dan.* 3. 39.

CAPITULUM. *Joël.* 2. 17.

INter veſtíbulum & altáre plorábunt ſacerdótes miníſtri Dómini, & dicent: Parce, Dómine, parce pópulo tuo, & ne des hæreditátem tuam in oppróbrium.

℟. Deo grátias.

Sic reſpondetur in fine omnium Capitulorum.

HYMNUS.

AUDI, benígne Cónditor,
Noſtras preces cum flétibus,
In hoc ſacro jejúnio
Fuſas quadragenário.

SCRUTATOR almæ córdium,
Infírma tu ſcis vírium;
Ad te revérſis éxhibe
Remiſſiónis grátiam.

MULTUM quidem peccávimus;
Sed parce confiténtibus;
Ad nóminis laudem tui,
Confer medélam lánguidis.

SIC corpus extrà cónteri
Dona per abſtinéntiam,
Jejúnet ut mens sóbria
A labe prorſùs críminum.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Concéde, ſimplex Unitas,
Ut fructuóſa ſint tuis
Jejuniórum múnera. Amen.

℣. Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam, Dómine; ℣. Quia in te ſperávi. *Pſ.* 142. 8.

Ad Benedíctus, *Ant. propria, ut in qualibet Feria.*

Deinde dicuntur, flexis genibus, & voce paulò minùs elatâ,

PRECES.

KYrie, eléiſon. *Chorus:* Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon.

Pater noſter, *ſecretò, uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Peccávimus cum pátribus noſtris; ℟. Injuſtè égimus; iniquitátem fécimus. *Pſ.* 105. 6.

℣. Convértere, Dómine, úſquequò? ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 13.

℣. Ne memíneris iniquitátum noſtrárum antiquárum; ℟. Citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ. *Pſ.* 78. 8.

℣. Propítius eſto peccátis noſtris, ℟. Propter nomen tuum. *Pſ.* 78. 9.

℣. Orémus pro Pontífice noſtro *N.* ℟. Dóminus consérvet eum & vivíficet eum. *Pſ.* 40. 3.

℣. Sacerdótes tui induántur juſtítiam; ℟. Et ſancti tui exúltent. *Pſ.* 131. 9.

℣. Dómine, ſalvum fac Regem; ℟. Et exaúdi nos in die quâ invocavérimus te. *Pſ.* 19. 10.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, ℟. Et bénedic hæreditáti tuæ. *Pſ.* 27. 9.

℣. Rogáte quæ ad pacem ſunt Jeruſalem. ℟. Fiat pax in virtúte tua, & abundántia in túrribus tuis. *Pſ.* 121, 6. 7.

℣. Orémus pro frátribus noſtris abséntibus. ℟. Bénefac, Dómine, bonis & rectis corde. *Pſ.* 124. 4.

℣. Pro infírmis, afflíctis, & captívis. ℟. Líbera, Deus, Iſraël ex ómnibus tribulatiónibus ſuis. *Pſ.* 24. 22.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis. ℟. Animas paúperum tuórum ne oblivíſcáris in finem. *Pſ.* 73. 19.

Deinde Pſalmus 129. De profúndis, *p.* 101. *& in fine* Glória Patri, &c.

In Veſperis, loco Pſalmi 129. De profúndis, *dicitur Pſalmus* 50. Miſerére meî, Deus, p. 117.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos: ℟. Et oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus. *Pſ.* 79. 20.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

Deinde altâ voce, ℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio conveniens, ut infrà, in qualibet Feria.

Poſteà fiunt Commemorationes de Sanctis occurrentibus, ſi quæ ſunt: & ultimò,

SUFFRAGIUM,
De omnibus Sanctis.

Ant. Manifeſtétur glória veſtra in univérſa terra. 1. *Mach.* 15. 9.

℣. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine! ℟. In sécula ſeculórum laudábunt te. *Pſ.* 83. 5.

Orémus.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui mirabíliter fulges in Eléctis tuis, quos te habitatóre glorificáre voluíſti; concéde nobis, quæſumus, ómnium ſimul Sanctórum ſic lætificári memóriâ, ut eórum ſuffragántibus méritis, regnum tuum áſſequi valeámus; Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias.

Si aliud Officium non ſequatur, dicitur ſecretò: Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

Deinde, Pater noſter. Ave.

AD PRIMAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

JAM lucis orto ſídere,
Deum precémur ſúpplices,
Noſtras ut ipſe dírigat,
Lux increáta sémitas.

NIL lingua peccet, nil manus;
Nil mens inâne cógitet;
In ore ſimplex véritas,
In corde regnet cáritas.

INCŒPTA dum fluet dies,
O Chriſte, cuſtos pérvigil,
Quas ſævus hoſtis óbſidet
Portas tuére ſénſuum.

PRÆSTA diúrnus ut tuæ
Subsérviat laudi labor:
Autóre quæ te cœpimus,
Da, te favénte, próſequi.

SUPERBA ne nimis caro
Menti licénter ímperet;
Carnis domet ſupérbiam
Potûs cibíque párcitas.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Concéde, ſimplex Unitas,
Ut fructuóſa ſint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

Pſalmi, ut in Pſalterio ſecundùm Feriam.

Ant. 7. b. Dómino Deo noſtro juſtítia; nobis autem confúſio faciéi noſtræ. *Bar.* 1. 15.

Capitulum. *Bar.* 4. 27. 28.

ANimæquióres eſtóte, fílii, & proclamáte ad Dóminum: erit enim memória veſtra ab eo qui duxit vos. Sicut enim fuit ſenſus veſter ut erraréntis à Deo, décies tantùm íterùm convertentes requirétis eum.

℟. *breve.* Chriſte, Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. ℟. Chriſte, Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. ℣. Qui veníſti peccatóres ſalvos fácere. * Miſerére nobis. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto. ℟. Chriſte, Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. *Matt.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. 1. *Tim.* 1. 15.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos, ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſ.* 43. 26.

Deinde dicuntur, flexis genibus,

PRECES.

KYrie, eléiſon. *Chor.* Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon.

Pater noſter. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Vivet ánima mea & laudábit te; ℟. Et judícia tua adjuvábunt me. *Pſ.* 118. 175.

Credo in Deum. *ſecretò uſque ad* ℣. Carnis reſurrectiónem, ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Ego ad te, Dómine, clamávi; ℟. Et manè orátio mea prævéniet te. *Pſ.* 87. 14.

℣. Repleátur os meum laude; ℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Pſ.* 70. 8.

℣. Avérte fáciem tuam à peccátis meis; ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Pſ.* 50. 11.

℣. Cor mundum crea in me, Deus; ℟. Et ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis. *Pſ.* 50. 12.

℣. Ne projícias me à fácie tua; ℟. Et Spíritum ſanctum tuum ne aúferas à me. *Pſ.* 50. 13.

℣. Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; ℟. Et ſpíritu principáli confírma me. *Pſ.* 50. 14.

℣. Vias tuas, Dómine, demónſtra mihi; ℟. Et ſémitas tuas édoce me. *Pſ.* 24. 4.

℣. Dírige me in veritáte tua, & doce me; ℟. Quia tu es Deus Salvátor meus. *Pſ.* 24. 5.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo; ℟. A viro iníquo éripe me. *Pſ.* 139. 2.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus; ℟. Et ab inſurgéntibus in me líbera me. *Pſ.* 58. 2.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem; ℟. Et de viris ſánguinum ſalva me. *Pſ.* 58. 3.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſ.* 69. 2.

℣. Delicta juventútis meæ & ignorántias meas

ne memíneris; ℟. Secúndùm miſericórdiam tuam meménto meî, tu. *Pſ.* 24. 7.

Tunc Hebdomadarius facit Confeſſionem.

CONfiteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ ſemper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptíſtæ, ſanctis Apóſtolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, (Et vobis, fratres;) quia peccávi nimis cogitatióne, verbo, & ópere, (*ad ſequentia verba ter percutitur pectus.*) Meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam ſemper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptíſtam, ſanctos Apóſtolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, (& vos, fratres,) oráre pro me ad Dóminum Deum noſtrum.

Chorus reſpondet:

MIſereátur tuî omnípotens Deus, & dimíſſis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

Hebdomadarius dicit: Amen.

Deinde Chorus repetit Confeſſionem: & ubi dictum eſt: vobis, fratres, *&* vos, fratres, *dicit*, tibi, pater, *&* te, pater.

Factâ Confeſſione à Choro, Hebdomadarius dicit:

MIſereátur veſtrî omnípotens Deus, & dimíſſis peccátis veſtris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

INdulgéntiam, abſolutiónem, & remiſſiónem peccatórum noſtrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Mulieres in ſuis conventibus, loco, fratres, *&* pater, *dicunt*, ſoróres, *&* mater.

Qui ſolus recitat, ſemel dicit Confiteor, *omiſſis vocibus quæ clauduntur parentheſi; & addit particulam*, &, *ante voces*, ómnibus, *&* omnes. *Deinde* Miſereátur, *ſemel; ad quod dicit*, noſtrî, noſtris, nos.

Proſequitur Hebdomadarius.

℣. Exaúdi nos, Deus ſalutáris noſter, ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Pſ.* 64. 6.

℣. Miſerére noſtrî, Dómine, ℟. Miſerére noſtrî. *Pſ.* 122. 3.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos; ℟. Et oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus. *Pſ.* 79. 20.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre fecíſti, tuâ nos hó-

die ſalva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, ſed ſemper ad tuam juſtítiam faciéndam, noſtra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium túum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias.

AD OFFIC. CAPITULI.

Primò ſit Lectio Martyrologii, in cujus fine nihil reſpondetur; ſed ſtatim Hebdomadarius dicit altâ voce:

℣. Pretióſa in conſpéctu Dómini ℟. Mors Sanctórum ejus. *Pſ.* 115. 15.

Et abſolutè, ſinè Dóminus vobíſcum, *& ſinè* Orémus.

SAncta María (iſti) & omnes Sancti, ádjuvent nos in oratiónibus ſuis pro nobis ad Deum; ut ſecúndum eum, qui vocávit nos, Sanctum, & ipſi in omni converſatióne ſancti ſimus. *Rom.* 15. 30. 1. *Petr.* 1. 15. ℟. Amen.

Hæc vox (iſti) *omittitur ubi non legitur Martyrologium; & tunc Officium Capituli inchoatur à* ℣. Pretióſa: *quod & obſervant qui privatim recitant.*

Tum ſit Lectio Canonis, qui, quálibet die, varius legitur, & habetur ad calcem Breviarii.

Lector petit Benedictionem, dicens:

Jube, Domne, benedícere.

Hebdomadarius benedicens, dicit:

Bonitátem, & diſciplínam, & ſciéntiam dóceat nos Dóminus. *Pſ.* 118. 66. ℟. Amen.

Lector legit Canonem, & in fine ſubjungit: Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî. ℟. Deo grátias.

A privatim recitantibus, legitur Canon, omiſſo, Jube, Domne, benedícere, *ſed præmiſsâ Benedictione, ut ſuprà.*

Sequentes ℣℣. *cum Oratione* Dirígere, *ante laborem quotidianum dicendi, omittuntur diebus Dominicis & Feſtis à populo feriatis; & lecto Canone, dicitur,* ℣. Adjutórium noſtrum, *infrà.*

Diebus autem à populo non feriatis, abſoluto Canone, Hebdomadarius dicit:

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſ.* 69. 2.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándũ me feſtína.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. Glória Patri, & Filio, & Spirítui Sancto; Sicut erat, &c.

℣. Réſpice in ſervos tuos, Dómine, & in ópera tua, ℟. Et dírige fílios eórum. *Pſ.* 89. 16.

℣. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, ℟. Et ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige. *Pſ.* 89. 17.

Orémus.

DIrígere, ſanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes & actus noſtros, in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hîc & in ætérnum, te auxiliánte, ſalvi & líberi eſſe mereámur, Salvátor mundi, qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Pſ.* 123. 8.

Submiſſiori voce Hebdomadarius dicit: Benedícite, ℟. Dóminus. *Et ſtatim ſubjungit:*

Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram ſe; Per Jeſum Chriſtum, cui eſt glória in ſécula ſeculórum. *Hebr.* 13. 20. 21. ℟. Amen.

Niſì alia ſequatur Hora, dicitur ſecretò: Fidélium ánimæ, &c. Pater noſter. Ave.

AD TERTIAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

O FONS amóris Spíritus,
O Sancte donórum Parens,
Tuas refúſus íntimis
Accénde flammas córdibus.

QUI caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Arctis coápta néxibus.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Concéde, ſimplex Unitas,
Ut fructuóſa ſint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

Pſalmi ut in Pſalterio ſecundùm Feriam.

Ant. 8. G. Exaúdi, Dómine, preces noſtras, & oratiónes noſtras. *Bar.* 2. 14.

CAPITULUM. *Eccli.* 35. 21.

ORátio humiliántis ſe nubes penetrábit, & donec propínquet, non conſolábitur, & non diſcédet, donec Altíſſimus aſpíciat.

℟. *breve.* A peccáto meo * Munda me, Dómine, ℟. A peccáto. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognóſco. * Munda. Glória. ℟. A peccáto. *Pſ.* 50. 4. 5.

℣. Iniquitátem meam annuntiábo, ℟. Et cogitábo pro peccáto meo. *Pſ.* 37. 19.

Deinde dicuntur flexis genibus,

PRECES.

KYrie, eléiſon. *Chor.* Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon.

Pater noſter. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos; ℟. Et oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus. *Pſ.* 79. 20.

℣. Dómine, exaúdi oratiónẽ meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio ut infrà in qualibet Feria, poſt Ant. ad Benedíctus.

Nisì alia ſequatur Hora, dicitur ſecretò:

Fidélium ánimæ, &c. Pater. Ave.

AD SEXTAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

JAM ſolis aúreum jubar
Toto corúſcat lúmine;
Sic, Chriſte, tu mundum novâ
Sol verus accéndis face.

FAC plena noſtris fúlgeat
Lux veritátis méntibus;
Fac noſtra plenam cáritas
Creſcéndo ſurgat ad diem.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Concéde, ſimplex Unitas,
Ut fructuóſa ſint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

Pſalmi ut in Pſalterio ſecundùm Feriam.

Ant. 1. a. Homo qui jejúnat in peccátis ſuis, & iterùm éadem fáciens, quid próficit humiliándo ſe? *Eccli.* 34. 31.

CAPITULUM. *Joël.* 1. 14.

SAnctificáte jejúnium, vocáte cœtum, congregáte ſenes, omnes habitatóres terræ, in domum Dei veſtri.

℟. *breve.* Génua mea infirmáta ſunt * A jejúnio. ℟. Génua mea. ℣. Et caro mea immutáta eſt. * A jejúnio. Glória. ℟. Génua. *Pſ.* 108. 24.

℣. Humiliábam in jejúnio ánimam meam; ℟. Et orátio mea in ſinu meo convertétur. *Pſ.* 34. 13.

Preces & Oratio ut ſuprà ad Tertiam.

Nisì alia ſequatur Hora, dicitur ſecretò:

Fidélium ánimæ, &c. Pater. Ave.

AD NONAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

PRONO volútus ímpetu,
Inclínat in noctem dies;
Sic vita ſuprémam cito
Feſtínat ad metam gradu.

O CHRISTE, dum fixus cruci,
Expándis orbi bráchia,
Amáre da crucem, tuo
Da nos in ampléxu mori.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Concéde, ſimplex Unitas,

Ut fructuóſa ſint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

Pſalmi ut in Pſalterio ſecundùm Feriam.

Ant. 5. a. Eleemóſyna reſíſtit peccátis, & Deus proſpéctor eſt ejus qui reddit grátiam. *Eccli.* 3. 33. 34.

CAPITULUM. *Tob.* 12. 8. 9.

BOna eſt orátio cum jejúnio, & eleemóſyna magìs quàm theſaúros auri recóndere; quóniam eleemóſyna à morte líberat, & ipſa eſt quæ purgat peccáta, & facit inveníre miſericórdiam & vitam ætérnam.

℟. *breve.* Beátus * Qui intélligit ſuper egénum & paúperem! ℟. Beátus. ℣. Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum. * Qui. Glória. ℟. Beátus. *Pſ.*40. 2.

℣. Jucúndus homo qui miſerétur & cómmodat, ℟. Diſpónet ſermónes ſuos in judício. *Pſ.* 111. 5.

Preces & Oratio ut ſuprà ad Tertiam.

Nisì alia ſequatur Hora, dicitur ſecretò:

Fidélium ánimæ, &c. Pater. Ave.

AD VESPERAS.

Pſalmi ut in Pſalterio ſecundùm Feriam.

Ant. 8. G. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus, ipſi nos ſedúcimus. 1. *Joan.* 1. 8.

Ant. 1. *g.* Iniquitátes noſtræ multiplicátæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delícta noſtra crevérunt uſque ad cœlum. 1. *Eſdr.* 9. 6.

Ant. 3. b. Scrutémur vias noſtras, & quærámus, & revertámur ad Dóminum. *Thren.* 3. 40.

Ant. 6. F. Levémus corda noſtra cum mánibus ad Dóminum in cœlos. *Thren.* 3. 41.

Ant. 4. *E.* Dicámus flentes Dómino, ut ſecúndùm voluntátem ſuam, ſic fáciat nobíſcum miſericórdiam ſuam. *Judith.* 8. 17.

CAPITULUM. 2. *Cor.* 6. 1. 2.

EXhortámur ne in vácuum grátiam Dei recipiátis; ait enim: Témpore accépto exaudívi te, & in die ſalútis adjúvi te: ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies ſalútis.

HYMNUS.

SOLEMNE nos jejúnii
Nunc tempus ad planctum vocat:
Plorat Sacérdos; flébili
Clamóre templa pérſonant.

LUGUBRIS at fruſtrà ſonus
Ad Numen irátum venit,
Nî corde pulſus íntimo,
Senſum dolóris índicet.

NIL fróntibus ſparſus cinis,
Nil ſciſſa veſtis próderit,
Nî fracta ſcindántur ſimul
Vivo dolóre péctora.

VULTUM rigántes flétibus,
Flectámus iram Núminis,

Quæ críminis noſtri memor
Inténtat ultríces minas.

O JUSTE Judex! ô Deus!
Sis lentus ad pœnam, Pater:
Ignóſce genti quam ſuo
Chriſtus redémit ſánguine.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Concéde, ſimplex Unitas,
Ut fructuóſa ſint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

℣. Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; ℟. Dómine, quis ſuſtinébit? *Pſ.* 129. 3.

Ad Magníficat, *Ant. propria, ut in qualibet Feria, infrà.*

Deinde dicuntur Preces, ut ſuprà, ad Laudes, p. 126. *&* 127.

Oratio, ut infrà in qualibet Feria, poſt Ant. ad Magníficat.

Poſteà fiunt Commemorationes de Sanctis occurrentibus, ſi quæ ſint, & ultimò,

SUFFRAGIUM
De omnibus Sanctis.

Ant. Sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte, in templo ejus. *Apoc.* 7. 15.

℣. Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ, Dómine; ℟. Et torrénte voluptátis tuæ potábis eos. *Pſ.* 35. 9.

Orémus.

OMnípotens, ſempitérne Deus, qui mirabíliter fulges in Eléctis tuis, quos te habitatóre gloriſicáre voluíſti; concéde nobis, quæſumus, ómnium ſimul Sanctórum ſic lætificári memóriâ, ut eórum ſuffragántibus méritis, regnum tuum áſſequi valeámus; Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias.

Et ſi non ſequatur immediatè Completorium, dicitur ſecretò:

Fidélium ánimæ, &c. Pater. Ave.

AD COMPLETORIUM.

Si ſeparetur à Veſperis, dicitur: Pater. Ave. *ſecretò.*

Pſalmi ut in Pſalterio ſecundùm Feriam.

Ant. 6. F. Scélera noſtra nobíſcum, & iniquitátes noſtras cognóvimus. *Iſ.* 59. 12

HYMNUS.

FUNCTUM labóribus diem
Jam noctis éxcipit quies:
Somni gravat neceſſitas:
Fac, Chriſte, caſtus ſit ſopor.

ET ſomnus & mors quàm brevi
Diſcriminántur límite!
Hâc nocte fors clanget tuba,
Somnúmque rumpet últimum.

NE nos repentínus dies
Incogitántes óccupet,
Seu nocte, ſeu die venis,
Te præſtolémur júgiter.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Concéde, ſimplex Unitas,
Ut fructuóſa ſint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

CAPITULUM. *Iſ.* 58. 10.

CUm effúderis eſuriénti ánimam tuam, & ánimam afflíctam repléveris, oriétur in ténebris lux tua, & ténebræ tuæ erunt ſicut merídies.

℟. *breve.* In manus tuas, Dómine, * Comméndo ſpíritum meum. ℟. In manus tuas, Dómine, * Comméndo ſpíritum meum. ℣. Redemíſti me, Dómine, Deus veritátis. * Comméndo ſpíritum meum. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto. *Pſ.* 30. 6. ℟. In manus tuas, Dómine, * Comméndo ſpíritum meum.

℣. Cuſtódi me, Dómine, ut pupíllam óculi; ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Pſ.* 16. 8.

Ant. 4. *D.* Cuſtódi.

CANTICUM SIMEONIS. *Luc. c.* 2. *v.* 29 *ad* 32.

De Salvatoris adventu gratiarum actio.

NUnc dimíttis ſervum tuum, Dómine, * ſecúndùm verbum tuum, in pace;

Quia vidérunt óculi mei * Salutáre tuum,

Quod paráſti, * ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Iſraël.

Glória Patri.

Ant. Cuſtódi, Dómine, partem tuam & ſanctífica. 2. *Mach.* 1. 26.

Deinde dicuntur, ſed non flexis genibus,

PRECES.

KYrie, eléiſon. *Chor.* Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon.

Pater noſter. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. In pace in idípſum dórmiam, ℟. Et requiéſcam. *Pſ.* 4. 9.

Credo in Deum. *ſecretò uſque ad* ℣. Carnis reſurrectiónem, ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum noſtrórũ, ℟. Et laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in sécula. *Dan.* 3. 52.

℣. Benedíctum nomen glóriæ tuæ ſanctum, ℟. Et laudábile, & ſuperexaltátum in ómnibus séculis. *Dan.* 3. 52.

℣. Benedíctus es in firmaménto cœli, ℟. Et laudábilis, & glorióſus in sécula. *Dan.* 3. 56.

℣. Benedícat nos Deus, Deus noſter, ℟. Benedícat nos Deus. *Pſ.* 66. 7. 8.

Deinde fit Confeſſio ut ſuprà ad Primam. p. 129.

℣. Exáudi nos, Deus ſalutáris noſter, ℟. Spes om-

nium finium terræ. *Pſ.* 64. 6.

℣. Miſerére noſtrî, Dómine, ℟. Miſerére noſtrî. *Pſ.* 122. 3.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

Concéde, quæſumus, miséricors Deus, ut quos per diem cibórum abſtinéntia caſtígat, refóveat tua per noctem abundántior benedíctio; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia sécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias.

Deinde ſubmiſſiori voce:

Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & cáritas Dei, & communicátio ſancti Spíritûs, ſit cum ómnibus vobis. 2. *Cor.* 13. 13. ℟. Amen.

Poſteà dicitur ad devotionem Antiphona Ave, Regína cœlórum, *pag.* 119.

Demùm dicitur ſecretò, Pater. Ave. Credo.

FERIA IV. CINERUM.

IN CAPITE JEJUNII.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium & Hymnus ut ſuprà. p. 123.

Ant. 1. *g.* Nunc, dicit Dóminus, convertímini ad me in toto corde veſtro, in jejúnio, & in fletu, & in planctu. *Joël.* 2. 12.

Ant. 2. D. Clament ad Dóminum in fortitúdine; & convertátur vir à via ſua mala. *Jon.* 3. 8.

Ant. 3. *a.* Benígnus & miséricors eſt Dóminus, pátiens, & multæ miſericórdiæ. *Joël.* 2. 13.

℣. Tu, Dómine, exúrgens miſeréberis Sion; ℟. Quia tempus miſeréndi ejus. *Pſ.* 101. 14.

De Libro Géneſis.

Lectio I. *c.* 27. *v.* 1. *ad* 10.

Senuit Iſaac, & caligavérunt óculi ejus, & vidére non póterat: vocavítque Eſaü filium ſuum majórem, & dixit ei: Fili mi? qui reſpóndit: Adſum. Cui pater: Vides, inquit, quòd ſenuerim & ignórem diem mortis meæ: ſume arma tua, pháretram & arcum, & egrédere foràs: cúmque venátu áliquid apprehénderis, fac mihi inde pulméntum, ſicut velle me noſti, & affer, ut cómedam, & benedícat tibi ánima mea, ántequàm móriar. Quod cùm audiſſet Rebécca, & ille abiiſſet in agrum ut juſſio-

nem patris implóret, dixit filio ſuo Jacob: Audívi patrem tuum loquéntem cum Eſaü fratre tuo, & dicéntem ei: Affer mihi de venatióne tua, & fac cibos ut cómedam, & benedícam tibi coram Dómino ántequàm móriar. Nunc ergo, fili mi, acquiéſce consíliis meis: & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos óptimos, ut fáciam ex eis eſcas patri tuo, quibus libénter véſcitur: quas cùm intúleris, & comédcrit, benedícat tibi priúſquàm moriátur. * Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî.

℟. Deo grátias.

* *Sic ſemper terminantur Lectiones, nisì aliter notetur.*

℟. *j.* Convertímini, *p.* 124.

Lectio II. *v.* 11. *ad* 17.

Cui ille reſpóndit: Noſti quòd Eſaü frater meus homo pilóſus ſit, & ego lenis: ſi attrectáverit me pater meus, & ſénſerit, tímeo ne putet me ſibi voluíſſe illúdere, & indúcam ſuper me maledictiónem pro benedictióne. Ad quem mater: In me ſit, ait, iſta maledíctio, fili mi: tantùm audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi. Abiit, & áttulit, dedítque matri. Parávit illa cibos, ſicut velle nóverat patrem illíus. Et véſtibus Eſaü valde bonis, quas apud ſe habébat domi, índuit eum: pelliculáſque hœdórum circúmdedit mánibus; & colli nuda protéxit. Dedítque pulméntum, & panes quos cóxerat, trádidit.

℟. *ij.* Fácite, *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio III. *c.* 6. *v.* 16. *ad* 21.

Quomodo jejunandum.

Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Cùm jejunátis, nolíte fieri ſicut hypócritæ triſtes. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 207. n. 2.

Jejunémus humiliántes ánimas noſtras, appropinquánte die quo Magíſter humilitátis humiliávit ſemetípſum, factus súbditus uſque ad mortem crucis. Imitémur ejus crucem, abſtinéntiæ clavis edómitas concupiſcéntias configéntes. Caſtigémus corpus noſtrum, & ſervitúti ſubjiciámus; & ne per indómitam carnem ad illícita prolabámur, in ea dománda aliquántùm & lícita ſubtrahámus. Crápula & ebríetas étiam per dies cœteros devitánda; per hos autem dies étiam concéſſa prándia removénda. Fácilè tibi obtemperábit caro ne inhǽreat aliénis, quæ refrænári conſuéverit & à ſuis. Cavéndum eſt ne mutes, non mínuas voluptátes. Parcimónia jejúniis conjungátur. Sicut ventris caſtigánda ſa-

túritas, ità gulæ irritaménta cavénda ſunt.

℟. *iij.* Ne accéſſeris ad Dóminum dúplici corde. * Ne fúeris hypócrita in conſpéctu hóminum. *Eccli.* 1. 36. 37. ℣. Ne videáris homínibus jejúnans, ſed Patri tuo qui eſt in abſcóndito. *Matt.* 6. 18. * Ne fúeris. Glória. * Ne fúeris.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd. Ant. Cant. ut ſuprà*, p. 125.

CAPITULUM. *Joël.* 2. 15. 16.

CAnite tubâ in Sion, ſanctificáte jejúnium, vocáte cœtum, congregáte pópulum, ſanctificáte ecléſiam, coadunáte ſenes, congregáte párvulos & ſugéntes úbera.

Hymnus, Audi, *p.* 125.

℣. Manè aſtábo tibi, Dómine, & vidébo, ℟. Quóniam non Deus volens iniquitátem tu es. *Pſ.* 5. 5.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Abjiciámus ópera tenebrárum, & induámur arma lucis; ſicut in die, honéſtè ambulémus. *Rom.* 13. 12. 13.

Preces flexis genibus, p. 126. *Et ſic aliis Feriis Quadrageſimalibus.*

Oratio.

PRæſta, Dómine, fidélibus tuis, ut jejuniórum veneránda Solémnia, & cóngruâ pietáte ſuſcípiant, & ſecúrâ devotióne *percúrrant; Per Dóminum.*

AD HORAS. *Omnia ut ſuprà, p.* 127. *& ſequent.*

Hodie & deinceps uſque ad Paſcha, tam in Feſtis quàm in Feriis, Veſpera dicuntur ante comeſtionem. In Dominicis dicuntur horâ conſuetâ.

AD VESPERAS.

Omnia ut ſuprà, p. 133.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Dixit Jeſus: Theſaurizáte vobis theſaúros in cœlo. *Matt.* 6. 20.

Preces flexis genibus, p. 128.

Et ſic aliis Feriis Quadrageſimalibus, excepto Sabbato.

Oratio.

INclinántes ſe, Dómine, majeſtáti tuæ propitiátus inténde; ut qui ſancta jejúnia contríti ſuſcípiunt, ad feſta ventúra cœléſtibus læti pervéniant auxíliis; Per Dóminum.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut ſuprà, p. 134. 135. *&* 136.

FERIA QUINTA,

De Libro Géneſis.

LECTIO. I. *c.* 27. *v.* 18. *ad* 27.

DIxit Jacob ad Iſaac: Pater mi: at ille reſpóndit: Aúdio: quis es tu, fili mi? Dixítque Jacob: Ego ſum primogénitus tuus Eſaü: feci ſicut præcepíſti mihi: ſurge, ſede, & cómede de venatióne mea, ut benedícat mihi ánima tua. Rursúmque Iſaac ad fílium ſuum: Quómodo, inquit, tam citò inveníre potuíſti, fili mi? Qui reſpóndit: Vo-

luntas Dei fuit ut citò occúrreret mihi quod volébā. Dixítque Iſaac: Accéde huc, ut tangam te, fili mi, & probem utrùm tu ſis filius meus Eſaü, an non. Accéſſit ille ad patrem, & palpáto eo, dixit Iſaac: Vox quidem, vox Jacob eſt: ſed manus, manus ſunt Eſaü. Et non cognóvit eum, quia pilóſæ manus ſimilitúdinem majóris expréſſerant. Benedícens ergo illi, ait: Tu es filius meus Eſaü? Reſpóndit: Ego ſum. At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatióne tua, fili mi, ut benedícat tibi ánima mea: quos cùm oblátos comedíſſet, óbtulit ei étiam vinum: quo hauſto, dixit ad eum: Accéde ad me, & da mihi ósculum, fili mi. Accéſſit, & osculátus eſt eum.

℟. *j.* Non tardes, *p.* 123.

LECTIO II. *v.* 27. *ad* 29.

STatímque ut ſenſit veſtimentórum illíus fragrántiam, benedícens illi, ait: Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedíxit Dóminus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguédine terræ, abundántiam fruménti & vini: & sérviant tibi pópuli, & adórent te tribus: eſto dóminus fratrum tuórum, & incurvéntur ante te filii matris tuæ: qui maledíxerit tibi, ſit ille maledíctus: & *qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur.*

℟. ij. Státue, p. 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

LECTIO III. *c.* 8. *v.* 5. *ad* 13.

Centurio.

CUm introíſſet Jeſus Capharnaüm, accéſſit ad eum Centúrio rogans eum. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 62. n. 1.

AUdívimus, cùm Evangélium legerétur, fidem noſtram in humilitáte laudári. Ad domum quippe Centuriónis cùm ſe promítteret Dóminus Jeſus itúrū, ut púerum ejus ſanáret, ille reſpóndit: Non ſum dignus ut ſub tectum meum intres, ſed tantùm dic verbo, & ſanábitur. Dicéndo ſe indígnum, præſtitit dignum, non in cujus paríetes, ſed in cujus cor Chriſtus intráret. Neque hoc díceret cum tanta fide & humilitáte, niſi illum quem timébat intráre in domum ſuā, corde geſtáret. Nam non erat magna felícitas, ſi Dóminus Jeſus intráret in paríetes ejus, & non eſſet in péctore ejus. Domum hujus Dóminus córpore non intrávit: & ejus tamen fidem, atque ipſam domum, abſens córpore, præſens majeſtáte, ſanávit.

℟. *iij.* Dómine Deus, ecce tu fecíſti cœlum & terram in fortitúdine tua magna, & in bráchio tuo exténto: * Non erit tibi difficile omne verbum. Jer.

12. 17. ℣. Centúrio ait: Dómine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanábitur puer meus. *Matt.* 8. 8. * Non.Glória. * Non.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. Deus ſupérbis resíſtit, humílibus autem dat grátiam. 1. *Petr.* 5. 5.

Oratio.

PRopitiáre, Dómine, noſtræ ſupplicatiónibus humilitátis, & animárum noſtrárũ medére languóribus; ut remiſſióne percéptâ, in tua ſemper benedictióne lætémur; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. *g.* Dixit Jeſus Centurióni: Vade, & ſicut credidíſti fiat tibi: & ſanátus eſt puer in illa hora. *Matt.* 8. 13.

Oratio.

SUpplices te, Deus omnípotens, deprecámur; ut qui pro noſtra júgiter iniquitáte geméntes, indignitátem noſtram fatémur, fidei & humilitáti promíſſam percipiámus conſolatiónem; Per Dóminum.

FERIA SEXTA.

De Libro Géneſis.

LECTIO I. *c.* 27. *v.* 30. *ad* 36.

VIx Iſaac ſermónem impléverat: & egréſſo Jacob foràs, venit Eſaü, coctóſque de venatióne cibos íntulit patri, dicens: Surge, pater mi, & cómede de venatióne filii tui, ut benedícat mihi ánima tua. *Dixitque illi* Iſaac: Quis enim es tu? Qui reſpóndit: Ego ſum filius tuus primogénitus Eſaü. Expávit Iſaac ſtupóre veheménti: & ultrà quàm credi poteſt, admírans, ait: Quis ígitur ille eſt qui dudùm captam venatiónem áttulit mihi, & comédi ex ómnibus priúſquàm tu veníres, benedixíque ei, & erit benedíctus? Audítis Eſaü ſermónibus patris, irrúgiit clamóre magno; & conſternátus, ait: Bénedic étiam & mihi, pater mi. Qui ait: Venit germánus tuus fraudulénter, & accépit benedictiónem tuam. At ille ſubjúnxit: Juſtè vocátum eſt nomen ejus Jacob: ſupplantávit enim me en álterâ vice: primogénita mea antè tulit, & nunc ſecúndò ſurrípuit benedictiónem meam.

℟. *j.* Si pœniténtiam, *p.* 124.

LECTIO II. *v.* 36. *ad* 41.

RUrsúmque ad patrem: Nunquid non reſerváſti, ait, & mihi benedictiónem? Reſpóndit Iſaac: Dóminum tuum illum conſtítui, & omnes fratres ejus ſervitúti illíus ſubjugávi: fruménto & vino ſtabilívi eum: & tibi poſt hæc, fili mi, ultrà quid fáciam? Cui Eſaü: Num unam, inquit, tantùm benedictiónem habes, pater? mihi quoque óbſecro ut benedícas. Cúmque ejulátu magno fleret, motus Iſaac dixit ad eum: In pinguédíne terræ, & in rore cœli dé-

ſuper, erit benedíctio tua. Vives in gládio, & fratri tuo sérvies: tempúſque véniet, cùm excútias & ſolvas jugum ejus de cervícibus tuis. Oderat ergo ſemper Eſaü Jacob pro benedictióne quâ benedíxerat ei pater: dixítque in corde ſuo: Vénient dies luctûs patris mei, & occídam Jacob fratrem meum.

℟. *ij*. Quis, *p*. 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

LECTIO III. *c*. 5. *v*. 43. *ad finem*.

Inimici diligendi.

DIxit Jeſus diſcípulis ſuis: Audíſtis quia dictum eſt: Díliges próximum tuum. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 1. *Comm. in Cap*. 5. *Matt*.

MUlti præcépta Dei, imbecillitáte ſuâ, non ſanctórum víribus æſtimántes, putant eſſe impoſſibília quæ præcépta ſunt, & dicunt ſufficere virtútibus, non odíſſe inimícos: cǽterùm dilígere, plus præcipi quàm humána natúra patiátur. Sciéndum eſt ergo Chriſtum non impoſſibília præcípere, ſed perfécta, quæ fecit David in Saül & in Abſalom. Stéphanus quoque Martyr pro inimícis lapidántibus deprecátus eſt: & Paulus anáthema cupit eſſe pro perſecutóribus ſuis. Hæc autem Jeſus, & dócuit, & fecit, dicens: Pater, ignóſce illis.

℟. *iij*. Non óderis fratrem tuum in corde tuo, ſed públicè árgue eum, ne hábeas ſuper illo peccátū. * Non quæras ultiónem, nec memor eris injúriæ. *Levit*. 19. 17. 18. ℣. Dilígite inimícos veſtros; benefácite his qui odérunt vos; & oráte pro perſequéntibus & calumniántibus vos. *Matt*. 5. 44. * Non quæras. Glória. * Non quæras.

Ad Benedíctus, *Ant*. 1. f. Cùm adhuc peccatóres eſſémus ſecúndùm tempus, Chriſtus pro nobis mórtuus eſt. *Rom*. 5. 8. 9.

Oratio.

UT peccatórum véniam conſequámur, fac nos, Deus, inimícos noſtros dilígere; quia nobis miſericórdiam non negábis, ſi legem ſervavérimus perféctæ caritátis; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant*. 2. D. Pater qui in cœlis eſt, ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos; & pluit ſuper juſtos & injúſtos. *Matt*. 5. 45.

Oratio.

DEus, qui nos, licèt imperféctos & frágiles, Patris cœléſtis imitatóres eſſe juſsíſti; eam nobis perfectiónem caritátis inſpira, quâ ſancti & perfécti, ſicut ille perféctus & ſanctus eſt, eſſe mereámur; Qui cum eódem Patre & Spíritu ſan-

cto vivis & regnas, Deus; Per ómnia.

SABBATO.

De Libro Géneſis.

LECTIO I. *c.* 28. *v.* 1. *ad* 5.

VOcávit ítaque Iſaac Jacob, & benedíxit eum, præcepítque ei, dicens: Noli accípere cónjugem de génere Chánaan. Sed vade, & proficíſcere in Meſopotámiam Sýriæ, ad domum Báthuel patris matris tuæ: & áccipe tibi inde uxórem de filiábus Laban avúnculi tui. Deus autem omnípotens benedícat tibi, & créſcere te fáciat, atque multíplicet: ut ſis in turbas populórum. Et det tibi benedictiónes Abrahæ, & sémini tuo poſt te: ut poſsídeas terram peregrinatiónis tuæ, quam pollícitus eſt avo tuo. Cúmque dimiſíſſet eum Iſaac, profectus, venit in Meſopotámiam Sýriæ ad Laban filium Báthuel Syri, fratrem Rebéccæ matris ſuæ.

℟. *j.* Convertímini, *p.* 124.

LECTIO II. *v.* 10. *ad* 19.

IGitur egréſſus Jacob de Berſabée, pergébat Haran. Cúmque veníſſet ad quemdam locum, & vellet in eo requiéſcere poſt ſolis occúbitum, tulit de lapídibus qui jacébant, & ſuppónens cápiti ſuo, dormívit in eódem loco. Vidítque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacúmen *illius tangens* cœlum: Angelos quoque Dei aſcendéntes & deſcendéntes per eam, & Dóminum inníxum ſcalæ, dicéntem ſibi: Ego ſum Dóminus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac. Terram in qua dormis tibi dabo & sémini tuo: eritque ſemen tuum quaſi pulvis terræ. Dilatáberis ad Occidéntem, & Oriéntem, & Septentriónem, & Merídiem: & benedicéntur in te & in sémine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero cuſtos tuus quocúmque perréxeris, & redúcam te in terram hanc: nec dimíttam, niſi complévero univérſa quæ dixi. Cúmque evigiláſſet Jacob de ſomno, ait: Vere Dóminus eſt in loco iſto, & ego neſciébam. Pavénſque, Quam terríbilis eſt, inquit, locus iſte! non eſt hîc áliud niſi domus Dei, & porta cœli. Surgens ergo Jacob manè, tulit lápidem quē ſupposúerat cápiti ſuo, & eréxit in titúlum, fundens óleum déſuper. Appellavítque nomen urbis Bethel, quæ priùs Luza vocabátur.

℟. *ij.* Fácite, *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

LECTIO III. *c.* 6. *v.* 46. *ad finem.*

Tempeſtas ſedata.

ABiit Jeſus in montem oráre; & cùm ſerò eſſet, erat navis in médio mari, & ipſe ſolus in terra. Et réliqua.

Homília Venerábilis Bedæ Presbýteri.

Lib. 2. in Marc. c. 28.

LAbor diſcipulórum in remigándo, & contrárius eis ventus, labóres ſanctæ Eccléſiæ vários deſígnat: quæ inter undas séculi adverſántis, & immundórum flatus ſpiríतuum, ad quiétem pátriæ cœléſtis, quaſi ad fidam líttoris ſtatiónem, perveníre conátur. Nonnúnquam Eccléſia tantis Gentílium preſsúris, non ſolùm afflícta, ſed & fœdáta eſt, ut, ſi fieri poſſet, Redémptor ipſius eam prorsùs deſeruíſſe ad tempus viderétur. Verùm ille non oblivíſcitur oratiónem paúperum, neque avértit fáciem ſuam à ſperántibus in ſe: quin pótiùs & certántes cum hóſtibus, ut vincant, ádjuvat: & victóres in ætérnum corónat. Unde hîc quoque apértè dícitur: Quia vidit eos laborántes in remigándo. Videt quippe Dóminus laborántes in mari, quamvis ipſe póſitus in terra: quia & ſi ad horam differre videátur auxílium tribulátis impéndere, nihilóminùs eos, ne in tribulatiónibus defíciant, ſuæ reſpéctu pietátis corróborat, & aliquándo étiam, maniféſto adjutório victis adverſitátibus, quaſi calcátis ſedatíſque flúctuum volumínibus, líberat.

℞. *iij.* Reſpícite, filii, natiónes hóminum; & ſcitóte, quia * Nullus ſperávit in Dómino, & confúſus eſt. *Eccli. 2. 11.* ℣. Spes non confúndit. *Rom. 5. 5.* * Nullus. Glória. * Nullus.

Ad Benedíctus, *Ant. 6. F.* Spe ſalvi facti ſumus: ſpes autem quæ vidétur, non eſt ſpes. *Rom. 8. 24.*

Oratio.

AUxiliáre, quæſumus, Dómine, quæréntibus miſericórdiam tuam, & da grátiam in te confidéntibus; ut qui noſtris méritis flagellámur, tuâ miſeratióne ſalvémur; Per Dóminum.

AD VESPERAS.

CAPITULUM. *Levit. 16. 30. 31.*

IN hac die expiátio erit veſtrî, atque mundátio ab ómnibus peccátis veſtris, coram Dómino mundabímini: Sábbatum enim requietiónis eſt, & affligétis ánimas veſtras religióne perpétuâ.

℞. Dies expiatiónum erit celebérrimus, & vocábitur Sanctus: * Affligetíſque ánimas veſtras in eo, & offerétis holocaúſtum Dómino. *Levit. 23. 27.* ℣. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies ſalútis. *2. Cor. 6. 2.* * Affligetíſque. Glória. * Affligetíſque.

Ad Magníficat, *Ant. 7. c.* Vovit votum Jacob, dicens: Erit mihi Dóminus in Deum. *Gen. 28. 21.*

Non dicuntur Preces.

Oratio.

DEus, qui Eccléſiam tuam ánnuâ Quadragéſimæ obſervatióne puríficas; præſta famíliæ tuæ, ut quod à te obtinére abſtinéndo nítitur, hoc bonis opéribus exequátur; Per Dóminum.

Completorium, *ut ſuprà*, p. 134. *demptis Précibus.*

DOMINICA PRIMA IN QUADRAGESIMA.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Veníte, * Revertámur ad Dóminum. *Oſee.* 6. 1.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus. En tempus acceptábile, *p.* 123.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. *E.* Convertímini ad me, ait Dóminus exercítuum; & convértar ad vos. *Zach.* 1. 3.

Ant. 1. a. Revertátur unuſquíſque à via ſua malâ. *Jer.* 18. 11.

Ant. 6. F. Vivo ego, dicit Dóminus: Nolo mortem ímpii, ſed ut convertátur ímpius à via ſua, & vivat. *Ezech.* 33. 11.

℣. Fílii hóminum, úſquequò gravi corde? ℟. Ut quid dilígitis vanitátem, & quǽritis mendáciũ? *Pſ.* 4. 3.

De libro Géneſis.

Lectio I. *c.* 29. *v.* 1. *ad* 8.

PRoféctus Jacob venit in terram Orientálem, & vidit púteum in agro, tres quoque greges óvium accubántes juxta eum: nam ex illo adaquabántur pécora, & os ejus grandi lápide claudebátur. Moríſque erat ut cunctis óvibus congregátis devólverent lápidem, & reféctis grégibus, rursùm ſuper os pútei pónerent. Dixítque ad paſtóres: Fratres, unde eſtis? Qui reſpondérunt: De Haran. Quos intérrogans, Nunquid, ait, noſtis Laban filium Nachor? Dixérunt: Nóvimus. Sanúſne eſt? inquit. Valet, ínquiunt: & ecce Rachel fília ejus venit cum grege ſuo. Dixítque Jacob: Adhuc multùm diéi ſupereſt, nec eſt tempus ut reducántur ad caulas greges: date antè potum óvibus, & ſic eas ad paſtum redúcite. Qui reſpondérunt: Non póſſumus, donec ómnia pécora congregéntur, & amoveámus lápidem de ore pútei, ut adaquémus greges.

℟. j. Benedictiónem ómnium géntium dedit Iſaac Dóminus, & * Teſtaméntum confirmávit ſuper caput Jacob. *Eccli.* 44. 25. ℣. Scriptum eſt: Jacob diléxi. *Rom.* 9. 13. * Teſtaméntum.

Lectio II. *v.* 9. *ad* 20.

ADhuc loquebántur, & ecce Rachel veniébat cum óvibus patris ſui: nam gregem ipſa paſcébat. Quã cùm vidíſſet Jacob, & ſciret conſobrínam ſuã, ovéſque Laban avúnculi ſui,

amóvit lápidem quo púteus claudebátur. Et adaquáto grege, oſculátus eſt eam: & elevátâ voce flevit, & indicávit ei quòd frater eſſet patris ſui, & filius Rebéccæ. At illa feſtínans nuntiávit patri ſuo: qui cùm audíſſet veníſſe Jacob filium ſoróris ſuæ, cucúrrit óbviàm ei: complexúſque eum, & in óſcula ruens duxit in domũ ſuam. Audítis autem cauſis itíneris, reſpóndit: Os meũ es & caro mea. Et poſtquàm impléti ſunt dies menſis uníus, dixit ei: Num quia frater meus es, gratìs sérvies mihi? dic quid mercédis accípias. Habébat verò duas fílias: nomen majóris Lia; minor verò appellabátur Rachel. Sed Lia lippis erat óculis: Rachel decórâ fácie, & venúſto aſpéctu. Quam díligens Jacob, ait: Sérviam tibi pro Rachel fília tua minóre, ſeptem annis. Reſpóndit Laban: Mélius eſt ut tibi eam dem quã álteri viro; mane apud me. Servívit ergo Jacob pro Rachel ſeptem annis: & videbántur illi pauci dies præ amóris magnitúdine.

℟. *ij.* Jacob ábiit itínere quo cœ́perat; * Fuerúntque ei óbviàm Angeli Dei. *Gen.* 32. 1. ℣. Scriptũ eſt: Quia Angelis ſuis mandávit de te. *Matt.* 4. 6. * Fuerúntque.

Lectio III. *v.* 21. *ad* 29.

Dixítque ad Laban: Da mihi uxórem meam, quia jam tempus implétum eſt, ut ingrédiar ad illam. Qui vocátis multis amicórum turbis ad convívium, fecit núptias. Et véſpere Liam fíliam ſuam introdúxit ad eum, dans ancíllam filiæ, Zelpham nómine. Ad quam cùm ex more Jacob fuíſſet ingréſſus, facto manè vidit Liam: & dixit ad sócerum ſuum: Quid eſt quod fácere voluíſti? nónne pro Rachel ſervívi tibi? quare impoſuíſti mihi? Reſpóndit Laban: Non eſt in loco noſtro conſuetúdinis, ut minóres antè tradámus ad núptias. Implè hebdómadam diérum hujus cópulæ: & hanc quoque dabo tibi pro ópere quo ſervitúrus es mihi ſeptem annis áliis. Acquiévit plácito: & hebdómadâ tranſáctâ, Rachel duxit uxórem: cui pater ſervam Balam tradíderat.

℟. *iij.* Omnes iſti in generatiónibus gentis ſuæ glóriam adépti ſunt, & * In diébus ſuis habéntur in laúdibus. *Eccli.* 44. 7. ℣. Juxta fidem defúncti ſunt omnes iſti, non accéptis repromiſſiónibus, ſed à longè eas aſpiciéntes. *Hebr.* 11. 13. * In diébus. Glória. * In diébus.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Derelínquat ímpius viam ſuam, & vir iníquus cogitatiónes ſuas. *Iſ.* 55. 7.

Ant. 7. c. Revertátur ad Dóminum, & miſerébitur

ejus; & ad Deum noſtrum, quóniam multus eſt ad ignoſcéndum. *Iſ.* 55. 7.

Ant. 5. a. Pius & miséricors eſt Deus, & remíttet in die tribulatiónis peccáta. *Eccli.* 2. 13.

℣. Dóminus Deus loquétur pacem in plebem ſuam, ℟. Et ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui convertúntur ad cor. *Pſ.* 84. 9.

De Epíſtola ſecúnda beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

LECTIO IV. *c.* 6. *v.* 1. *ad* 10.

EXhortámur ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, & in die ſalútis adjúvi te. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies ſalútis. Némini dantes ullam offenſiónem, ut non vituperétur miniſtérium noſtrum: ſed in ómnibus exhibeámus noſmetípſos ſicut Dei miníſtros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in neceſſitátibus, in angúſtiis, in plagis, in carcéribus, in ſeditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in caſtitáte, in ſciéntia, in longanimitáte, in ſuavitáte, in Spíritu ſancto, in caritáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei, per arma juſtítiæ, à dextris & à ſiníſtris, per glóriam & ignobilitátem, per infámiam & bonam famam: ut ſeductóres, & veráces: ſicut qui ignóti, & cógniti: quaſi moriéntes, & ecce vívimus: ut caſtigáti, & non mortificáti: quaſi triſtes, ſemper autem gaudéntes: ſicut egéntes, multos autem locupletántes: tanquam nihil habéntes, & ómnia poſſidéntes.

℟. *iv.* Quǽrite Dóminum, dum inveníri poteſt;* Invocáte eum, dum propè eſt. *Iſ.* 55. 6. ℣. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, & in die ſalútis adjúvi te. 2. *Cor.* 6. 2. * Invocáte.

LECTIO V. *v.* 11. *ad* 16.

OS noſtrum patet ad vos, ô Corínthii, cor noſtrum dilatátum eſt. Non anguſtiámini in nobis, anguſtiámini autem in viſcéribus veſtris. Eámdem auté habéntes remuneratiónem, tanquam fíliis dico, dilatámini & vos. Nolíte jugum dúcere cum infidélibus: quæ enim participátio juſtítiæ cum iniquitáte? aut quæ ſocíetas luci ad ténebras? Quæ autem convéntio Chriſti ad Bélial? aut quæ pars fidéli cum infidéli? Qui autem conſénſus templo Dei cum idólis? Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos: & ero illórum Deus, & ipſi erunt mihi pópulus.

℟. *v.* Quia pátiens Dóminus eſt, in hoc ipſo pœ-

nitceámus; * Et indulgéntiam ejus, fuſis lácrymis, poſtulémus. *Judith.* 8. 14. ℣. In ómnibus exhibeámus noſmetípſos ſicut Dei miníſtros. 2. *Cor.* 6. 4. * Et indulgéntiam.

LECTIO VI. *v.* 17. *ad fin. & c.* 7. *v.* 1. *ad* 3.

PRopter quod exíte de médio eórum, & ſeparámini, dicit Dóminus; & immúndum ne tetigéritis: & ego recípiam vos, & ero vobis in patrem: & vos éritis mihi in fílios & fílias, dicit Dóminus omnípotens. Has ergo habéntes promiſſiónes, caríſſimi, mundémus nos ab omni inquinaménto carnis & ſpíritûs, perficiéntes ſanctificatiónem in timóre Dei. Cápite nos. Néminem læſimus, néminem circumvénimus. Non ad condemnatiónem veſtrã dico, prædíximus enim quòd in córdibus noſtris eſtis, ad commoriéndum, & ad convivéndum.

℟. *vj.* Qui abſcóndit ſcélera ſua, non dirigétur; * Qui autem conféſſus fúerit & relíquerit ea, miſericórdiam conſequétur. *Prov.* 28. 13. ℣. Si confiteámur peccáta noſtra, fidélis eſt & juſtus Deus, ut remíttat nobis peccáta noſtra. 1. *Joan.* 1. 9. * Qui. Glória. * Qui.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. *a.* Mundémus nos ab omni inquinaménto carnis & ſpíritûs. 2. *Cor.* 7. 1.

Ant. 8. G. Non eſt abbreviáta manus Dómini, ut ſalváre néqueat; neque aggraváta eſt auris ejus, ut non exaúdiat. *Iſ.* 59. 1.

Ant. 1. *g.* Dóminus bonus propitiábitur cunctis, qui in toto corde requírunt Dóminum Deum patrum ſuórum. 2. *Par.* 30. 18. 19.

℣. Non repéllet Dóminus plebem ſuam, ℟. Et hæreditátem ſuam non derelínquet. *Pſ.* 93. 14.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Serm. 4. *de Quadrag.* c. 1.

LECTIO VII.

PRædicatúrus vobis, dilectíſſimi, ſacratíſſimum maximúmque jejúniũ, quo áptiùs utar exórdio, quàm ut verbis Apóſtoli, in quo Chriſtus loquebátur, incípiam, dicámque: Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies ſalútis? Quamvis enim nulla ſint témpora quæ divínis non ſint plena munéribus, & ſemper nobis ad miſericórdiam Dei per ipſíus grátiam præſtétur accéſſus, nunc tamen ómnium mentes majóri ſtúdiò ad ſpirituáles profectus movéri, & amplióri fidúciâ opórtet animári, quando ad univérſa pietátis offícia, illíus nos diéi in quo redémpti ſumus, recúrſus invítat: ut excéllens ſuper ómnia Paſſiónis Domínicæ ſacraméntum, purificátis & corpóribus & ánimis, celebrémus. Debebátur quidem

G 2

tantis myſtériis ità inceſſábilis devótio & continuáta reveréntia, ut tales permanerémus in conſpéctu Dei, quales nos in ipſo Paſchali Feſto dignum eſt inveníri. Sed quia hæc fortitúdo paucórum eſt; & dum carnis fragilitáte auſtérior obſervántia relaxátur, dúmque per várias actiónes vitæ hujus ſollicitúdo diſténditur, necéſſe eſt de mundáno púlvere étiam religióſa corda ſordéſcere; magnâ divínæ inſtitutiónis ſalubritáte províſum eſt, ut ad reparándã méntium puritátem, quadragínta nobis diérũ exercitátio mederétur, in quibus aliórum témporum culpas, & pia ópera redímerent, & jejúnia caſta decóquerent.

℞. *vij.* Dies propitiatiónis eſt, ut propitiétur vobis Dóminus Deus veſter; * Omnis ánima quæ afflicta non fúerit die hâc, períbit de pópulis ſuis. *Levit.* 23. 28. 29. ℣. Fácite ergo fructum dignum pœniténtiæ. *Matt.* 3. 8. * Omnis.

LECTIO VIII. *c.* 2.

INgreſſúri ígitur, dilectíſſimi, dies myſticos & jejuniórum remédiis conſecrátos, præcéptis Apóſtoli obedíre curémus, emundántes nos ab omni inquinaménto carnis ac ſpíritus: ut caſtigátis colluctatiónibus, quæ ſunt inter utrámque ſubſtántiã, ánimus, quem ſub Dei gubernáculis conſtitútum, córporis ſui decet eſſe rectórem, dominatiónis ſuæ obtíneat dignitátem: ut némini dantes ullam offenſiónem, vituperatiónibus obloquéntium non ſimus obnóxii. Dignâ enim ab infidélibus reprehenſióne carpémur; & noſtro vítio linguæ ímpiæ in injúriam ſe Religiónis armábunt, ſi jejunántium mores à puritáte perféctæ continéntiæ diſcrepárint. Non enim in ſola abſtinéntia cibi ſtat noſtri ſumma jejúnii, aut fructuóſè córpori eſca ſubſtráhitur, nisi mens ab iniquitáte revocétur, & ab obtrectatiónibus lingua cohibeátur. Sic ergo nobis edéndi eſt moderánda libértas, ut étiam áliæ cupiditátes eâdem lege frænéntur.

℞. *viij.* Miſericórdiæ Dómini quia non ſumus consúmpti, * Quia non defecérunt miſeratiónes ejus. *Thren.* 3. 22. ℣. Miséricors Dóminus eſt & miſerátor. *Jac* 5. 11. * Quia.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

LECTIO IX. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 11.

Chriſtus tentatoris victor.

JEſus ductus eſt in desértum à Spíritu, ut tentarétur à diábolo. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 16. *in Evang.* n. 1.

DUbitári à quibúſdam ſolet, à quo ſpíritu ductus ſit Jeſus in desértum, propter hoc quod súb-

ditur : Aſſúmpſit eum diábolus in ſanctam civitátem: & rursùm : Aſſúmpſit eum in montem excélſum valde. Sed verè & abſque ulla quæſtióne conveniénter accípitur, ut à ſancto Spíritu in desértum ductus credátur, ut illuc eum ſuus Spíritus dúceret, ubi hunc ad tentándum malígnus ſpíritus inveníret. Sed ecce cùm dícitur Deus homo, vel in excélſum montem, vel in ſanctam civitátem à diábolo aſſúmptus, mens réfugit crédere, humánæ hoc audíre aures expavéſcunt. Qui tamen non eſſe incredibília iſta cognóſcimus, ſi in illo & ália facta pensámus. Certè iniquórum ómnium caput diábolus eſt, & hujus cápitis membra ſunt omnes iníqui. Annon diáboli membrum fuit Pilátus ? Annon diáboli membra Judǽi perſequéntes, & mílites crucifigéntes Chriſtum fuérunt ? Quid ergo mirum, ſi ſe ab illo permíſit in montem duci, qui ſe pértulit étiam à membris illíus crucifigi ? Non eſt ergo indígnum Redemptóri noſtro, quòd tentári vóluit, qui vénerat occídi.

℟. *ix.* Oſténdit mihi Dóminus Jeſum Sacerdótem magnum ſtantem corã Angelo Dómini : * Et Satan ſtabat à dextris ejus. *Zach.* 3. 1. ℣. Agebátur Jeſus à Spíritu in desértum diébus quadragínta. *Luc.* 4. 1. 2. * Et Satan. Glória. *Reſumitur* ℟. Oſténdit.

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Oculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum, ℟. Donec miſereátur noſtrî. *Pſ.* 122. 2.

Ant. 6. F. Nunc, Dómine, magna judícia tua, quia non égimus ſecúndùm præcépta tua. *Tob.* 3. 5.

Ant. 1. D. Peccávimus, Dómine, iniquitátem fécimus, ímpiè égimus. *Dan.* 9. 5.

Ant. 4. A. Recéſſimus & declinávimus à mandátis tuis ac judíciis. *Dan.* 9. 5.

In Canticum, Peccávimus, *ſuprà*, p. 125.

Ant. 7. c. Benedíctum eſt nomen tuum, Deus patrum noſtrórum, qui cùm irátus fúeris, miſericórdiam fácies. *Tob.* 3. 13.

Ant. 3. *a.* In témpore tribulatiónis, Dómine, peccáta dimíttis his qui ínvocant te. *Tob.* 3. 13.

CAPITULUM. *Hebr.* 4. 15.

NOn habémus Pontíficem qui non poſſit cómpati infirmitátibus noſtris, tentátum autem per ómnia pro ſimilitúdine abſque peccáto.

Hymnus. Audi, benígne Cónditor, *ſuprà*, p. 125.

℣. Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam, Dómine ; ℟. Quia in te ſperávi. *Pſ.* 142. 8.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. a. Juſtus es, Dómine, in ómnibus quæ venérunt ſuper nos. 2. *Eſdr.* 9. 33.

Orátio.

DEus, qui ad ſuperándas diáboli inſídias Unigéniti tui Dómini noſtri ipsâ tentatióne nos édoces; concéde ut ejus exémplo jejunántes & orántes, plenam de ſalútis noſtræ inimícis victóriam reportáre valeámus; Per eúmdem.

AD PRIMAM.

Ant. 6. F. Unuſquíſque tentátur, à concupiſcéntia ſua abſtráctus & illéctus. *Jac.* 1. 14.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 10. 13.

FIdélis Deus eſt, qui non patiétur vos tentári ſupra id quod potéſtis, ſed fáciet étiam cum tentatióne provéntum, ut poſsítis ſuſtinére.

℟. *breve.* Chriſte, Fili Dei vivi,* Miſerére nobis. ℟. Chriſte. ℣. Qui veníſti peccatóres ſalvos fácere. * Miſerére. Glória. ℟. Chriſte. *Matt.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. 1. *Tim.* 1. 15.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſ.* 43. 26.

Dóminus vobíſcum, &c.

Orémus.

DOmine Deus omnípotens, &c. *p.* 129.

Non dicuntur Preces ante laborem. Et ſic in aliis Dominicis.

AD TERTIAM.

Ant. 1. *D.* Scriptum eſt: Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procédit de ore Dei. *Matt.* 4. 4.

CAPITULUM. *Deut.* 8. 3.

DOminus Deus tuus afflíxit te penúriâ, & dedit tibi cibum manna quod ignorábas tu & patres tui, ut oſténderet tibi quòd non in ſolo pane vivat homo, ſed in omni verbo quod egréditur de ore Dei.

℟. *breve.* Quàm dúlcia faúcibus meis* Elóquia tua, Dómine! ℟. Quàm. ℣. Super mel ori meo. * Elóquia. Glória. ℟. Quàm. *Pſ.* 118. 103.

℣. Servus tuus cuſtódit ea; ℟. In cuſtodiéndis illis retribútio multa. *Pſ.* 18. 12.

AD SEXTAM.

Ant. 7. a. Scriptum eſt: Non tentábis Dóminum Deum tuum. *Matt.* 4. 7.

CAPITULUM. *Sap.* 1. 1. 2.

SEntíte de Dómino in bonitáte, & in ſimplicitáte cordis quǽrite illum; quóniam invenítur ab his qui non tentant illum, appáret autem eis qui fidem habent in illum.

℟. *breve.* Deus meus, * In te confído. ℟. Deus. ℣. Non erubéſcam. * In te. Glória. ℟. Deus. *Pſ.* 24. 2.

℣. In te confídit ánima mea; ℟. Et in umbra alárum tuárum ſperábo. *Pſ.* 56. 2.

AD NONAM.

Ant. 5. C. Scriptum eſt: Dóminum Deum tuum adorábis, & illi ſoli ſérvies. *Matt.* 4. 10.

CAPITULUM. *Deut.* 6. 13.

CAve diligénter ne obliviſcáris Dómini, qui edúxit te de terra Ægypti, de domo ſervitútis. Dóminum Deum tuum timébis, & illi ſoli ſérvies, ac per nomen illíus jurábis.

℟. *breve.* Omnis terra adóret te, Dómine, * Et pſallat tibi. ℟. Omnis. ℣. Pſalmum dicat nómini tuo.* Et pſallat. Glória. ℟. Omnis. *Pſ.* 65. 4.

℣. Dominátur in virtúte ſua, ℟. In ætérnum. *Pſ.* 65. 7.

AD VESPERAS.

Ant. 6. F. Quàm magna miſericórdia Dómini, & propitiátio illíus converténtibus ad ſe! *Eccli.* 17. 28.

Ant. 2. *D.* Quaſi ſervi corrípimur ad emendatiónem, & non ad perditiónem noſtram. *Judith.* 8. 27.

Ant. 7. a. Altíſſimus ódio habet peccatóres, & misértus eſt pœniténtibus. *Eccli.* 12. 3.

Ant. 4. a. Sanctum nomen ejus, in excélſo & in ſancto hábitans, & cum contríto & húmili ſpíritu, ut vivíficet ſpíritum humílium. *Iſ.* 57. 15.

Ant. 1. D. Si abjécit, & miſerébitur, ſecúndùm multitúdinem miſericordiárum ſuárum. *Thren.* 3. 32.

CAPITULUM. *Iſ.* 66. 2.

OMnia hæc manus mea fecit, & facta ſunt univérſa iſta, dicit Dóminus: ad quem autem reſpíciam, niſì ad paupérculum, & contrítum ſpíritu, & treméntem ſermónes meos?

Hymnus. Solémne nos jejúnii, *ſuprà*, *p.* 133.

℣. Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; ℟. Dómine, quis ſuſtinébit? *Pſ.* 129. 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. *a.* Relíquit Jeſum diábolus; & ecce Angeli acceſſérunt, & miniſtrábant ei. *Matt.* 4. 11.

Oratio, Deus, qui, *ſuprà*, p. 150.

COMPLETORIUM, *ut ſuprà*, *p.* 134. *demptis Precibus.*

FERIA SECUNDA.

De Libro Géneſis.

LECTIO I. *c.* 32. *v.* 1. *ad* 8.

JAcob ábiit itínere quo cœperat: fuerúntque ei óbviàm Angeli Dei. Quos cùm vidíſſet, ait: Caſtra Dei ſunt hæc: & appellávit nomen loci illíus Mahánaïn, id eſt, Caſtra. Miſit autem & núntios ante ſe ad Eſaü fratrem ſuum in terram Seïr in regiónem Edom, præcepítque eis, dicens: Sic loquímini dómino meo Eſaü: Hæc dicit frater tuus Jacob: Apud Laban peregrinátus ſum, & fui uſque in præséntem diem. Hábeo

boves, & áſinos, & oves, & ſervos, & ancillas: mittóque nunc legatiónem ad dóminum meum, ut invéniam grátiam in conſpéctu tuo. Reversíque ſunt núntii ad Jacob dicéntes: Vénimus ad Eſaü fratrem tuum, & ecce próperat tibi in occúrſum cum quadringéntis viris. Tímuit Jacob valde: & pertérritus divíſit pópulum qui ſecum erat, greges quoque, & oves, & boves, & camélos, in duas turmas, dicens: Si vénerit Eſaü ad unam turmam, & percúſſerit eam, ália turma, quæ réliqua eſt, ſalvábitur.

℟. *j.* Non tardes, *p.* 123.

Lectio II. *v.* 22. *ad finem.*

CUmque matúrè ſurrexíſſet, tulit duas uxóres ſuas, & tótidem fámulas cum úndecim filiis, & transívit vadum Jaboc. Traductíſque ómnibus quæ ad ſe pertinébant, manſit ſolus: & ecce vir luctabátur cum eo uſque manè. Qui cùm vidéret quòd eum ſuperáre non poſſet, tétigit nervum fémoris ejus, & ſtatim emárcuit. Dixítque ad eum: Dimítte me, jam enim aſcéndit auróra. Reſpóndit: Non dimíttam te, niſi benedíxeris mihi. Ait ergo: Quod nomen eſt tibi? Reſpóndit: Jacob. At ille, Nequáquàm, inquit, Jacob appellábitur nomen tuum, ſed Iſraël: quóniam ſi contra Deum fortis fuíſti, quantò magìs contra hómines prævalébis? Interrogávit eum Jacob: Dic mihi quo appelláris nómine? Reſpóndit: Cur quæris nomen meum? Et benedíxit ei in eódem loco. Vocavítque Jacob nomen loci illíus Phánuel, dicens: Vidi Deum fácie ad fáciem, & ſalva facta eſt ánima mea. Ortúſque eſt ei ſtatim ſol, poſtquàm tranſgréſſus eſt Phánuel: ipſe verò claudicábat pede. Quam ob cauſam non cómedunt nervum filii Iſraël, qui emárcuit in fémore Jacob, uſque in præséntem diem, eò quòd tetígerit nervum fémoris ejus, & obſtupúerit.

℟. *ij.* Státue, *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

Lectio III. *c.* 25. *v.* 31. *ad finem.*

Ultimum Judicium.

DIxit Jeſus diſcípulis ſuis: Cùm vénerit Fílius hóminis in majeſtáte ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedébit ſuper ſedē majeſtátis ſuæ. Et réliqua.

Homilia ſancti Cypriáni Epíſcopi & Mártyris.

De opere & eleemoſyna.

QUid pótuit nobis majus Chriſtus edícere? Quómodo magìs pótuit juſtitiæ ac miſericórdiæ noſtræ ópera provocáre, quàm quòd præſtári dixit ſibi, quidquid egénti præſtétur & paúperi? ut qui

reſpéctu fratris in Eccléſia non movétur, vel Chriſti contemplatióne moveátur: & qui non cógitat in labóre atque in egeſtáte consérvum, vel Dóminum cógitet in ipſo illo quem déſpicit conſtitútum. Et idcircò, fratres cariſſimi, quibus metus in Deum pronus eſt, & ſpreto calcatóque jam mundo, ad ſupérna & divína ánimus eréctus eſt; fide plenâ, mente devótâ, operatióne continuâ, promeréndo Dómino obséquium præbeámus. Demus Chriſto veſtiménta terréna, induménta cœléſtia receptúri. Demus cibum & potum ſeculárem, ad convívium cœléſte ventúri. Ne parùm metámus, plúrimùm ſeminémus. Securitáti ac ſalúti ætérnæ, dum tempus eſt, conſulámus.

℟. *iij.* Annuntiábunt cœli juſtítiam ejus, * Quóniam Deus Judex eſt. *Pſ.* 49. 6. ℣. Congregabúntur ante eum omnes gentes. *Matt.* 25. 32. * Quóniam. Glória. * Quóniam.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. f. Impii ſecúndùm quæ cogitavérunt, correptiónem habébunt. *Sap.* 3. 10.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, Dómine, ut jejuniórum ſancta devótio ab omni nos éxpiet contagióne delicti; ut cùm judicatúrus orbem advénerit Filius tuus, non invéniat in nobis quod condémnet, ſed quod donis ſempitérnis remúneret; Qui tecum.

Ad Magnificat, *Ant.* 1. D. Ibunt hi qui a ſiniſtris erunt, in ſupplícium ætérnum; juſti autem in vitam ætérnam. *Matt.* 25. 46.

Oratio.

EXaúdi, quæſumus, Dómine, gémitum pópuli ſupplicántis; ut qui de meritórum qualitáte diffídimus, non judícium, ſed miſericórdiam conſequámur; Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

De Libro Géneſis.

LECTIO I. *c.* 35. *v.* 1. *ad* 5.

LOcútus eſt Deus ad Jacob: Surge, & aſcénde Bethel, & hábita ibi, fácque altáre Deo qui appáruit tibi quando fugiébas Eſaü fratrem tuum. Jacob verò, convocátâ omni domo ſuâ, ait: Abjícite deos aliénos qui in médio veſtrî ſunt, & mundámini, ac mutáte veſtiménta veſtra. Súrgite & aſcendámus in Bethel, ut faciámus ibi altáre Deo, qui exaudívit me in die tribulatiónis meæ, & sócius fuit itíneris mei. Dedérunt ergo ei omnes deos aliénos quos habébant, & inaúres quæ erant in aúribus eórum: at ille infódit ea ſubter terebínthum, quæ eſt poſt urbem Sichem. Cúmque profécti eſſent, terror Dei

invâſit omnes per circúitum civitátes, & non ſunt auſi pérſequi recedéntes.

℟. *j.* Si pœniténtiam, *p.* 124.

Lectio II. *v. 6. ad* 15.

VEnit ígitur Jacob Luzam, quæ eſt in terra Chánaan, cognoménto Bethel, ipſe & omnis pópulus cum eo. Ædificavítque ibi altáre, & appellávit nomen loci illíus, Domus Dei: ibi enim appáruit ei Deus, cùm fúgeret fratrem ſuum. Eódem témpore mórtua eſt Débora nutrix Rebéccæ, & ſepúlta eſt ad radíces Bethel ſubter quercum: vocatúmque eſt nomen loci illíus, Quercus fletûs. Appáruit autem íterùm Deus Jacob, poſtquàm revérſus eſt de Meſopotámia Sýriæ, benedixítque ei, dicens: Non vocáberis ultrà Jacob: ſed Iſraël erit nomen tuum. Et appellávit eum Iſraël, dixítque ei: Ego Deus omnípotens, creſce & multiplicáre: gentes & pópuli natiónum ex te erunt, reges de lumbis tuis egrediéntur, terrámque quam dedi Abraham & Iſaac, dabo tibi & sémini tuo poſt te. Et recéſſit ab eo. Ille verò eréxit títulum lapídeum in loco quo locútus fúerat ei Deus, libans ſuper eum libámina & effúndens óleum, vocánſque nomen loci illíus Bethel.

℟. *ij.* Quis, *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio III. *c.* 21. *v.* 10. *ad* 17.

Negotiatores è Templo ejecti.

CUm intráſſet Jeſus Jeroſólymam, commóta eſt univérſa cívitas. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi,

In Matt. Hom. 28.

VOs eſtis templum Dei, & Spíritus ſanctus hábitat in vobis. Non ſit ígitur in domo péctoris tui negotiátio illícita. Nihil boni quod fácimus, vel fácere póſſumus adjuvánte Dómino, appetítu jactántiæ faciámus, non terréni lucri concupiſcéntiâ, non malárum cupiditáte rerum; ne ingrediátur Jeſus irátus & rígidus, & non áliter emúndet templum ſuum, niſi flagéllo adhíbito, id eſt, correctióne graviſſima: & de ſpelúnca latrónum, id eſt, de habitáculo dæmonum per uſum iníquæ cupiditátis; & de domo negotiatiónis, id eſt, de corde terréni lucri inhiánte, ſuæ fáciat domum habitatiónis. Utámur ígitur, dilectíſſimi, ſalubérrimi témporis venerabílibus inſtitútis: & ſolertióri curâ noſtras máculas tergámus. Quamtúmlibet enim caſtè & sóbriè mortális hæc vita ducátur, quódam tamen púlvere ter-

rénæ converſatiónis aſpérgitur, & nitor méntium ad Dei imáginem conditárum non itâ à fumo totíus vanitátis eſt aliénus, ut nulla poſſit ſorde fuſcári, & non ſemper indígeat expolíri.

℟. *iij.* Nunquid ſpelúnca latrónum facta eſt domus iſta, in qua invocátum eſt nomen meum in óculis veſtris? * Ego, ego ſum; ego vidi, dicit Dóminus. *Jer.* 7. 11. ℣. Scriptum eſt: Domus mea domus oratiónis vocábitur; vos autem fecíſtis illam ſpelúncam latrónum. *Matt.* 21. 13. * Ego. Glória. * Ego.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. a. Qui habet in cœlis habitatiónem, viſitátor & adjútor eſt loci illíus, & veniéntes ad malefaciéndum pércutit ac perdit. 2. *Mach.* 3. 39.

Oratio.

DEus virtútum, cujus eſt totum quod eſt óptimum; ínſere pectóribus noſtris amórem tui nóminis, & præſta in nobis religiónis augméntum, ut quæ ſunt bona, nútrias, ac pietátis ſtúdio, quæ ſunt nutríta, cuſtódias; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. *g.* Acceſſérunt ad Jeſum cœci & claudi in templo, & ſanávit eos. *Matt.* 21. 14.

Oratio.

AScéndant ad te, Dómine, preces noſtræ; & ab Eccléſia tua cunctam repélle nequítiã; Per Dóminũ.

FERIA QUARTA QUATUOR TEMPORUM.

De Libro Géneſis.

LECTIO I. *c.* 35. *v.* 16. *ad* 22.

VEnit Jacob verno témpore ad terram quæ ducit Ephrátam: in qua cùm parturíret Rachel, ob difficultátem partûs periclitári cœpit. Dixítque ei óbſtetrix: Noli timére, quia & hunc habébis fílium. Egrediénte autem ánimâ præ dolóre, & imminénte jam morte, vocávit nomen fílii ſui Bénoni, id eſt, Fílius dolóris mei: pater verò appellávit eum Bénjamin, id eſt, Fílius dextræ. Mórtua eſt ergo Rachel, & ſepúlta eſt in via quæ ducit Ephrátam, hæc eſt Béthlehem. Erexítque Jacob títulum ſuper ſepúlcrum ejus. Hic eſt títulus monuménti Rachel, uſque in præſéntem diem. Égréſſus inde, fixit tabernáculum trans Turrem gregis. Cúmque habitáret in illa regióne, ábiit Ruben, & dormívit cum Bala concubína patris ſui: quod illum mínimè látuit.

℟. *j.* Convertímini, *p.* 124

LECTIO II. *v.* 22. *ad fin.*

ERant autem fílii Jacob duódecim. Fílii Liæ: primogénitus Ruben, & Símeon, & Levi, & Judas, & Iſſachar, & Zabúlon. Fílii Rachel: Joſeph & Bénjamin. Fílii Balæ ancíllæ Rachélis: Dan & Népthali. Fílii Zelphæ ancíllæ Liæ:

Gad & Aſer. Hi ſunt filii Jacob, qui nati ſunt ei in Meſopotámia Sýriæ. Venit étiam ad Iſaac patrem ſuum in Mambre civitátem Arbée, hæc eſt Hebron, in qua peregrinátus eſt Abraham & Iſaac. Et compléti ſunt dies Iſaac centum octogínta annórum. Conſumptúſque ætáte mórtuus eſt, & appóſitus eſt pópulo ſuo ſenex & plenus diérum. Et ſepeliérunt eum Eſaü & Jacob filii ſui.

℟. *ij.* Fácite. *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

Lectio III. *c.* 12. *v.* 38. *ad finem.*

Signum petitum.

RESpondérunt Jeſu quidam de Scribis & Phariſǽis, dicéntes: Magíſter, vólumus à te ſignum vidére. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chrysóſtomi.

In Matt. Hom. 44.

POteritne quidquam, non dico ímpium magìs, ſed étiam ſtolídius iſtis inveníri, qui étiam poſt tot tántaque ſigna, quaſi nullum ſignum eſſet factum, dícere audent: Magíſter, vólumus à te ſignum vidére? Ubi nunc ſunt qui ſigna & mirácula curióſè inquírunt? Viri Ninivítæ ſurgent, & condemnábunt generatiónem hanc: nam abſque áliquo pénitùs ſigno, ánimo credidérunt. Et ſicut Ninivítæ *Judǽos condemnábunt*; ſic multi qui nunc nobis inferióres vidéntur, nos condemnábunt. Véniat ergo in mentem quanta erit illa condemnátio, ut incipiámus aliquándo ad verã accédere pœniténtiæ jánuam. Mihi hæc ipſi dico; meípſum primò exhórtor. Capiámus iter angúſtum. Uſquequò deliciábimur? úſquequò degémus otióſè, ridéntes & oſcitántes? Non ſumus adhuc ſatiáti desídiâ & procraſtinatióne? Eadémne ſemper erunt? éadem menſa, éadem ſatúritas, idẽ ſumptus, eǽdem pecúniæ poſſeſſiónes, conſtructiónes ǽdium? Et horum ómnium quis finis? mors: quis, inquam, términus? cinis, ſepúlcrum, vermes. Aliam ergo vivámus vitam, faciámus de terra cœlum, melióra capeſsámus: ut rectè vivéndo, futúra bona conſequámur.

℟. *iij.* Credidérunt viri Ninivítæ in Deum: * Et prædicavérunt jejúnium, & veſtíti ſunt ſaccis à majóri uſque ad minórem. *Jon.* 3. 5. ℣. Viri Ninivítæ ſurgent in judício cum generatióne iſta, & condemnábunt eam: quia pœniténtiam egérunt in prædicatióne Jonæ. *Matt.* 12. 41. * Et prædicavérunt. Glória. * Et prædicavérunt.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. f. Regina Saba, audítâ famâ Salomónis in nómine Dómini, venit tentáre eum in ænigmátibus. 3. *Reg.* 10. 1.

Oratio.

COncéde nobis, miséricors Deus, ut quantò plebs tibi dicáta multifórmis grátiæ tuæ donis fovétur, tantò in bonis opéribus fervéntior exíſtat; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Regína Auſtri venit à fínibus terræ audíre ſapiéntiam Salomónis; & ecce pluſquàm Sálomon hîc. *Matt.* 12. 42.

Oratio.

FAmíliam tuam, quæſumus, Dómine, propitiátus illúſtra; ut tuis beneplácitis inhæréndo, cuncta quæ bona ſunt, mereátur accípere; Per Dóminum.

FERIA QUINTA.

De Libro Géneſis.

LECTIO I. *c.* 37. *v.* 2. *ad* 8.

JOſeph cùm sédecim eſſet annórum, paſcébat gregem cũ frátribus ſuis adhuc puer: & erat cum filiis Balæ & Zelphæ uxórum patris ſui: accuſavítque fratres ſuos apud patrem crímine péſſimo. Iſraël autem diligébat Joſeph ſuper omnes filios ſuos, eò quòd in ſenectúte genuíſſet eum: fecítque ei túnicam polýmitã. Vidéntes autem fratres ejus quòd à patre plus cunctis filiis amarétur, óderant eum, nec póterant ei quidquam pacíficè loqui. Accidit quoque ut viſum sómniũ referret frátribus ſuis, quæ cauſa majóris ódii ſeminárium fuit. Dixítque ad eos: Audíte sómniũ meum quod vidi: Putábam nos ligáre manípulos in agro: & quaſi conſúrgere manípulum meum, & ſtare, veſtróſque manípulos circumſtántes adoráre manípulum meum. Reſpondérunt fratres ejus: Nunquid rex noſter eris? aut ſubjiciémur ditióni tuæ? Hæc ergo cauſa ſomniórum atque ſermónum, invídiæ & ódii fómitem miniſtrávit.

℟. *j.* Non tardes, *p.* 123.

LECTIO II. *v.* 9. *ad* 14.

ALiud quoque vidit sómnium, quod narrans frátribus, ait: Vidi per sómnium, quaſi ſolem, & lunam, & ſtellas úndecim adoráre me. Quod cùm patri ſuo & frátribus retulíſſet, increpávit eum pater ſuus, & dixit: Quid ſibi vult hoc sómnium quod vidíſti? num ego, & mater tua, & fratres tui adorábimus te ſuper terram? Invidébant ei ígitur fratres ſui: pater verò rem tácitus conſiderábat. Cúmque fratres illíus in paſcéndis grégibus patris moraréntur in Sichem, dixit ad eum Iſraël: Fratres tui paſcunt oves in Síchimis: veni, mittam te ad eos. Quo reſpondénte, Præſtò ſum, ait ei: Vade, & vide ſi cuncta próſpera ſint erga fratres tuos & pécora: & renúntia mihi quid agátur. Miſſus de valle Hebron, venit in Sichem.

℟. *ij.* Státue, *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

LECTIO III. *c.*15.*v.*21.*ad*28.

Chananæa.

JEſus ſecéſſit in partes Tyri & Sidónis. Et ecce múlier Chananǽa. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chrysóſtomi.

Hom. de Chananæa. n. 4.

ECce múlier de finibus illis egréſſa rogábat eum, dicens: Dómine, fili David, miſerére meî. Evangeliſta fit múlier, ac Divinitátem Incarnationémque confitétur. Dómine, Dominatiónem; Fili David, Incarnatiónem dénotat. Miſerére meî: vide philoſóphicam ánimã; Miſerére meî: non hábeo conſciéntiã bonórum óperũ, non rectæ vitæ fidúciam; ad miſericórdiam confúgio, ubi nullum tribúnal, ubi ſinè exámine ſalus. Miſerére meî; ídeò veníſti, ídeò carnem aſſumpsíſti, ídeò factus es quod ego ſum. Egréſſa eſt advocáta filiæ: non affert ægram, ſed fidem affert. Deus eſt, & ómnia videt. Ille autem non reſpóndit ei verbum. Quare? quia verba non examinábat; ſed arcána mentis animadvertébat. Quid autem diſcípuli? Dimítte illam, quia clamat poſt nos. Sed tu extérnum audis clamórem, ego intérnum: magna eſt vox oris; ſed major mentis.

℟. *iij.* Erit noſtrî miſéricors Dóminus, * Si cuſtodiérimus & fecérimus ómnia præcépta ejus. *Deut.* 6. 25. ℣. Quidquid petiérimus, accipiémus ab eo. 1. *Joan.* 3. 22. * Si cuſtodiérimus. Glória. * Si cuſtodiérimus.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. Quis permánſit in mandátis ejus, & derelíctus eſt? aut quis invocávit eum, & deſpéxit illum? *Eccli.* 2. 12.

Oratio.

SUſcipe, quæſumus, Dómine, preces noſtras, & ad aures miſericórdiæ tuæ poſtulatiónes ſacrátæ tibi plebis admítte; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Reſpóndens Jeſus, ait mulíeri Chananǽæ: O múlier! magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. *Matt.* 15. 28.

Oratio.

ADéſto, Dómine, fidélibus tuis; & quibus ſupplicándi tríbuis miſerátus affectum, concéde benígnus conſolatiónis auxílium; Per Dóminum.

FERIA SEXTA
QUATUOR TEMPORUM.

De Libro Géneſis.

LECTIO I. *c.*37.*v.* 17. *ad*28.

PErréxit Joſeph poſt fratres ſuos, & invénit eos in Dóthaïn. Qui cùm vidíſſent eum procul, ántequàm accéderet ad eos, cogitavérunt illum occídere: & mútuò loquebántur: Ecce ſomniátor venit: veníte, occidámus eum, & mittámus in ciſtérnam véterem, dice-

múſque: Fera péſſima devorávit eum: & tunc apparébit quid illi proſint sómnia ſua. Aúdiens autem hoc Ruben, nitebátur liberáre eum de mánibus eórum, & dicébat: Non interficiátis ánimam ejus, nec effundátis sánguinem: ſed projícite eum in ciſtérnam hanc, quæ eſt in ſolitúdine, manúſque veſtras ſerváte innóxias: hoc autem dicébat, volens erípere eum de mánibus eórum, & réddere patri ſuo. Conféſtim ígitur ut pervénit ad fratres ſuos, nudavérunt eum túnicâ talári & polýmitâ: miſerúntque eum in ciſtérnam véterem, quæ non habébat aquam. Et ſedéntes ut comédarent panem, vidérunt Iſmaëlítas viatóres veníre de Gálaad, & camélos eórum portántes arómata, & resínam, & ſtacten, in Ægýptum. Dixit ergo Judas frátribus ſuis: Quid nobis prodeſt ſi occidérimus fratrem noſtrum, & celavérimus sánguinem ipsíus? Mélius eſt ut venúndetur Iſmaëlítis, & manus noſtræ non polluántur: frater enim & caro noſtra eſt. Acquievérunt fratres ſermónibus illíus: & prætereúntibus Madianítis negotiatóribus, extrahéntes eum de ciſtérna, vendidérunt eum Iſmaëlítis, vigínti argénteis: qui duxérunt eum in Ægýptum.

℟. *j.* Si pœniténtiam, *p.* 124.

Lectio II. *v.* 31. *ad finem.*

TUlérunt autem túnicam ejus, & in sánguine hœdi quem occíderant, tinxérunt, mitténtes qui ferrent ad patrem, & dícerent: Hanc invénimus: vide utrùm túnica filii tui ſit, an non. Quam cùm agnovíſſet pater, ait: Túnica filii mei eſt, fera péſſima comédit eum, béſtia devorávit Joſeph. Sciſcíſque véſtibus, indútus eſt cilício, lugens filium ſuum multo témpore. Congregátis autem cunctis líberis ejus ut lenírent dolórem patris, nóluit conſolatiónem accípere, ſed ait: Deſcéndam ad filium meum lugens in inférnum. Et illo perſeveránte in fletu, Madianítæ vendidérunt Joſeph in Ægýpto Putíphari Eunúcho Pharaónis, Magíſtro mílitum.

℟. *ij.* Quis, *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio III. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 15.

Probatica piſcina.

ERat dies feſtus Judæórum, & aſcéndit Jeſus Jerosólymam; eſt autem Jerosólymis Probática piſcína. Et réliqua.

Homília ſancti Cyrílli Alexandríni Epíſcopi.

Lib. 2. *Comm. in Joan. cap.* 5.

MAniféſtum arguméntum ſummæ Chriſti bonitátis, quòd útique laborántium preces non ex-

péctet, ſed petitiónem benignitáte ſuâ prævéniat. Occúrrit enim, ut vides, jacénti, & miſerátur ægrum, ántequàm ei súpplicet. Quòd autem intérrogat, utrùm velit infirmitáte liberári, non iſtud eſt ignorántis id quod ómnibus certè patébat, ſed ad veheméntius illíus rei ſtúdium excitántis, & ad flagitándam ſanitátem inſtigántis. Quòd autem intérrogat, utrùm velit re optátâ frui, émphaſim quamdam habet, quâ ſignificat ſe eam præbére poſſe, jámque ad id præſtándum parátum eſſe, ſolámque petitiónem ejus qui grátiam acceptúrus erat, præſtolári.

℞. *iij.* Sana me, Dómine, & ſanábor; * Salvum me fac, & ſalvus ero. *Jer.* 17. 14. ℣. Dómine, hóminem non hábeo. *Joan.* 5. 7. * Salvum. Glória. * Salvum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. f. Deprecátio paúperis ex ore uſque ad aures ejus pervéniet, & judícium feſtinátò advéniet illi. *Eccli.* 21. 6.

Oratio.

PRæténde, Dómine, fidélibus tuis déxteram cœléſtis auxílii; & qui peccatóres ad pœniténtiam próvocas, ipſis ſincérum converſiónis deſidérium inſpíra; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. c. Jeſus invénit eum qui ſanátus fúerat, in templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es, jam noli peccáre. *Joan.* 5. 14.

Oratio.

AUxiliáre, Dómine, quæréntibus miſericórdiam tuam; ut qui animárum ſuárum languóres humíliter confiténtur, te operánte, ad plenam rédeant ſanitátem; Per Dóminum.

SABBATO
QUATUOR TEMPORUM.

De Libro Géneſis.

LECTIO I. *c.* 39. *v.* 1. *ad* 10.

IGitur Joſeph ductus eſt in Ægýptum, emítque eum Pútiphar Eunúchus Pharaónis, Princeps exércitûs, vir Ægýptius, de manu Iſmaëlitárum à quibus perdúctus erat. Fuítque Dóminus cum eo, & erat vir in cunctis próſperè agens: habitavítque in domo dómini ſui, qui óptimè nóverat Dóminum eſſe cum eo, & ómnia quæ géreret, ab eo dírigi in manu illíus. Invenítque Joſeph grátiã coram dómino ſuo, & miniſtrábat ei, à quo præpóſitus ómnibus, gubernábat créditam ſibi domum, & univérſa quæ ei trádita fúerant. Benedixítque Dóminus dómui Ægýptii propter Joſeph, & multiplicávit, tam in ǽdibus, quàm in agris, cunctã ejus ſubſtántiam: nec quidquam áliud nóverat, niſi panem quo veſcebátur. Erat autem Joſeph pulchrâ fácie, & decórus aſpéctu. Poſt multos ítaque dies, injécit dómina

ſua óculos ſuos in Joſeph, & ait: Dormi mecum. Qui nequáquã acquiéſcens óperi nefário, dixit ad eam: Ecce dóminus meus, ómnibus mihi tráditis, ignórat quid hábeat in domo ſua: nec quidquam eſt quod non in mea ſit poteſtáte, vel non tradíderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es: quómodo ergo poſſum hoc malum fácere, & peccáre in Deum meũ? Hujuſcémodi verbis, per ſíngulos dies, & múlier moléſta erat adoleſcénti, & ille recusábat ſtuprum.

℟. *j.* Convertímini, *p.* 124.

LECTIO II. *v.* 11. *ad* 22.

ACcidit autem quâdam die, ut intráret Joſeph domum, & óperis quíppiam abſque árbitris fáceret: & illa apprehénsâ laciniâ veſtiménti ejus, díceret: Dormi mecum. Qui, relícto in manu ejus pállio, fugit, & egréſſus eſt foràs. Cúmque vidíſſet múlier veſtem in mánibus ſuis, & ſe eſſe contémptam, vocávit ad ſe hómines domûs ſuæ, & ait ad eos: En introdúxit virum Hebræum, ut illúderet nobis: ingréſſus eſt ad me, ut coíret mecum: cúmque ego ſucclamáſſem, & audíſſet vocem meam, relíquit pállium quod tenébam, & fugit foràs. In arguméntum ergo fidei retentum pállium oſténdit maríto reverténti domum, & ait: Ingréſſus eſt ad me ſervus Hebræus quem adduxiſti, ut illúderet mihi: cúmque audíſſet me clamáre, relíquit pállium quod tenébam, & fugit foràs. His audítis dóminus, & nímiũ crédulus verbis cónjugis, irátus eſt valde: tradidítque Joſeph in cárcerem, ubi vincti regis cuſtodiebántur, & erat ibi clauſus. Fuit autem Dóminus cum Joſeph, & misértus illíus, dedit ei grátiam in conſpéctu príncipis cárceris. Qui trádidit in manu illíus univérſos vinctos qui in cuſtódia tenebántur: & quidquid fiébat, ſub ipſo erat.

℟. *ij.* Fácite, *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 8. *v.* 31. *ad* 47.

Quinam veri Diſcipuli Chriſti.

DIcébat Jeſus ad eos qui credidérunt ei Judæos: Si vos manséritis in ſermóne meo, verè diſcípuli mei éritis. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 41. n. 4.

AMen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccátum ſervus eſt peccáti. O miſerábilis sérvitus! Plerúmque hómines cum dóminos malos patiúntur, venáles ſe petunt, non quæréntes dóminum non habére, ſed ſaltèm mutáre: ſervus peccáti quid fáciat? quem interpéllet? apud quẽ ſe venálem petat? Deínde ſervus hóminis aliquándo

ſui dómini duris impériis fatigátus, fugiéndo requiéſcit: ſervus peccáti quò fugit? ſecum ſe trahit quocúmque fúgerit. Non fugit ſeípſam mala conſciéntia; non eſt quò eat, ſéquitur ſe, imò nòn recédit à ſe: peccátum enim quod facit, intùs eſt. Fecit peccátum, ut áliquam corporálem cáperet voluptátem: volúptas tranſit, peccátum manet: prætériit quod delectábat, remánſit quod pungat.

℟. iij. Greſſus meos dírige, Dómine, ſecúndùm elóquium tuum; & * Non dominétur meî omnis injuſtítia. *Pſ.* 118. 133. ℣. Omnis qui facit peccátum, ſervus eſt peccáti. *Joan.* 8. 34. * Non. Glória. * Non.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. Dixit Jeſus: Ego ex Deo procéſſi & veni: neque enim à me ipſo veni; ſed ille me miſit. *Joan.* 8. 42.

Oratio.

PReces noſtras, quæſumus, Dómine, cleménter exaúdi; atque à peccatórum vínculis abſolútos, ab omni nos adverſitáte cuſtódi; Per Dóminum.

AD VESPERAS.

CAPITULUM. *Iſ.* 1. 17. 18.

QUærite judícium, ſubveníte oppréſſo, judicáte pupíllo, deféndite víduã; & veníte, & argúite me, dicit Dóminus; ſi fúerint peccáta veſtra ut cóccinum, quaſi nix dealbabúntur.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. J. Dixit Phárao ad Joſeph: Ecce conſtítui te ſuper univérſã terram Ægýpti. *Gen.* 41. 41.

Non dicuntur Preces.

Oratio.

DEus, qui Eccléſiam tuã ánnuâ Quadragéſimæ obſervatióne puríficas; præſta famíliæ tuæ, ut quod à te obtinére abſtinéndo nítitur, hoc bonis opéribus exequátur; Per Dóminum.

COMPLETORIUM, *ut ſuprà*, p. 134. *demptis Precibus.*

DOMINICA II. IN QUADRAGESIMA.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Veníte, * Revertámur ad Dóminum. *Oſee.* 6. 1.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus. En tempus acceptábile, *p.* 123.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4 *E.* Convertímini ad me, ait Dóminus exercítuum; & convértar ad vos. *Zach.* 1. 3.

Ant. 1. a. Revertátur unuſquíſque à via ſua mala. *Jer.* 18. 11.

Ant. 6. F. Vivo ego, dicit Dóminus: Nolo mortem ímpii, ſed ut convertátur ímpius à via ſua, & vivat. *Ezech.* 33. 11.

℣. Fílii hóminum, úſquequò gravi corde? ℟. Ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium? *Pſ.* 4. 3.

De Libro Géneſis.

LECTIO I. *c.* 41. *v.* 1. *ad* 15.

POſt duos annos vidit Phárao sómnium. Putábat ſe ſtare ſuper flúvium, de quo aſcendébant ſeptem boves pulchræ & craſſæ nimis: & paſcebántur in locis palúſtribus. Aliæ quoque ſeptem emergébant de flúmine fœdæ confectǽque mácie: & paſcebántur in ipſa amnis ripa in locis viréntibus: devoraverúntque eas quarum mira ſpécies & habitúdo córporum erat. Expergefáctus Phárao rursùm dormívit, & vidit álterum sómnium. Septem ſpicæ pullulábant in culmo uno plenæ atque formóſæ: áliæ quoque tótidem ſpicæ ténues & percúſſæ urédine oriebántur, devorántes omnem priórum pulchritúdinem. Evígilans Phárao poſt quiétem, & facto manè, pavóre pertérritus, miſit ad omnes conjectóres Ægýpti, cunctóſque ſapiéntes: & accersítis narrávit sómnium; nec erat qui interpretarétur. Tunc demùm reminíſcens pincernárum magíſter, ait: Confiteor peccátum meum. Irátus rex ſervis ſuis, me & magíſtrum piſtórum retrúdi juſſit in cárcerem príncipis mílitum, ubi unâ nocte utérque vídimus sómnium præſágum futurórum. Erat ibi puer Hebræus ejúſdem ducis mílitum fámulus: cui narrántes sómnia, audívimus quidquid póſteà rei probávit evéntus: ego enim rédditus ſum officio meo, & ille ſuſpénſus eſt in cruce. Prótinùs ad regis impérium edúctum de cárcere Joſeph totondérunt, ac veſte mutátâ, obtulérunt ei. Cui ille ait: Vidi sómnia, nec eſt qui edíſſerat: quæ audívi te ſapientíſſimè conjícere.

℟. *j.* Sapiéntia vénditum juſtum non derelíquit, ſed * A peccatóribus liberávit eum. *Sap.* 10. 13. ℣. Erat Deus cum eo, & erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. *Act.* 7. 9. 10. * A peccatóribus.

LECTIO II. *v.* 25. *ad* 32.

REſpóndit Joſeph: Sómnium regis unum eſt: quæ factúrus eſt Deus, oſténdit Pharaóni. Septem boves pulchræ & ſeptem ſpicæ plenæ, ſeptem ubertátis anni ſunt: eamdémque vim sómnii comprehéndunt. Septem quoque boves ténues atque maciléntæ quæ aſcendérunt poſt eas, & ſeptem ſpicæ ténues & vento urénte percúſſæ, ſeptem anni ventúræ ſunt famis, qui hoc órdine complebúntur. Ecce ſeptem anni vénient fertilitátis magnæ in univérſa terra Ægýpti: quos ſequéntur ſeptem anni álii tantæ ſterilitátis, ut oblivióni tradátur cuncta retrò abundántia: conſumptúra eſt enim fames omnem terram, & ubertátis magnitúdinem perditúra eſt inópiæ magnitúdo. Quod autem

vidíſti ſecúndò ad eámdem rem pértinens sómnium, firmitátis indícium eſt, eò quòd fiat ſermo Dei, & velóciùs impleátur.

℟. *ij.* Eſuriénte terrâ Ægýpti, * Clamávit pópulus ad Pharaónem aliménta petens: quibus ille reſpóndit: Ite ad Joſeph. *Gen.* 41. 55. ℣. Venit fames in univérſam Ægýptum. *Act.* 7. 11. * Clamávit.

Lectio III. *v.* 33. *ad* 43.

Nunc ergo provídeat rex virum ſapiéntem & indúſtrium, & præfíciat eum terræ Ægýpti: qui conſtítuat præpóſitos per cunctas regiónes: & quintam partem frúctuum, per ſeptem annos fertilitátis qui jam nunc futúri ſunt, cóngreget in hórrea: & omne fruméntum ſub Pharaónis poteſtáte condátur, ſervetúrque in úrbibus. Et præparétur futúræ ſeptem annórum fami, quæ oppreſsúra eſt Ægýptum, & non conſumétur terra inópiâ. Plácuit Pharáoni consílium & cunctis miníſtris ejus: locutúſque eſt ad eos: Num inveníre potérimus talem virum, qui Spíritu Dei plenus ſit? Dixit ergo ad Joſeph: Quia oſténdit tibi Deus ómnia quæ locútus es, nunquid ſapientiórem & consímilem tuî inveníre pótero? Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet: uno tantùm regni sólio te præcédam. Dixítque rursùs Phárao ad Joſeph: Ecce conſtitui te ſuper univérſam terram Ægýpti. Tulítque ánnulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus: veſtivítque eum ſtolâ býſſinâ, & collo torquem aúream circumpóſuit. Fecítque eum aſcéndere ſuper currum ſuum ſecúndum, clamánte præcóne, ut omnes coram eo genu flécterent, & præpóſitum eſſe ſcirent univérſæ terræ Ægýpti.

℟. *iij.* Locútus eſt Joſeph frátribus ſuis: * Poſt mortem meam, Deus viſitábit vos, & aſcéndere vos fáciet de terra iſta ad terram quam jurávit Abraham, Iſaac, & Jacob. *Gen.* 50. 23. ℣. Fide Joſeph móriens, de profectióne filiórum Iſraël memorátus eſt. *Hebr.* 11. 22. * Poſt. Glória. * Poſt.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Derelinquat ímpius viam ſuam, & vir iníquus cogitatiónes ſuas. *Iſ.* 55. 7.

Ant. 7. c. Revertátur ad Dóminum, & miſerébitur ejus; & ad Deum noſtrum, quóniam multus eſt ad ignoſcéndum. *Iſ.* 55. 7.

Ant. 5. a. Pius & miséricors eſt Deus, & remíttet in die tribulatiónis peccáta. *Eccli.* 2. 13.

℣. Dóminus Deus loquétur pacem in plebem ſuam, ℟. Et ſuper ſanctos ſuos,

& in eos qui convertúntur ad cor. *Pſ.* 84. 9.

De Libro Eccleſiáſtici.

LECTIO IV. *c.* 17. *v.* 18. *ad* 24.

ELeemóſyna viri, quaſi ſignáculum cum ipſo; & grátiam hóminis quaſi upíllam conſervábit: & póſteà resúrget, & retríbuet illis retributiónem, unicuíque in caput ipsórum, & convértet in interióres partes terræ. Pœniténtibus autem dedit viam juſtítiæ, & confirmávit deficiéntes ſuſtinére, & deſtinávit illis ſortem veritátis. Convértere ad Dóminum, & relínque peccáta tua: precáre ante fáciem Dómini, & mínue offendícula. Revértere ad Dóminum, & avértere ab injuſtítia tua, & nimis odíto execratiónem: & cognóſce juſtítias & judícia Dei; & ſta in ſorte propoſitiónis & oratiónis altíſſimi Dei.

℟. *iv.* Quǽrite Dóminum, dum inveníri poteſt; * Invocáte eum, dum propè eſt. *Iſ.* 55. 6. ℣. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, & in die ſalútis adjúvi te. 2. *Cor.* 6. 2. * Invocáte.

LECTIO V. *v.* 25. *ad finem.*

IN partes vade séculi ſancti cum vivis & dántibus confeſſiónem Deo. Non demoréris in erróre impiórum; ante mortem confitére. A mórtuo quaſi nihil perit conféſſio. Confitéberis vivens, vivus & ſanus confitéberis, & laudábis Deum, & gloriáberis in miſeratiónibus illíus. Quàm magna miſericórdia Dómini, & propitiátio illíus, converténtibus ad ſe! Nec enim ómnia poſſunt eſſe in homínibus, quóniam non eſt immortális fílius hóminis, & in vanitáte malítiæ placuérunt. Quid lucídius ſole? & hic defíciet. Aut quid néquius quàm quod excogitávit caro & ſanguis? & hoc arguétur. Virtútem altitúdinis cœli ipſe cónſpicit: & omnes hómines terra & cinis.

℟. *v.* Quia pátiens Dóminus eſt, in hoc ipſo pœniteámus; * Et indulgéntiam ejus, fuſis lácrymis, poſtulémus. *Judith.* 8. 14. ℣. In ómnibus exhibeámus noſmetípſos ſicut Dei miníſtros. 2. *Cor.* 6. 4. * Et indulgéntiam.

LECTIO VI. *c.* 18. *v.* 19. *ad* 25.

ANte judícium para juſtítiam tibi; &ántequàm loquáris, diſce. Ante languórem ádhibe medicínam; & ante judícium intérroga teípſum, & in conſpéctu Dei invénies propitiatiónem. Ante languórem humília te; & in témpore infirmitátis oſténde converſatiónem tuam. Non impediáris oráre ſemper, & ne vereáris uſque ad mortem juſtificári: quóniam merces Dei manet in ætérnū. Ante

oratiónem prǽpara ánimam tuam: & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum. Meménto iræ in die conſummatiónis, & tempus retributiónis in converſatióne faciéi. Meménto paupertátis in témpore abundántiæ, & neceſſitátum paupertátis in die divitiárum.

℟. *vj*. Qui abſcóndit ſcélera ſua, non dirigétur; * Qui autem conféſſus fúerit, & relíquerit ea, miſericórdiâ conſequétur. *Prov*. 28. 13. ℣. Si confiteámur peccáta noſtra, fidélis eſt & juſtus Deus, ut remíttat nobis peccáta noſtra. 1. *Joan*. 1. 9. * Qui. Glória. * Qui.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. *a*. Mundémus nos ab omni inquinaménto carnis & ſpíritûs. 2. *Cor*. 7. 1.

Ant. 8. G. Non eſt abbreviáta manus Dómini, ut ſalváre néqueat: neque aggraváta eſt auris ejus, ut non exaúdiat. *Iſ*. 59. 1.

Ant. 1. *g*. Dóminus bonus propitiábitur cunctis, qui in toto corde requírunt Dóminum Deum patrum ſuórum. 2. *Par*. 30. 18. 19.

℣. Non repéllet Dóminus plebem ſuam; ℟. Et hæreditátem ſuam non derelínquet. *Pſ*. 93. 14.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. *in Cap*. *Jejun*. n. 2.

LECTIO VII.

Convertímini ad me in toto corde veſtro, ait Dóminus omnípotens. Fratres, ſi dixiſſet: Convertímini, nihil addens, eſſet nobis fórſitan líberum reſpondére: Factum eſt; jam áliud propóne mandátum. Nunc autem ſpirituális, ut aúdio, converſiónis nos ádmonet, quæ non una die perfícitur: útinam vel in omni vita quâ dégimus in hoc córpore, váleat conſummári! Corporális namque convérſio, ſi ſola fúerit, nulla erit. Forma síquidem converſiónis eſt iſta, non véritas, vácuam virtúte gerens ſpéciem pietátis. Miſer homo, qui totus pergens in ea quæ foris ſunt, & ignárus interiórum ſuórum, putans áliquid ſe eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſedúcit! Sicut aqua effúſus ſum, ait Pſalmíſta in persóna hóminis hujuſcémodi, & diſpérſa ſunt ómnia oſſa mea. Exteriórem quippe ſuperfíciem íntuens, ſalva ſibi ómnia ſuſpicátur, non séntiens vermen occúltum qui interióra corródit. Manet tonsúra, veſtis nécdum mutáta eſt, jejuniórum régula cuſtodítur, ſtatútis psállitur horis: ſed cor longè eſt à me, dicit Dóminus.

℟. *vij*. Dies propitiatiónis eſt, ut propitiétur vobis Dóminus Deus veſter; * Omnis ánima quæ afflícta non fúerit die hâc, períbit de pópulis ſuis. *Levit*. 23. 28. 29. ℣. Fácite ergo fructum dignum pœniténtiæ. *Matt*. 3. 8. * Omnis.

LECTIO VIII. n. 3.

ATténde ſolérter quid díligas, quid métuas, unde gaúdeas aut contriſtéris: & ſub hábitu religiónis ánimum ſeculárem, ſub pannis converſiónis invénies cor pervérſum. Totum enim cor in his quátuor affectiónibus eſt: & de his accipiéndum puto quod dícitur, ut in toto corde tuo convertáris ad Dóminum. Convertátur proínde amor tuus: ut nihil omnínò díligas, nisì ipſum, aut certè propter ipſum. Convertátur étiam ad ipſum timor tuus: quia pervérſus eſt timor omnis quo métuis áliquid præter eum, aut non propter eum. Sic & gaúdium tuum, & triſtítia tua æquè convertántur ad ipſum. Hoc autem ità fiet, ſi non nisì ſecúndùm eum, dóleas aut lætéris. Quid enim pervérſum magìs, quàm lætári cùm malè féceris, & in rebus péſſimis exultáre? Sed & ea quoque quæ ſecúndùm carnem eſt triſtítia, mortem operátur. Si pro tuo, ſive próximi peccáto doles, benè facis; & hæc triſtítia eſt ad ſalútem. Si gaúdeas ad múnera grátiæ, hoc gaúdium ſanctum eſt, & ſecúrum gaúdium in Spíritu ſancto.

℟. viij. Miſericórdiæ Dómini quia non ſumus conſúmpti: * Quia non defecérunt miſeratiónes ejus. *Thren.* 3. 22. ℣. Miſéricors Dóminus eſt & miſerátor. *Jac.* 5. 11. * Quia.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

LECTIO IX. *c.* 17. *v.* 1. *ad* 9.

Transfiguratio Domini.

ASsúmit Jeſus Petrum, & Jacóbum, & Joánnem fratrem ejus, & ducit illos in montem excélſum ſeórsùm; & transfigurátus eſt ante eos. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbýteri.

In hunc locum inter Homil. æſtiv. de Sanctis.

QUia Dóminus ac Redémptor noſter eléctos ſuos, per hujus vitæ labóres, ad illam, quæ labórem neſcit, vitam futúræ beatitúdinis introdúcere diſpóſuit, modò per Evangélium ſuum, ſudóres certáminum temporálium, modò æternórum deſcríbit palmam præmiórum: ut audítis vidélicet agónum neceſſitátibus, meminerint ſibi réquiem in hac vita nequáquam eſſe peténdam: audíta rursùm dulcédine futúræ retributiónis, léviùs ferant mala tranſeúntia, quæ bonis ſperáverint remunerànda perpétuis. Oſtensúrus glóriam ſuam diſcípulis, in montem eos ducit excélſum: ut dóceat omnes, qui hanc vidére desíderant, non in ínfimis jacére voluptátibus, non illécebris ſervíre carnálibus, non cupiditátibus adhæréſcere terré-

nis; ſed æternórum amóre, ad ſupérna ſemper érigi.

℟. *ix.* Immortálitas eſt in cognatióne Sapiéntiæ, & * In amicítia illíus deſectátio bona. *Sap.* 8. 17. 18. ℣. Petrus dixit ad Jeſum: Dómine, bonum eſt nos hîc eſſe. *Matt.* 17. 4. * In. Glória. *Reſumitur* ℟. Immortálitas.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Oculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum, ℟. Donec miſereátur noſtrî. *Pſ.* 122. 2.

Ant. 4. A. Dómine, fac propter nomen tuum; quóniam multæ ſunt averſiónes noſtræ: tibi peccávimus. *Jer.* 14. 7.

Ant. 7. b. Cognóvimus, Dómine, impietátes noſtras, iniquitátes patrum noſtrórum, quia peccávimus tibi. *Jer.* 14. 20.

Ant. 1. *g.* Tu Deus propítius, clemens, & miséricors, longánimis, & multæ miſeratiónis. *Eſdr.* 9. 27.

In Canticum, Peccávimus, *ſuprà*, p. 125.

Ant. 2. D. Parcis ómnibus; quóniam tua ſunt, Dómine, qui amas ánimas. *Sap.* 11. 27.

Ant. 8. c. Aufers iniquitátem, & ſcélera, atque peccáta, nullúſque apud te per ſe ínnocens eſt. *Exod.* 34. 7.

CAPITULUM. *Mal.* 3. 18.

CONvertímini, & vidébitis quid ſit inter juſtum & ímpium, & inter ſerviéntem Deo & non ſerviéntem ei.

Hymnus. Audi, benígne Cónditor, *ſuprà*, p. 125.

℣. Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam, Dómine; ℟. Quia in te ſperávi. *Pſ.* 142. 8.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. *g.* Non ſunt condignæ paſſiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. *Rom.* 8. 18.

Oratio.

DEus, qui per glorióſam Fílii tui Transfiguratiónem, cœléſtis beatitúdinis deſidérium córdibus noſtris inſpiráre voluíſti; præſta, ut terréna deſpiciéntes, quæ ſurſum ſunt, ſemper ſapiámus; Per eúmdem.

AD PRIMAM.

Ant. 3. *a.* Reſplénduit fácies Jeſu ſicut ſol; veſtiménta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix. *Matt.* 17. 2.

CAPITULUM. *Rom.* 8. 29.

QUos præſcívit Deus, & prædeſtinávit confórmes fíeri imáginis Fílii ſui, ut ſit ipſe Primogénitus in multis frátribus.

℟. *breve.* Chríſte, &c. *p.* 128. *demptis Precibus.*

AD TERTIAM.

Ant. 7. d. Ecce apparuérunt illis Móyſes & Elías cum Jeſu loquéntes. *Matt.* 17. 3.

CAPITULUM. *Hebr.* 3. 5. 6.

MOyſes quidem fidélis erat in tota domo ejus, tanquam fámulus, in teſtimónium

mónium eórum quæ dicénda erant; Chriſtus verò tanquam fílius in domo ſua.

℟. *breve.* Fílii hóminū * In régmine alárum tuárum ſperábunt. ℟. Fílii. ℣. Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ. * In. Glória. ℟. Fílii. *Pſ.* 35. 8. 9.

℣. Beátus, quem elegíſti & aſſumpsíſti, Dómine! ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Pſ.* 64. 5.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Ecce vox de nube, dicens: Hic eſt Fílius meus diléctus, in quo mihi benè complácui; ipſum audíte. *Matt.* 17. 5.

CAPITULUM. *Jer.* 7. 23.

AUdíte vocem meam, & ero vobis Deus, & vos éritis mihi pópulus: & ambuláte in omni via quam mandávi vobis, ut benè ſit vobis.

℟. *breve.* Audi, Iſraël, * Et teſtificábor tibi. ℟. Audi. ℣. Deus, Deus tuus ego ſum. * Et. Glória. ℟. Audi. *Pſ.* 49. 7.

℣. Propè timéntes eum, ℟. Salutáre ipsíus. *Pſ* 84. 10.

AD NONAM.

Ant. 1. f. Audiéntes diſcípuli, cecidérunt in fáciem ſuam, & timuérunt valde. *Matt.* 17. 6.

CAPITULUM. *Exod.* 20. 20.

NOlíte timére; ut enim probáret vos, venit Deus, & ut terror illíus eſſet in vobis, & non peccarétis.

℟. *breve.* Vox Dómini in virtúte; * Vox Dómini in magnificéntia. ℟. Vox. ℣. Vox Dómini confringéntis cedros. * Vox. Glória. ℟. Vox. *Pſ.* 28. 4. 5.

℣. Exaltáre ſuper cœlos, Deus; ℟. Et in omnem terram glória tua. *Pſ.* 56. 6.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Dominica præcedenti, p. 151.

CAPITULUM. 1. *Joan.* 3. 20. 21. 22.

SI reprehénderit nos cor noſtrum, major eſt Deus corde noſtro, & novit ómnia: caríſſimi, ſi cor noſtrū non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deū; & quidquid petiérimus, accipiémus ab eo.

Hymnus. Solémne nos jejúnii, *ſuprà*, p. 133.

℣. Si iniquitátes obſerváveris, Dómine, ℟. Dómine, quis ſuſtinébit? *Pſ.* 129. 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Præcépit diſcípulis Jeſus, dicens: Némini dixéritis viſiónem, donec Fílius hóminis à mórtuis resúrgat. *Matt.* 17. 9.

Oratio, Deus, qui, *ſuprà*, p. 168.

COMPLETORIUM, *ut ſuprà*, p. 134. *demptis Precibus.*

FERIA SECUNDA.

De Libro Géneſis.

LECTIO. I. *c.* 41. *v.* 47. *ad* 55.

VEnit fertílitas ſeptem annórum: & in manípulos redáctæ ſégetes, congregátæ ſunt in hórrea

Ægýpti. Omnis étiam frugum abundántia in ſíngulis úrbibus cóndita eſt. Tántaque fuit abundántia trítici, ut arénæ maris coæquarétur, & cópia menſúram excéderet. Nati ſunt autem Joſeph fílii duo, ántequàm veníret fames: quos péperit ei Aſeneth fília Putíphare ſacerdótis Heliopóleos. Vocavítque nomen primogéniti, Manáſſes, dicens: Oblivíſci me fecit Deus ómnium labórũ meórum, & domûs patris mei. Nomen quoque ſecúndi appellávit Ephraïm, dicens: Créſcere me fecit Deus in terra paupertátis meæ. Igitur tranſáctis ſeptem ubertátis annis qui fúerant in Ægýpto, cœpérunt veníre ſeptem anni inópiæ, quos prædíxerat Joſeph: & in univérſo orbe fames prævá-luit: in cuncta autem terra Ægýpti panis erat. Quâ eſuriénte, clamávit pópulus ad Pharaónem, aliménta petens. Quibus ille reſpóndit: Ite ad Joſeph: & quidquid ipſe vobis díxerit, fácite.

℟. *j.* Non tardes, *p.* 123.

LECTIO II. *c.* 42. *v.* 1. *ad* 6.

AUdiens autem Jacob quòd aliménta venderéntur in Ægýpto, dixit fíliis ſuis: Quare neglígitis? audívi quòd tríticum venumdétur in Ægýpto: deſcéndite, & émite nobis neceſſária, ut poſsímus vívere, & non conſumámur inópiâ. Deſcendéntes ígitur fratres Joſeph decem, ut émerent fruménta in Ægýpto, Bénjamin domi retento à Jacob, qui díxerat frátribus ejus: Ne fortè in itínere quidquam patiátur mali, ingréſſi ſunt terrã Ægýpti cum áliis qui pergébant ad eméndum. Erat autem fames in terra Chánaan. Et Joſeph erat Princeps in terra Ægýpti, atque ad ejus nutum fruménta pópulis vendebántur.

℟. *ij.* Státue, *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 8. *v.* 21. *ad* 29.

Judæorum impœnitentia.

DIxit Phariſǽis Jeſus: Ego vado, & quærétis me, & in peccáto veſtro moriémini. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 38. n. 6. 7.

TOta infelícitas Judæórum ipſa erat, non peccátum habére, ſed in peccátis mori. Hoc eſt quod debet fúgere omnis Chriſtiánus. Propter hoc ad baptíſmum cúrritur: propter hoc qui ægritúdine vel aliúnde periclitántur, ſibi desíderant ſubveníri: propter hoc étiam ſugens párvulus à matre piis mánibus ad Eccléſiam fertur, ne ſinè baptíſmo éxeat, & in peccáto quo natus eſt, moriátur. Infelicíſſima condítio, míſera ſors iſtórum,

qui de ore verídico audiérunt : In peccátis veſtris moriémini. Unde tamen hoc eis contíngat, expónit : ſi enim non credidéritis quia ego ſum, moriémini in peccátis veſtris. Réddita eſt ſpes deſperántibus, excitátio facta eſt dormiéntibus.

℟. *iij*. Invocábunt me, & non exaúdiam ; * Manè conſúrgent, & non invénient me ; eò quòd exóſam habúerint diſciplínam. *Prov*. 1. 28. 29. ℣. Sic erit generatióni huic péſſimæ. *Matt*. 12. 45. * Manè. Glória. * Manè.

Ad Benedíctus, *Ant*. 5. a. Spes ímpii tanquam lanúgo eſt, quæ à vento tóllitur, & tanquam ſpuma grácilis quæ à procélla diſpérgitur. *Sap*. 5. 15.

Oratio.

DEus, qui delinquéntes perire non páteris, ſed expéctas ut convertántur & vivant ; débitam, quǽſumus, peccátis noſtris ſuſpénde vindíctam ; & præſta propítius, ne diſſimulátio cúmulet ultiónem, ſed pótiùs per jejúnium emendátio proſit ad véniam ; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant*. 2. D. Dixit Jeſus : Cùm exaltavéritis Fílium hóminis, tunc cognoſcétis quia ego ſum. *Joan*. 8. 28.

Oratio.

ESto, nobis, Dómine, propítius ; & grátiæ tuæ auxíliis non déſeras, quos non ceſſas ad pœniténtiam provocáre ; Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

De Libro Géneſis.

LECTIO I. *c*. 42. *v*. 6. *ad* 16.

CUm adoráſſent Joſeph fratres ſui, & agnovíſſet eos, quaſi ad aliénos dúriùs loquebátur, intérrogans eos : Unde veníſtis ? Qui reſpondérunt : De terra Chánaan, ut emámus víctui neceſsária. Et tamen fratres ipſe cognóſcens, non eſt cógnitus ab eis. Recordatúſque ſomnióru͂ quæ aliquándo víderat, ait ad eos : Exploratóres eſtis : ut videátis infirmióra terræ, veníſtis. Qui dixérunt : Non eſt ità, dómine, ſed ſervi tui vénerunt ut émerent cibos. Omnes filii uníus viri ſumus : pacífici venímus, nec quidquam fámuli tui machinántur mali. Quibus ille reſpóndit : Aliter eſt, immuníta terræ hujus conſideráre veníſtis. At illi : Duódecim, ínquiunt, ſervi tui, fratres ſumus, filii viri uníus in terra Chánaan : mínimus cum patre noſtro eſt, álius non eſt ſuper. Hoc eſt, ait, quod locútus ſum : Exploratóres eſtis. Jam nunc experiméntum veſtrî cápiam. Per ſalútem Pharaónis, non egrediémini hinc, donec véniat frater veſter mínimus. Mittite ex vobis unum, & addúcat eu͂ : vos autem éritis in vínculis, donec probéntur quæ dixíſtis, utrùm vera, an falſa.

ſint: alióquin, per ſalútem Pharaónis, exploratóres eſtis.

℟. *j*. Si pœniténtiam, *p*. 124.

Lectio II. *v*. 17. *ad* 24.

TRádidit ergo illos cuſtódiæ, tribus diébus, Die autem tértio edúctis de cárcere ait: Fácite quæ dixi, & vivétis: Deum enim tímeo. Si pacífici eſtis, frater veſter unus ligétur in cárcere: vos autem abíte, & ferte fruménta quæ emíſtis, in domos veſtras, & fratrem veſtrum mínimum ad me addúcite, ut poſſim veſtros probáre ſermónes, & non moriámini. Fecérunt ut díxerat, & locúti ſunt ad ínvicem: Méritò hæc pátimur, quia peccávimus in fratrem noſtrum, vidéntes angúſtiam ánimæ illíus, dum deprecarétur nos, & non audívimus: idcírcò venit ſuper nos iſta tribulátio. E quibus unus Ruben, ait: Nunquid non dixi vobis: Nolíte peccáre in púerum: & non audíſtis me? En ſanguis ejus exquíritur. Neſciébant autem quòd intellígeret Joſeph: eò quòd per intérpretem loquerétur ad eos. Avertítque ſe parúmper, & flevit: & revérſus, locútus eſt ad eos.

℟. *ij*. Quis póterit, *p*. 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio III. *c*. 23. *v*. 1. *ad* 12.

Moyſi cathedra.

JEſus locútus eſt ad turbas, & ad diſcípulos *ſuos, dicens*: Super cáthedram Móyſi ſedérunt Scribæ & Phariſæi. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbýteri.

In Cap. 23. *Matt. Lib*. 4.

QUid manſuétius, quid benígnius Dómino? Tentátur à Phariſæis; & nihilóminùs propter ſacerdótii & nóminis dignitátem, hortátur pópulos ut ſubjiciántur eis, non ópera, ſed doctrínam conſiderántes. Alligant enim ónera grávia & importabília, & impónunt ea in húmeros hóminum; dígito autem ſuo nolunt ea movére. Hoc generáliter advérsùs omnes magíſtros dictum eſt, qui grávia jubent, & minóra non fáciunt. Omnia verò ópera ſua fáciunt, ut videántur ab homínibus. Quicúmque ígitur ità facit quódlibet, ut videátur ab homínibus, Scriba eſt & Phariſæus. Væ nobis míſeris, ad quos Phariſæórum vítia tranſiérunt.

℟. *iij*. Pópulum meum docébunt quid ſit inter ſanctum & pollútum, & inter mundum & immúndum oſténdent eis: * Et cùm fúerit controvérſia, ſtábunt in judíciis meis, & judicábunt. *Ezech*. 44. 23. 24. ℣. Ipſi pervígilant quaſi rationē pro animábus veſtris redditúri. *Hebr*. 13. 17. * Et cùm. Glória. * Et cùm.

Ad Benedíctus, *Ant*. 4. E. Legem requírent ex ore ſacerdótis, quia Angelus Dó.

mini exercítuum eſt. *Malach.* 2. 7.

Oratio.

DEus, qui Eccléſiæ tuæ miníſtros ſic ipſe commendáſti, ut qui eos ſpernit, te ſpernat, qui eos audit, te aúdiat; præſta ut vidéntes miniſtérium quod accepérunt, ſeſe populórum veneratióne dignos ſemper exhíbeant; Qui vivis & regnas.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Qui ſe exaltáverit, humiliábitur; & qui ſe humiliáverit, exaltábitur. *Matt.* 23. 12.

Oratio.

DEus, cui omnis famulátur dígnitas; da Eccléſiæ tuæ miníſtris, ut ſicut súbditos ſibi pópulos honóre Ordinis súperant, ità morum virtúte tranſcéndant; Qui vivis & regnas.

FERIA QUARTA.

De Libro Géneſis.

LECTIO I. *c.* 43. *v.* 1. *ad* 5.

FAmes ómnem terram veheménter premébat. Conſumptíſque cibis quos ex Ægýpto detúlerant, dixit Jacob ad fílios ſuos: Revertímini, & émite nobis pauxíllùm eſcárum. Reſpóndit Judas: Denuntiávit nobis vir ille ſub atteſtatióne jurisjurándi, dicens: Non vidébitis fáciem meam, niſi fratrem veſtrum mínimum adduxéritis vobíſcum. Si ergo vis eum míttere nobíſcum, pergémus páriter, & emémus tibi neceſſária: ſin autem non vis, non íbimus: vir enim, ut ſæpè díximus, denuntiávit nobis, dicens: Non vidébitis fáciem meam abſque fratre veſtro mínimo.

℟. *j.* Convertímini, *p.* 124.

LECTIO II. *v.* 15. *ad* 23.

TUlérunt ergo viri múnera, & pecúniam dúplicem, & Bénjamin: deſcenderúntque in Ægýptum, & ſtetérunt coram Joſeph. Quos cùm ille vidíſſet, & Bénjamin ſimul, præcépit diſpenſatóri domûs ſuæ, dicens: Intróduc viros domum, & occíde víctimas, & ínſtrue convívium, quóniam mecum ſunt comeſtúri merídiè. Fecit ille quod ſibi fúerat imperátum, & introdúxit viros domum. Ibíque extérriti, dixérunt mútuò: Propter pecúniam, quam retúlimus priùs in ſaccis noſtris, introdúcti ſumus: ut devólvat in nos calúmniam, & violénter ſubjíciat ſervitúti, & nos, & áſinos noſtros. Quamóbrem in ipſis fóribus accedéntes ad diſpenſatórem domûs locúti ſunt: Orámus, dómine, ut aúdias nos. Jam antè deſcéndimus ut emerémus eſcas: quibus emptis, cùm veniſſémus ad diverſórium, aperúimus ſaccos noſtros, & invénimus pecúniam in ore ſaccórum: quam nunc eódem póndere reportávimus. Sed & áliud

attúlimus argéntum, ut emámus quæ nobis neceſſária ſunt: non eſt in noſtra conſciéntia quis poſúerit eam in marsúpiis noſtris. At ille reſpóndit: Pax vobíſcum, nolíte timére, Deus veſter, & Deus patris veſtri, dedit vobis thesaúros in ſaccis veſtris: nam pecúniam, quam dedíſtis mihi, probátam ego hábeo. Eduxítque ad eos Símeon.

℟. *ij*. Fácite, *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

LECTIO III. *c.* 20. *v.* 17. *ad* 28.

Petitio filiorum Zebedæi.

ASCéndens Jeſus Jeroſólymam, aſsúmpſit duódecim diſcípulos ſecrétò, & ait illis: Ecce aſcéndimus Jeroſólymam. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Pſalm. 126. n. 4. 5.

FIlii Zebedǽi ántequàm humiliaréntur, ſecúndùm paſsiónem Dómini, jam ſibi loca eligébant, ubi ſedérent, unus ad déxteram, alter ad ſiníſtram. Revocávit illos Dóminus ad humilitátem, cùm hoc audíret, & ait illis: Potéſtis bíbere cálicem quem ego bibitúrus ſum? Exaltári vultis ántequàm humiliémini: Dóminus ipſe veſter, qui eſt lux veſtra, humiliátus eſt, ut exaltarétur. Potéſtis bíbere, inquit, cálicem quem ego bibitúrus ſum? Et illi: Póſſumus. Et ille: Cálicem, inquit, meum bibétis: ſedére autem ad déxteram vel ad ſiníſtram meam, ait, non eſt meum dare vobis; áliis parátum eſt à Patre meo. Quid eſt, Non eſt meum dare vobis? Non eſt meum dare ſupérbis: hoc enim adhuc erant. Sed ſi vultis illud accípere, nolíte eſſe quod eſtis. Aliis parátum eſt; & vos álii eſtóte, & vobis parátum eſt. Quid eſt, Alii eſtóte? Priùs humiliámini, qui jam vultis exaltári. Intellexérunt ergo humilitátem profutúram ſibi, & corrécti ſunt. Ergo & nos hoc audiámus.

℟. *iij*. Cognóvit Dóminus ſubverſiónem illórum, quóniam nequàm eſt: * Ideò adimplévit propitiatiónem ſuam in illis. *Eccli.* 18. 10. 11. ℣. Jeſus dixit: Neſcítis quid petátis. *Matt.* 20. 22. * Ideò. Glória. * Ideò.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. a. Supérbum ſéquitur humílitas; & húmilem ſpíritu ſuſcípiet glória. *Prov.* 29. 23.

Oratio.

DEus, qui ſupérbis reſíſtis, & grátiam præſtas humílibus; concéde nobis veræ humilitátis virtútem, cujus in ſe formam fidélibus exhíbuit unigénitus Fílius tuus; Qui tecum.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Fílius hóminis non venit miniſtrári, ſed miniſtráre,

& dare ánimam ſuam redemptiónem pro multis. *Matt.* 20 28.

Oratio.

COncéde, quǽſumus, omnípotens Deus, ut qui de paradíſo per ſupérbiam ejécti ſumus, ad eúmdem per humilitátem redeámus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus.

FERIA QUINTA.

De Libro Géneſis.

LECTIO. I. *c.* 43. *v.* 26. *ad* 33.

IGitur ingréſſus eſt Joſeph domum ſuam, obtulerúntque ei múnera fratres ejus, tenéntes in mánibus ſuis: & adoravérunt proni in terram. At ille, clementer reſalutátis eis, interrogávit eos, dicens: Salvus ne eſt pater veſter ſenex, de quo dixerátis mihi: Adhuc vivit? Qui reſpondérunt: Soſpes eſt ſervus tuus pater noſter, adhuc vivit. Et incurváti, adoravérunt eum. Attóllens autem Joſeph óculos, vidit Bénjamin fratrem ſuum uterínum, & ait: Iſte eſt frater veſter párvulus, de quo dixerátis mihi? Et rursùm: Deus, inquit, miſereátur tuî, fili mi. Feſtinavítque, quia commóta fúerant víſcera ejus ſuper fratre ſuo, & erumpébant lácrymæ: & introíens cubículum, flevit. Rursúmque lotâ fácie egréſſus, contínuit ſe, & ait: Pónite panes. Quibus appóſitis, ſeórsùm Joſeph, & ſeórsùm frátribus, Ægýptiis quoque qui veſcebántur ſimul ſeórsùm; (illícitum eſt enim Ægýptiis comédere cum Hebræis, & profánum putant hujuſcémodi convívium,) ſedérunt coram eo, primogénitus juxta primogénita ſua, & mínimus juxta ætátem ſuam. Et mirabántur nimis.

℟. *j.* Non tardes, *p.* 123.

LECTIO II. *c.* 44. *v.* 1. *ad* 13.

PRæcépit autem Joſeph diſpenſatóri domûs ſuæ, dicens: Imple ſaccos eórum fruménto, quantùm poſſunt cápere: & pone pecúniam ſingulórum in ſummitáte ſacci. Scyphum autem meũ argénteum, & prétium quod dedit trítici, pone in ore ſacci junióris. Factúmque eſt ità. Et orto manè, dimíſſi ſunt cum áſinis ſuis. Jámque urbem exíerant, & proceſſerant paúlulùm: tunc Joſeph accersíto diſpenſatóre domûs, Surge, inquit, & perſéquere viros: & apprehénſis dícito: Quare reddidíſtis malum pro bono? Scyphus quem furáti eſtis, ipſe eſt in quo bibit dóminus meus, & in quo augurári ſolet, péſſimam rem fecíſtis. Fecit ille ut júſſerat. Et apprehénſis per órdinem locútus eſt. Qui reſpondérunt: Quare ſic lóquitur dóminus noſter, ut ſervi tui tantùm flagítii comíſerint? Pecúniam quam invé-

nimus in ſummitáte ſaccórum, reportávimus ad te de terra Chánaan: & quómodo cónſequens eſt ut furáti ſimus de domo dómini tui aurum vel argéntum? Apud quemcúmque fúerit invéntum ſervórum tuórum quod quæris, moriátur, & nos érimus ſervi dómini noſtri. Qui dixit eis: Fiat juxta veſtram ſenténtiam: apud quemcúmque fúerit invéntum, ipſe ſit ſervus meus, vos autem éritis innóxii. Itaque feſtinátò deponéntes in terram ſaccos, aperuérunt ſínguli. Quos ſcrutátus, incípiens à majóre uſque ad mínimum, invénit ſcyphum in ſacco Bénjamin. At illi, ſciſſis véſtibus oneratíſque rursùm áſinis, revérſi ſunt in óppidum.

℟. *ij*. Státue, *p*. 124.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio III. *c*. 16. *v*. 19. *ad finem*.

Dives malus.

AIt Jeſus Phariſǽis: Homo quidam erat dives, qui induebátur púrpurâ & byſſo, & epulabátur quotídie ſplendídè. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 40. *in Evang*. n. 3.

DIves iſte non abſtulíſſe aliéna reprehénditur, ſed própria non dedíſſe. Nec dícitur: quia vi quémpiam oppréſſit, ſed quia in accéptis rebus ſe extulit. *Hinc ergo ſummóperè* colligéndum eſt, quâ pœnâ mulctándus ſit qui aliéna díripit, ſi inférni damnatióne percútitur qui própria non largítur. Nemo ergo ſecúrum ſe ǽſtimet, dicens: Ecce aliéna non rápio, ſed concéſſis lícitè rebus fruor: quia dives iſte non idcircò punítus eſt, quóniam aliéna ábſtulit, ſed quia accéptis rebus, ſemetípſum malè derelíquit. Hoc quoque fuit quod hunc inférno trádidit: quia in ſua felicitáte tímidus non fuit; quia accépta dona ad uſum arrogántiæ infléxit; quia víſcera pietátis ignorávit; quia peccáta ſua redímere, étiam cùm ſibi abundáret prétium, nóluit. Et ſunt nonnúlli qui cultum ſubtílium pretioſarúmque véſtium non putant eſſe peccátum. Quod ſi vidélicet culpa non eſſet, nequáquàm ſermo Dei tam vigilánter exprímeret quòd dives qui torquétur apud ínferos, byſſo & púrpurâ indútus fuíſſet.

℟. *iij*. Qui obtúrat aurem ſuam ad clamórem páuperis, & * Ipſe clamábit, & non exaudiétur. *Prov*. 21. 13. ℣. Dives élevans óculos ſuos, cùm eſſet in torméntis, vidit Abraham à longè, & Lázarum in ſinu ejus. *Luc*. 16. 23. * Ipſe. Glória. * Ipſe.

Ad Benedíctus, *Ant*. 7. d. Non próderunt divítiæ in die ultiónis; juſtítia autē liberábit à morte. Prov. 11. 4.

Oratio.

PRotéctor in te ſperántium, Deus, ſinè quo nihil eſt válidum, nihil ſanctum; multíplica ſuper nos miſericórdiam tuam: ut, te rectóre, te duce, ſic tranſeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. c. Dixit díviti Abraham: Fili, recordáre, quia recepíſti bona in vita tua, & Lázarus ſimíliter mala: nunc autem hic conſolátur, tu verò cruciáris. *Luc.* 16. 25.

Oratio.

PLebem tuam, Dómine, intériùs, exteriúſque reſtaúra; ut quam corpóreis non vis delectatiónibus impedíri, ſpirituáli fácias vigére propóſito; & ſic rebus fóveas tranſitóriis, ut tríbuas pótiùs inhærére perpétuis; Per Dóminum noſtrum.

FERIA SEXTA.

De Libro Géneſis.

LECTIO I. *c.* 45. *v.* 1. *ad* 10.

NOn ſe póterat ultrà cohibére Joſeph multis coram aſtántibus: unde præcépit ut egrederéntur cuncti foràs, & nullus interéſſet aliénus agnitióni mútuæ. Elevavítque vocem cum fletu, quam audiérunt Ægýptii, omníſque domus Pharaónis. Et dixit frátribus ſuis: Ego ſum Joſeph: adhuc pater meus vivit? Non póterant reſpondére fratres nímio terróre perterríti. Ad quos ille cleménter: Accédite, inquit, ad me. Et cùm acceſſíſſent propè. Ego ſum, ait, Joſeph, frater veſter, quem vendidíſtis in Ægýptum. Nolíte pavére, neque vobis durum eſſe videátur quòd vendidíſtis me in his regiónibus: pro ſalúte enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægýptum. Biénnium eſt enim quòd cœpit fames eſſe in terra: & adhuc quinque anni reſtant, quibus nec arári póterit, nec meti. Præmiſítque me Deus, ut reſervémini ſuper terram, & eſcas ad vivéndum habére poſſítis. Non veſtro consílio, ſed Dei voluntáte huc miſſus ſum: qui fecit me quaſi patrem Pharaónis, & dóminum univérſæ domûs ejus, ac príncipem in omni terra Ægýpti. Feſtináte, & aſcéndite ád patrem meum, & dicétis ei: Hæc mandat fílius tuus Joſeph: Deus fecit me dóminum univérſæ terræ Ægýpti: deſcénde ad me, ne moréris, & habitábis in terra Geſſen, eríſque juxta me tu, & filii tui, & filii filiórum tuórum, oves tuæ, & arménta tua, & univérſa quæ póſſides.

℟. *j.* Si pœniténtiam, *p.* 124.

LECTIO II. *c.* 45. *v.* 24. *ad fin.* & *c.* 46. *v.* 1. *ad* 6.

DImíſit ergo fratres ſuos, & proficiſcéntibus ait: Ne iraſcámini in via. Qui aſcendéntes ex Ægýpto, ve-

pérunt in terram Chánaan ad patrem ſuum Jacob. Et nuntiavérunt ei, dicéntes: Joſeph fílius tuus vivit, & ipſe dominátur in omni terra Ægýpti. Quo audíto Jacob, quaſi de gravi ſomno evígilans, tamen non credébat eis. Illi è contrà referébant omnem órdinem rei. Cúmque vidíſſet plauſtra & univérſa quæ míſerat, revíxit ſpíritus ejus, & ait: Súfficit mihi, ſi adhuc Joſeph fílius meus vivit. Vadam & vidébo illum ántequàm móriar. Proféctuſque Iſraël cum ómnibus quæ habébat, venit ad Púteum juraménti: & mactátis ibi víctimis Deo Patris ſui Iſaac, audívit eum per viſiónem noctis vocántē ſe, & dicéntem ſibi: Jacob, Jacob. Cui reſpóndit: Ecce adſum. Ait illi Deus: Ego ſum fortíſſimus Deus patris tui: noli timére, deſcénde in Ægýptum, quia in gentem magnam fáciam te ibi. Ego deſcéndam tecum illuc, & ego inde addúcam te reverténtem: Joſeph quoque ponet manus ſuas ſuper óculos tuos. Surréxit autem Jacob à Púteo juraménti: tulerúntque eum fílii cum párvulis & uxóribus ſuis, in plauſtris quæ míſerat Pharao ad portándum ſenem, & ómnia quæ poſséderat in terra Chánaan; venítque in Ægýptum cum omni sémine ſuo.

℟. *ij. Quis, p. 124.*

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

LECTIO III. *c.* 21. *v.* 33. *ad finem.*

Agricolæ homicidæ.

DIxit Jeſus Princípibus Sacerdótum, & ſenióribus pópuli: Parábolam audíte. Homo erat paterfamílias, qui plantávit víneam. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

In Matt. Cap. 21. *Hom.* 68.

MUlta ex hac parábola ænigmáticè denotávit. Nam & providéntiam Dei, à priſcis tempóribus illis, ſemper mirificè affuíſſe oſténdit: & nihil ab eo, quod ad ſalútem eórum pertinéret, derelíctum demónſtrat. Fílium quoque ſuum eis miſiſſe deſignat: & última ſupplícia crucis ac paſſiónis datúros præmonet. Illi autem, nec timóre multitúdinis omnínò caſtigabántur, nec à dictis ipſius juvabántur: ità pénitùs eos dominándi cupíditas, & inánis glóriæ, & præſéntium rerum cupído inváſerat. Nihil certè ità præcípitem agit hóminem, nihil ſic à futúris déjicit bonis, quemádmodum ſi quis cadúcis his rebus ánimum affigit. Nec quidquam áliud ádeò à præſéntibus jucúndè uti, & futúris pérfrui facit, quàm ſi illa iſtis prorsùs antepoſúeris.

℟. *iij.* Dixi: Ecce ego, * Ecce ego ad gentem quæ

non invocábat nomen meũ. *Iſ.* 65. 1. ℣. Auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti faciénti fructus ejus. *Matt.* 21. 43, * Ecce ego ad. Glória. * Ecce ego ad.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus eſt; quia provocavérunt eum fílii ſui & fíliæ. *Deut.* 32. 19.

Oratio.

DEus, qui ad te redeúntibus miſeréri pótiùs éligis quàm iráſci, da nobis dignè flere mala quæ fécimus; ut grátiæ tuæ múnere nunquam deſtituámur; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Dóminus víneæ malos malè perdet, & víneam ſuam locábit áliis agrícolis. *Matt.* 21. 41.

Oratio.

PRæſta nobis, Dómine, ut peccáta noſtra caſtigatióne voluntáriâ cohibéntes, temporáliter pótiùs macerémur, quàm ſuppliciis deputémur ætérnis; Per Dóminum.

SABBATO.

De Libro Géneſis.

LECTIO I. *c.* 46. *v.* 27. *ad finem.*

OMnes ánimæ domûs Jacob, quæ ingréſſæ ſunt in Ægýptum, fuére ſeptuagínta. Miſit autem Judam ante ſe ad Joſeph, ut nuntiáret ei, & occúrreret in Geſſen. Quò cùm perveníſſet, juncto Joſeph curru ſuo, aſcéndit óbviàm patri ſuo ad eúmdem locum: vidénſque eum, írruit ſuper collum ejus, & inter ampléxus, flevit. Dixítque pater ad Joſeph: Jam lætus móriar, quia vidi fáciem tuam, & ſupérſtitem te relínquo. At ille locútus eſt ad fratres ſuos, & ad omnem domum patris ſui: Aſcéndam, & nuntiábo Pharaóni, dicámque ei: Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terra Chánaan, venérunt ad me: & ſunt viri paſtóres óvium, curámque habent alendórum gregum: pécora ſua, & arménta, & ómnia quæ habére potuérunt, adduxérunt ſecum. Cúmque vocáverit vos, & díxerit: Quod eſt opus veſtrum? Reſpondébitis: Viri paſtóres ſumus ſervi tui, ab infántia noſtra uſque in præſens, & nos, & patres noſtri. Hæc autem dicétis, ut habitáre poſsítis in terra Geſſen; quia deteſtántur Ægýptii omnes paſtóres óvium.

℟. *j.* Convertímini, *p.* 124.

LECTIO II. *c.* 49. *v.* 28. *ad finem.*

BEnedíxit Jacob ſíngulis fíliis, benedictiónibus própriis. Et præcépit eis, dicens: Ego cóngregor ad pópulum meum: ſepelíte me cum pátribus meis in ſpelúnca dúplici quæ eſt in agro Ephron Hethǽi, contra Mambre in terra Chánaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethǽo in

poſſeſſiónem ſepúlcri: ibi ſepeliérunt eum, & Saram uxórem ejus: ibi ſepúltus eſt Iſaac cum Rebécca cónjuge ſua: ibi & Lia cóndita jacet. Finitíſque mandátis quibus filios inſtruébat, collégit pedes ſuos ſuper léctulum & óbiit, appoſitúſque eſt ad pópulum ſuum.

℟. *ij*. Fácite, *p*. 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio III. *c*. 15. *v*. 11. *ad finem*.

Filius prodigus.

AIt Jeſus ad Phariſǽos: Homo quidam hábuit duos filios; & dixit adoleſcéntior ex illis patri: Pater, da mihi portiónem ſubſtántiæ quæ me contíngit. Et réliqua.

Homília ſancti Petri Chrysólogi.

De duob. filiis, Serm. 3.

SI abſcéſſimus, ſi ſubſtántiam patris totam luxuriósè diſpérſimus nos, vivéndo: ſi quicquid uſquam commíſimus facinoris & delicti, ſi ad impietátis prærúptum totum, totam vénimus ad ruínam, ſurgámus aliquándo, & ad talem patrem, tali invitári redeámus exémplo. Cùm autem vidéret eum, misericórdiâ motus eſt, & accúrrit, & cécidit ſuper collum ejus, & oſculátus eſt illum. Rogo, quis hîc deſperatiónis locus? quæ hîc excuſatiónis occáſio? hîc ſimulátio quæ timóris? Niſi fortè timétur oc- cúrſus: terret óſculū: turbat ampléxus, & cápere ad vindíctam, non recípere ad véniam pater créditur, cùm filium trahit mánibus, claudit grémio, ligat lacértis. Sed hanc cogitatiónem debellatrícem vitæ, ſalútis inimícam expúgnant nimis, nimis aúferunt quæ ſequúntur. Dicit autem pater ad ſervos ſuos: Citò proférte ſtolam primam, & indúite illum, quia hic filius meus mórtuus fúerat, & revíxit; períerat, & invéntus eſt. His audítis adhuc morámur? adhuc non redímus ad patrem? Citò proférte ſtolam primam. Non dixit: Unde venis? Ubi fuíſti? Ubi ſunt quæ tulíſti? Quare tantam glóriam tantâ turpitúdine commutáſti? Sed: Citò proférte ſtolam primam, & indúite illum. Vidétis quia delícta non videt vis amóris. Tardam miſericórdiam pater neſcit.

℟. *iij*. Deus meus,* Confúndor, & erubéſco leváre fáciem meam ad te. 1. *Eſdr*. 9. 6. ℣. Pater, peccávi in cœlum & coram te; jam non ſum dignus vocári filius tuus. *Luc*. 15. 18. 19.* Confúndor. Glória.* Confúndor.

Ad Benedíctus, *Ant*. 2. D. Hic filius meus mórtuus erat, & revíxit; períerat, & invéntus eſt. *Luc*. 15. 24.

Oratio.

POpulum tuum, quǽſumus, Deus, ab ira tua ad te confugiéntem patérnâ

récipe pietáte; ut qui, tuæ majeſtátis flagélla formídant, de tua mereántur véniâ gratulári; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, &c.

AD VESPERAS.

CAPITULUM. *Jer.* 2. 19.

SCito, & vide, quia malum & amárum eſt, reliquíſſe te Dóminum Deum tuum, & non eſſe timórem meî apud te; dicit Dóminus Deus exercítuum.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Dixit Dóminus ad Móyſen: Sciens dolórem pópuli mei, deſcéndi ut liberem eum de mánibus Ægyptiórum. *Exod.* 3. 8.

Non dicuntur Preces.

Oratio.

DEus, qui Eccléſiam tuam ánnuâ Quadragéſimæ obſervatióne puríficas; præſta famíliæ tuæ, ut quod à te obtinére abſtinéndo nítitur, hoc bonis opéribus exequátur; Per Dóminum.

COMPLETORIUM, *ut ſuprà, p.* 134. *demptis Precibus.*

DOMINICA III.

IN QUADRAGESIMA.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Veníte, * Revertámur ad Dóminum. *Oſee.* 6. 1.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus. En tempus acceptábile, *p.* 123.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. *E*: Convertímini ad me, ait Dóminus exercítuum; & convértar ad vos. *Zach.* 1. 3.

Ant. 1. a. Revertátur unuſquíſque à via ſua mala. *Jer.* 18. 11.

Ant. 6. F. Vivo ego, dicit Dóminus: Nolo mortem ímpii, ſed ut convertátur ímpius à via ſua, & vivat. *Ezech.* 33. 11.

℣. Filii hóminum, úſquequò gravi corde? ℟. Ut quid diligitis vanitátem, & quæritis mendácium? *Pſ.* 4. 3.

Incipit Liber Exodi.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 7. *ad* 16.

FIlii Iſraël crevérunt, & quaſi germinántes multiplicáti ſunt, ac roboráti nimis, implevérunt terram. Surréxit interéà rex novus ſuper Ægýptum, qui ignorábat Joſeph: & ait ad pópulum ſuum: Ecce pópulus filiórum Iſraël multus, & fórtior nobis eſt. Veníte, ſapiénter opprimámus eum, ne fortè multiplicétur: & ſi ingrúerit contra nos bellum, addátur inimícis noſtris, expugnatíſque nobis, egrediátur de terra. Præpóſuit ítaque eis magíſtros óperum, ut affligerent eos onéribus: ædificaverúntque urbes tabernaculórum Pharaóni, Phithom & Raméſſes. Quantóque opprimébant eos, tantò magìs multiplicabántur & creſcébant:

oderántque filios Iſraël Ægýptii, & affligébant illudéntes eis, atque ad amaritúdinem perducébant vitam eórum opéribus duris luti & láteris, omníque famulátu, quo in terræ opéribus premebántur. Dixit autem rex Ægýpti obſtetrícibus Hebræórum, quarum una vocabátur Séphora, áltera Phua, præcípiens eis: Quando obſtetricábitis Hebrǽas, & partûs tempus advénerit, ſi máſculus fúerit, interfícite eum: ſi fémina, reſerváte.

℟. *j*. Poſtquàm créverat Móyſes, * Egréſſus eſt ad fratres ſuos, vidítque afflictiónem eórum. *Exod*. 2. 11. ℣. Magìs éligens affligi cum pópulo Dei, quàm temporális peccáti habére jucunditátem. *Hebr*. 11. 25.* Egréſſus.

Lectio II. *c*. 2. *v*. 1. *ad* 10.

EGréſſus eſt poſt hæc vir de domo Levi: & accépit uxórem ſtirpis ſuæ, quæ concépit, & péperit filium: & videns eum elegántem, abſcóndit tribus ménſibus. Cúmque jam celáre non poſſet, ſumpſit fiſcéllam ſcírpeam, & linívit eam bitúmine ac pice: poſuítque intùs infántulum, & expóſuit eum in caréćto ripæ flúminis, ſtánte procul ſoróre ejus, & conſideránte evéntum rei. Ecce autem deſcendébat filia Pharaónis, ut lavarétur in flúmine, & puéllæ ejus gradiebántur per crepídinem álvei. Quæ cùm vidíſſet fiſcéllam in papyrióne, miſit unam è famulábus ſuis: & allátam apériens, cernénſque in ea párvulum vagiéntem, miſérta ejus, ait: De infántibus Hebræórum eſt hic. Cui ſoror púeri: Vis, inquit, ut vadam, & vocem tibi mulíerē Hebrǽam, quæ nutríre poſſit infántulum? Reſpóndit: Vade. Perréxit puélla, & vocávit matrem ſuam. Ad quam locúta filia Pharaónis: Accipe, ait, púerum iſtum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercédem tuam. Suſcépit múlier, & nutrívit púerum: adultúmque trádidit filiæ Pharaónis. Quem illa adoptávit in locum filii, vocavítque nomen ejus Móyſes, dicens: Quia de aqua tuli eum.

℟. *ij*. Glorificávit illum Dóminus in conſpéćtu regum, & juſſit illi coram pópulo ſuo, * Et oſténdit illi glóriam ſuam. *Eccli*. 45. 3. ℣. Fide relíquit Ægýptum, non véritus animoſitátem regis: Invisíbilem enim tanquam videns ſuſtínuit. *Hebr*. 11. 27. * Et oſténdit.

Lectio III. *v*. 11. *ad* 15.

IN diébus illis, poſtquàm créverat Móyſes, egréſſus eſt ad fratres ſuos; vidítque afflictiónem eórum, & virum Ægýptium percutiéntem quemdam de He-

bræis frátribus ſuis. Cúmque circumſpexíſſet huc atque illuc, & nullum adéſſe vidíſſet, percúſſum Ægýptium abſcóndit ſábulo. Et egréſſus die áltero, conſpéxit duos Hebræos rixántes: dixítque ei qui faciébat injúriam: Quare pércutis próximum tuum? Qui reſpóndit: Quis te conſtítuit príncipem & júdicem ſuper nos? Num occídere me tu vis, ſicut herì occidíſti Ægýptium? Tímuit Móyſes, & ait: Quómodo palàm factū eſt verbum iſtud? Audivítque Phárao ſermónem hunc, & quærébat occídere Móyſen: qui fúgiens de conſpéctu ejus, morátus eſt in terra Mádian.

℟. *iij.* In fide & lenitáte ipsíus ſanctum fecit illum, * Et elégit eum ex omni carne. *Eccli.* 45. 4. ℣. Hunc Deus príncipem & redemptórem miſit. *Act.* 7. 35. * Et elégit. Glória. * Et elégit.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Derelínquat ímpius viam ſuam, & vir iníquus cogitatiónes ſuas. *Iſ.* 55. 7.

Ant. 7. c. Revertátur ad Dóminum, & miſerébitur ejus; & ad Deum noſtrum, quóniam multus eſt ad ignoſcéndum. *Iſ.* 55. 7.

Ant. 5. a. Pius & miséricors eſt Deus, & remíttet in die tribulatiónis peccáta. *Eccli.* 2. 13.

℣. Dóminus Deus loquétur pacem in plebem ſuam, ℟. Et ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui convertúntur ad cor. *Pſ.* 84. 9.

De Libro Eccleſiáſtici.

LECTIO IV. *c.* 45. *v.* 1. *ad* 6.

DIléctus Deo & homínibus Móyſes: cujus memória in benedictióne eſt. Símilem illum fecit in glória ſanctórum, & magnificávit eum in timóre inimicórum, & in verbis ſuis monſtra placávit. Glorificávit illum in conſpéctu regū, & juſſit illi coram pópulo ſuo, & oſténdit illi glóriam ſuam. In fide & lenitáte ipsíus ſanctum fecit illum, & elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum & vocem ipsíus, & indúxit illum in nubem. Et dedit illi coràm præcépta, & legem vitæ & diſciplínæ, docére Jacob teſtaméntum ſuum, & judícia ſua Iſraël.

℟. *iv.* Quærite Dóminum, dum inveníri poteſt; * Invocáte eum, dum propè eſt. *Iſ.* 55. 6. ℣. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, & in die ſalútis adjúvi te. 2. *Cor.* 6. 2. * Invocáte.

LECTIO V. *v.* 7. *ad* 16.

EXcélſum fecit Aaron fratrem ejus, & ſímilem ſibi de tribu Levi: ſtátuit ei teſtaméntum ætérnum, & dedit illi ſacerdótium gentis, & beatificávit illum in glória, & circumcínxit eum zonâ glóriæ, & índuit eum ſtolam glóriæ, & coronávit eum in vaſis virtútis.

Circúmpedes, & femorália, & humerále póſuit ei, & cinxit illum tintinnábulis aúreis plúrimis in gyro, dare sónitum in incéſſu ſuo, áudítum fácere sónitum in templo, in memóriam filiis gentis ſuæ. Stolam ſanctam auro, & hyacíntho, & púrpurâ, opus téxtile viri ſapiéntis, judício & veritáte prǽditi: torto cocco opus artíficis gemmis pretióſis figurátis in ligatúra auri, & ópere lapidárii ſculptis, in memóriam ſecúndùm númerum tríbuum Iſraël. Coróna aúrea ſuper mitrã ejus expréſſa ſigno ſanctitátis, & glóriâ honóris: opus virtútis, & deſidéria oculórum ornáta. Sic pulchra ante ipſum non fúerunt tália uſque ad originem. Non eſt indútus illa alienígena áliquis, ſed tantùm fílii ipſíus ſoli, & nepótes ejus per omne tempus.

℟. v. Quia pátiens Dóminus eſt, in hoc ipſo pœniteámus; * Et indulgéntiam ejus, fuſis lácrymis, poſtulémus. *Judith.* 8. 14. ℣. In ómnibus exhibeámus noſmetípſos ſicut Dei miníſtros. 2. *Cor.* 6. 4. * Et indulgéntiam.

Lectio VI. *v.* 19. *ad* 25.

FActum eſt illi in teſtaméntum ætérnum, & ſémini ejus, ſicut dies cœli, fungi ſacerdótio, & habére laudem, & glorificáre pópulum ſuũ in nómine ejus. *Ipſum* elégit ab omni vivénte, offérre ſacrifícium Deo, incénſum, & bonum odórem, in memóriam placáre pro pópulo ſuo: & dedit illi in præcéptis ſuis poteſtátem, in teſtaméntis judiciórum, docére Jacob teſtimónia, & in lege ſua lucem dare Iſraël. Quia contra illum ſtetérunt aliéni, & propter invídiam circumdedérunt illum hómines in deſérto, qui erant cum Dathan & Abíron, & congregátio Core in iracúndia, vidit Dóminus Deus, & non plácuit illi, & conſúmpti ſunt in ímpetu iracúndiæ. Fecit illis monſtra, & conſúmpſit illos in flamma ignis. Et áddidit Aaron glóriam, & dedit illi hæreditátem, & primítias frugum terræ divíſit illi.

℟. vj. Qui abſcóndit ſcélera ſua, non dirigétur;* Qui autem confeſſus fúerit, & relíquerit ea, miſericórdiam conſequétur. *Prov.* 28. 13. ℣. Si confiteámur peccáta noſtra, fidélis eſt & juſtus Deus, ut remíttat nobis peccáta noſtra. 1. *Joan.* 1. 9. * Qui. Glória. * Qui.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. *a.* Mundémus nos ab omni inquinaménto carnis & ſpíritûs. 2. *Cor.* 7. 1.

Ant. 8. G. Non eſt abbreviáta manus Dómini, ut ſalváre néquеat; neque aggraváta eſt auris ejus, ut non exaúdiat. *Iſ.* 59. 1.

Ant. 1. *g.* Dóminus bo-

nus propitiábitur cunctis, qui in toto corde requírunt Dóminum Deum patrum ſuórum. 2. *Par.* 30. 18. 19. ℣. Non repéllet Dóminus plebem ſuam, ℟. Et hæreditátem ſuam non derelínquet. *Pſ.* 93. 14.

Sermo ſancti Basílii Epíſcopi.

Homil. 2. *De Jejun.* n. 2.

LECTIO VII.

EST jejúnium omni témpore útile, iis qui lubénti ánimo illud ſuſcípiunt. Neque enim aſsúltus dæmonũ quidquam audet advérsùs jejunántem; ac vitæ noſtræ cuſtódes Angeli diligéntiùs adſunt iis qui jejúnio purgátam habent ánimam. Sed multò magìs hoc témpore, quo per univérſum terrárum orbem úndique denuntiátur jejúnii præcónium. Nec ulla eſt ínſula, nec ulla terra cóntinens, non cívitas, non gens ulla, non extrémus mundi ángulus, ubi non audiátur jejúnii edíctum. Quin & exércitus, & viatóres, & nautæ, & negotiatóres, omnes páriter aúdiunt edíctum, & ſummo gaúdio excípiunt. Ne quis ígitur sémet exclúdat à número jejunántium, in quo omne genus hóminum, omnis ætas, omnes dignitátum órdines recenséntur.

℟. *vij.* Dies propitiatiónis eſt, ut propitiétur vobis Dóminus Deus veſter; * Omnis ánima quæ afflícta non fúerit die hâc, períbit de pópulis ſuis. *Levit.* 23. 28. 29. ℣. Fácite ergo fructum dignum pœniténtiæ. *Matt.* 3. 8. * Omnis.

LECTIO VIII. n. 7. & 8.

UT laudem promereátur jejúnium, non eſt per ſe ſatis abſtinére à cibis, ſed jejúnium jejunémus acceptábile Deo gratum. Verum jejúnium eſt à vítiis aliénum eſſe, continéntia linguæ, iræ cohibítio, concupiſcentiárum amputátio, obtrectatiónis, mendácii, perjúrii. Ab his abſtinére verum eſt jejúnium. Cǽterùm delectémur in Dómino, in meditatióne eloquiórum Spíritûs, ínque ſuſcipiéndis ſalutáribus inſtitútis, dénique in cunctis dogmátibus, quibus emendántur ánimi noſtri.

℟. *viij.* Miſericórdiæ Dómini, quia non ſumus consúmpti: * Quia non defecérunt miſeratiónes ejus. *Thren.* 3. 22. ℣. Miséricors Dóminus eſt & miſerátor. *Jac.* 5. 11. * Quia.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

LECTIO IX. *c.* 11. *v.* 14. *ad* 18.

Dæmonium ejectum.

ERat Jeſus ejíciens dæmónium, & illud erat mutum. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbýteri.

In Luc. Lib. 4. *Cap.* 48.

DÆmoníacus iſte apud Matthǽum, non ſolùm mutus, ſed & cæcus fuiſſe

narrátur; curatúſque dícitur à Dómino, ità ut loquerétur & vidéret. Tria ergo ſigna in uno hómine ſimul perpetráta ſunt. Cœcus videt, mutus lóquitur, poſséſſus à dæmone liberátur. Quod & tunc quidem carnáliter factum eſt, ſed & quotídie complétur in converſióne credéntium, ut expúlſo primùm dæmone, fídei lumen aſpíciant, deínde ad laudes Dei, tacéntia priùs ora laxéntur.

℟. *ix.* Nunquid tollétur à forti præda? aut quod captum fúerit à robúſto, ſalvum eſſe póterit? * Quia hæc dicit Dóminus: Equidem & captívitas à forti tollétur. *Iſ.* 49. 24. 25. ℣. Si fórtior eo ſupervéniens vícerit eum, univérſa arma ejus aúferet. *Luc.* 11. 22. * Quia. Glória. *Reſumitur* ℟. Nunquid.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Oculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum, ℟. Donec miſereátur noſtrî. *Pſ.* 122. 2.

Ant. 8. *g.* Expectátio Iſraël, Dómine, omnes qui te derelínquunt, confundéntur. *Jer.* 17. 13.

Ant. 7. d. Poſt tempeſtátem tranquíllum facis, Dómine; & poſt lacrymatiónem & fletum, exultatiónem infúndis. *Tob.* 3. 22.

Ant. 6. F. Quid dicémus, Deus noſter, poſt hæc, *quia derelíquimus* mandáta tua quæ præcepíſti? 1. *Eſdr.* 9. 10. 11.

In Canticum, Peccávimus, *ſuprà*, *p.* 125.

Ant. 2. D. Exaúdies, Dómine, in loco habitáculi tui in cœlo; & cùm exaudíeris, propítius eris. 3. *Reg.* 8. 30.

Ant. 1. a. Nos ipſi peccávimus gráviter uſque ad diem hanc, & in iniquitátibus noſtris tráditi ſumus. 1. *Eſdr.* 9. 7.

CAPITULUM. *Ezech.* 33. 13.

ETiámſi díxero juſto quòd vitâ vivat, & confíſus in juſtítia ſua féceri iniquitátem, omnes juſtítiæ ejus oblivióni tradéntur, & in iniquitáte ſua quam operátus eſt, in ipſa moriétur.

Hymnus. Audi, benígne Cónditor, *ſuprà*, *p.* 125.

℣. Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam, Dómine; ℟. Quia in te ſperávi. *Pſ.* 142. 8.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. *g.* Nunquid voluntátis meæ eſt mors ímpii, dicit Dóminus Deus, & non, ut convertátur à viis ſuis, & vivat? *Ezech.* 18. 23.

Oratio.

DA, quæſumus, Dómine, pópulo tuo diabólica vitáre contágia, & te ſolum Deum purâ mente ſectári; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Stupébant omnes turbæ, & dicébant: Nunquid hic eſt fílius David? *Matt.* 12. 23.

CAPITULUM. *Eph.* 6. 10. 11.

FRatres, confortámini in Dómino, & in poténtia virtútis ejus: indúite vos armatúram Dei, ut poſsítis ſtare advérsùs inſídias diáboli.

℟. *breve.* Chriſte, &c. *p.* 128. *demptis Precibus.*

AD TERTIAM.

Ant. 4. E. Omne regnum in ſeípſum divíſum deſolábitur. *Luc.* 11. 17.

CAPITULUM. *Gal.* 5. 9. 10.

MOdicum ferméntum totam maſſam corrúmpit. Ego confido in vobis in Dómino, quòd nihil áliud ſapiétis: qui autem contúrbat vos, portábit júdícium, quicúmque eſt ille.

℟. *breve.* Pérfice, Dómine, greſſus meos * In ſémitis tuis. ℟. Pérfice. ℣. Ut non moveántur veſtígia mea. * In. Glória. ℟. Pérfice. *Pſ.* 16. 5.

℣. Deus meus, ſuſcéptor meus; ℟. Non movébor ámpliùs. *Pſ.* 61. 3.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non cólligit mecum, diſpérgit. *Luc.* 11. 23.

CAPITULUM. *Hebr.* 10. 35. 36.

NOlíte amíttere confidéntiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem: patiéntia enim vobis neceſsária eſt, ut voluntátem Dei faciéntes reportétis promiſſiónem.

℟. *breve.* Avérte, Dómine, óculos meos, * Ne vídeant vanitátem. ℟. Avérte. ℣. In via tua vivífica me. * Ne. Glória. ℟. Avérte. *Pſ.* 118. 37.

℣. Deduc me in sémitam mandatórum tuórum: ℟. Quia ipſam vólui. *Pſ.* 118. 35.

AD NONAM.

Ant. 1. f. Fiunt novíſſima hóminis illíus pejóra prióribus. *Luc.* 11. 26.

CAPITULUM. *Hebr.* 6. 7. 8.

TErra ſæpè veniéntem ſuper ſe bibens imbrem, & génerans herbam opportúnam illis à quibus cólitur, áccipit benedictiónem à Deo. Próferens autem ſpinas ac tríbulos, réproba eſt, & maledícto próxima.

℟. *breve.* Ecce, Dómine, qui elóngant ſe à te, * Períbunt. ℟. Ecce. ℣. Perdidíſti omnes qui fornicántus abs te. * Períbunt. Glória. ℟. Ecce. *Pſ.* 72. 27.

℣. Mihi adhærére Deo bonum eſt, ℟. Pónere in Dómino Deo ſpem meam. *Pſ.* 72. 28.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Dominica prima, p. 151.

CAPITULUM. 2. *Petr.* 2. 20.

SI refugiéntes coinquinatiónes mundi, in cognitióne Dómini noſtri & Salvatóris Jeſu Chriſti, his rursùs implicáti ſuperántur, facta ſunt eis poſterióra deterióra prióribus.

Hymnus. Solémne nos jejúnii, *ſuprà, p.* 133.

℣. Si iniquitátes obſervá-veris, Dómine, ℟. Dómine, quis ſuſtinébit? *Pſ.* 129. 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Extóllens vocem quædam múlier de turba dixit Jeſu: Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ ſuxíſti! *Luc.* 11. 27.

Oratio, Da, quǽſumus, *ſuprà, p.* 186.

COMPLETORIUM, *ut ſuprà, p.* 134. *demptis Precibus.*

FERIA SECUNDA.

De Libro Exodi.

LECTIO I. *c.* 3. *v.* 1. *ad* 6.

MOyſes paſcébat oves Jethro sóceri ſui ſacerdótis Mádian: cúmque mináſſet gregem ad interióra desérti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuítque ei Dóminus in flamma ignis de médio rubi: & vidébat quòd rubus ardéret, & non comburerétur. Dixit ergo Móyſes: Vadam, & vidébo viſiónem hanc magnam, quare non comburátur rubus. Cernens autem Dóminus quòd pérgeret ad vidéndum, vocávit eum de médio rubi, & ait: Móyſes, Móyſes. Qui reſpóndit: Adſum. At ille: Ne apprópies, inquit, huc: ſolve calceaméntum de pédibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Et ait: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Abſcóndit Móyſes fáciem ſuam: non enim audébat aſpícere contra Deum.

℟. *j.* Non tardes, *p.* 123.

LECTIO II. *v.* 7. *ad* 14.

CUi ait Dóminus: Vidi afflictiónem pópuli mei in Ægýpto, & clamórem ejus audívi propter durítiam eórum qui præſunt opéribus: & ſciens dolórem ejus, deſcéndi ut líberem eum de mánibus Ægyptiórum, & edúcam de terra illa in terram bonam & ſpatióſam, in terram quæ fluit lacte & melle, ad loca Chananǽi, & Hethǽi, & Amorrhǽi, & Pherezǽi, & Hevǽi, & Jebusǽi. Clamor ergo filiórum Iſraël venit ad me: vidíque afflictiónem eórum, quâ ab Ægýptiis opprimúntur. Sed veni, & mittam te ad Pharaónem, ut edúcas pópulum meum filios Iſraël de Ægýpto. Dixítque Móyſes ad Deum: Quis ſum ego, ut vadam ad Pharaónem, & edúcam filios Iſraël de Ægýpto? Qui dixit ei: Ego ero tecum: & hoc habébis ſignum quòd míſerim te: Cùm edúxeris pópulum meum de Ægýpto, immolábis Deo ſuper montem iſtum. Ait Móyſes ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Iſraël, & dicam eis: Deus patrum veſtrórum miſit me ad vos. Si díxerint mihi: Quod eſt nomen ejus? quid dicam eis? Dixit Deus

ad Móyſen : Ego ſum qui ſum. Ait : Sic dices filiis Iſraël : Qui eſt , miſit me ad vos.

℟. *ij.* Státue , *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

LECTIO III. *c.* 4. *v.* 23. *ad* 30.

Populi Nazareth invidia.

AIt Jeſus Phariſǽis: Utique dicétis mihi hanc ſimilitúdinem: Médice, cura teípſum. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 4. *in Evang. Luc.* n. 46. 47.

AMen dico vobis quòd nemo prophéta accéptus eſt in pátria ſua. Non mediócriter invídia próditur , quæ cívicæ caritátis oblíta , in acérba ódia cauſas amóris infléctit. Simul hoc exémplo páriter & oráculo declarátur , quòd fruſtrà opem miſericórdiæ cœléſtis expéctes, ſi aliénæ frúctibus virtútis invídeas. Aſpernátor enim Dóminus invidórum eſt ; & ab iis qui divína beneficia in áliis perſequúntur , mirácula ſuæ poteſtátis avértit. Non otióſè ítaque Salvátor excúſat , quòd nulla in pátria ſua mirácula virtútis operátus ſit. Quod enim majus miráculum, quàm quòd in ea natus eſt Chriſtus ? Vidéte ígitur quid mali invídia áfferat. Indígna propter invídiam pátria judicátur in qua civis operétur , quæ digna fuit in qua Dei Fílius naſcerétur.

℟. *iij.* Opéruit confúſio fáciem meam : * Extráneus factus ſum frátribus meis. *Pſ.* 68. 8. 9. ℣. Non eſt prophéta ſinè honóre , nisì in pátria ſua. *Marc.* 6. 4. * Extráneus. Glória. * Extráneus.

Ad Benedíctus , *Ant.* 1. f. Vita cárnium , ſánitas cordis ; putrédo óſſium , invídia. *Prov.* 14. 30.

Oratio.

PUríficet nos indulgéntia tua , Dómine ; & ab omni nos invídia , caritátis perféctæ donum cuſtódiat ; Per Dóminum.

Ad Magníficat , *Ant.* 7. d. Duxérunt Jeſum uſque ad ſupercílium montis ſuper quem cívitas illórum erat ædificáta , ut præcipitárent eum. *Luc.* 4. 29.

Oratio.

REſpice nos , Deus pacis , & tibi in ſincéra fratrum caritáte nos perpétuò ſervíre concéde ; Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

De Libro Exodi.

LECTIO I. *c.* 4. *v.* 10. *ad* 17.

AIt Móyſes : Obſecro , Dómine , non ſum éloquens ab heri & nudiuſtértiùs : & ex quo locútus es ad ſervum tuum , impeditióris & tardióris linguæ ſum. Dixit Dóminus ad eum : Quis fecit os hóminis ? aut quis fabricátus eſt mutum & ſurdum , vidéntem & cœ-

cum? Nónne ego? Perge ígitur, & ego ero in ore tuo, docebóque quid loquáris. At ille: Obſecro, inquit, Dómine, mitte quem miſsúrus es. Irátus Dóminus in Móyſen, ait: Aaron frater tuus Levítes, ſcio quòd éloquens ſit: ecce ipſe egréditur in occúrſum tuum, vidénſque te lætábitur corde. Lóquere ad eum, & pone verba mea in ore ejus: & ego ero in ore tuo & in ore illíus, & oſténdam vobis quid ágere debeátis. Ipſe loquétur pro te ad pópulum, & erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pértinent. Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua factúrus es ſigna.

℟. j. Si pœniténtiam, *p.* 124.

Lectio II. *v.* 21. *ad fin.*

Dixítque ei Dóminus reverténti in Ægýptum: Vide ut ómnia oſténta quæ póſui in manu tua, fácias coram Pharaóne: ego indurábo cor ejus, & non dimíttet pópulum. Dicéſque ad eum: Hæc dicit Dóminus: Fílius meus primogénitus Iſraël. Dixi tibi: Dimítte fílium meum, ut sérviat mihi, & noluíſti dimíttere eum: ecce ego interfíciam fílium tuum primogénitum. Cúmque eſſet in itínere, in diversório occúrrit ei Dóminus, & volébat occídere eum. Tulit íllicò Séphora acutíſſimam petram, & circumcídit præpútium fílii ſui, tetigítque pedes ejus, & ait: Sponſus ſánguinum tu mihi es. Et dimíſit eum poſtquàm díxerat: Sponſus ſánguinum, ob circumciſiónem. Dixit autem Dóminus ad Aaron: Vade in occúrſum Móyſi in desértum. Qui perréxit óbviàm ei in Montem Dei, & oſculátus eſt eum. Narravítque Móyſes Aaron ómnia verba Dómini quibus míſerat eum, & ſigna quæ mandáverat. Venerúntque ſimul, & congregavérunt cunctos ſenióres filiórũ Iſraël. Locutúſque eſt Aaron ómnia verba quæ díxerat Dóminus ad Móyſen: & fecit ſigna coram pópulo, & crédidit pópulus. Audierúntque quòd viſitáſſet Dóminus fílios Iſraël, & quòd reſpexíſſet afflictiónem illórum: & proni adoravérunt.

℟. ij. Quis, *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

Lectio III. *c.* 18. *v.* 15. *ad* 22.

Correptio fratrum.

Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Si peccáverit in te frater tuus, vade & córripe eum inter te & ipſum ſolum. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 82. n. 4.

Debémus amándo corrípere, non nocéndi aviditáte, ſed ſtúdio corrigéndi. Tales ſi fuérimus,

óptimè fácimus quod hódie admóniti ſumus. Si peccáverit in te frater tuus, córripe illum inter te & ipſum ſolum. Quare illum córripis? Quia tu doles, quòd peccáverit in te? Abſit. Si amóre tuî id facis, nihil facis. Si amóre illíus facis, óptimè facis. Dénique in ipſis verbis atténde, cujus amóre id fácere débeas, utrùm tuî, an illíus. Si te audíerit, inquit, lucrátus es fratrem tuum. Ergo propter illum fac, ut lucréris illum. Si faciéndo lucráris: nisì fecíſſes, períerat.

℟. *iij.* Quis eſt qui non delíquerit in lingua ſua? * Córripe próximum, ántequàm comminéris. *Eccli.* 19. 17. ℣. Si te audíerit, lucrátus eris fratrem tuum. *Matt.* 18. 15. * Córripe. Glória. * Córripe.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. Qui córripit hóminem, grátiam póſteà invéniet apud eum. *Prov.* 28. 23.

Oratio.

INténde, quæſumus, Dómine, preces noſtras; ut qui non operándo juſtítiam, correptiónem merémur, agnoſcéndo nos peccáſſe, & vitam noſtram emendándo, digni ſimus qui miſericórdiam à te conſequámur; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. c. Ubi ſunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi ſum in médio eórum. *Matt.* 18. 20.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, Dómine, ut qui aliórum ſtudémus converſióni, própriam ipſi priùs operémur; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

De Libro Exodi.

LECTIO I. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 9.

MOyſes & Aaron dixérunt Pharaóni: Hæc dicit Dóminus Deus Iſraël: Dimítte pópulum meum, ut ſacríficet mihi in desérto. At ille reſpóndit: Quis eſt Dóminus, ut aúdiam vocem ejus, & dimíttam Iſraël? Néſcio Dóminum, & Iſraël non dimíttam. Dixerúntque: Deus Hebræórum vocávit nos, ut eámus viam trium diérum in ſolitúdinem, & ſacrificémus Dómino Deo noſtro: ne fortè áccidat nobis peſtis, aut gládius. Ait ad eos rex Ægýpti: Quare, Móyſes & Aaron, ſollicitátis pópulum ab opéribus ſuis: Ite ad ónera veſtra. Dixítque Phárao: Multus eſt pópulus terræ: vidétis quòd turba ſuccréverit: quantò magìs ſi dedéritis eis réquiem ab opéribus? Præcépit ergo in die illo præféctis óperum & exactóribus pópuli, dicens: Nequáquam ultrà dábitis páleas pópulo ad conficiéndos láteres, ſicut priùs: ſed ipſi vadant, & cólligant ſtípulas: & menſúram láterum, quam priùs faciébant, im-

ponétis ſuper eos, nec minuétis quidquam: vacant enim, & idcircò vociferántur, dicéntes: Eámus, & ſacrificémus Deo noſtro. Opprimántur opéribus, & éxpleant ea: ut non acquiéſcant verbis mendácibus.

℟. *j.* Convertímini, *p.* 124.

Lectio II. *c.* 7. *v.* 19. *ad* 23.

DIxit Dóminus ad Móyſen: Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, & exténde manum tuam ſuper aquas Ægýpti, & ſuper flúvios eórum, & rivos ac palúdes, & omnes lacus aquárum, ut vertántur in ſánguinem, & ſit cruor in omni terra Ægýpti, tam in lígneis vaſis quàm in sáxeis. Fecerúntque Móyſes & Aaron ſicut præcéperat Dóminus: & élevans virgam, percúſſit aquam flúminis coram Pharaóne & ſervis ejus: quæ verſa eſt in ſánguinem. Et piſces qui erant in flúmine, mórtui ſunt: computruítque flúvius, & non póterant Ægýptii bíbere aquam flúminis, & fuit ſanguis in tota terra Ægýpti. Fecerúntque ſimíliter maléfici Ægyptiórum incantatiónibus ſuis: & indurátum eſt cor Pharaónis, nec audívit eos, ſicut præcéperat Dóminus. Avertítque ſe, & ingréſſus eſt domum ſuam, nec appóſuit cor étiam hâc vice.

℟. *ij.* *Fácite, p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio III. *c.* 15. *v.* 1. *ad* 20.

Phariſæorum traditiones.

ACceſſérunt ad Jeſum ab Jeroſólymis Scribæ & Phariſæi, dicéntes: Quare diſcípuli tui tranſgrediúntur traditiónem ſeniórum? Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 2. *Comm. in Matt. Cap.* 15.

MIra Phariſæórum Scribarúmque ſtultítia! Dei Fílium árguunt, quare hóminũ traditiónes & præcépta non ſervet. Non enim lavant manus ſuas, cùm panem mandúcant. Ipſe autem reſpóndens, ait illis: Quare & vos tranſgredímini mandátum Dei, propter traditiónem veſtram? Falſam calúmniam verâ reſponſióne confútat. Præcéperat enim Dóminus, vel imbecillitátes, vel ætátes, vel penúrias paréntum consíderans; ut fílii honorárent, étiam in vitæ neceſsáriis miniſtrándis, paréntes ſuos. Hanc providentiſſimã Dei legem voléntes Scribæ & Phariſæi ſubvértere, ut impietátem ſub nómine pietátis indúcerent, docuérunt péſſimos fílios, ut ſi quis ea quæ paréntibus offeréndа ſunt, Deo vovére volúerit, qui verus eſt pater, oblátio Dómini præponátur paréntum munéribus:

vel certè ipſi paréntes, quæ Deo conſecráta cernébant, ne ſacrilégii crimen incúrrerent, declinántes, egeſtáte conficiebántur. Atque ità fiébat, ut oblátio liberórum, ſub occaſióne templi Dei, in ſacerdótum lucra céderet.

℟. *iij*. Non addétis ad verbum quod vobis loquor, nec auferétis ex eo: * Cuſtodíte mandáta Dómini Dei veſtri, quæ ego præcípio vobis. *Deut*. 4. 2. ℣. Quicúmque totam legem ſerváverit, offéndat autem in uno, factus eſt ómnium reus. *Jac*. 2. 10. * Cuſtodíte. Glória. * Cuſtodíte.

Ad Benedíctus, *Ant*. 3. a. Qui timet Dóminum, honórat paréntes, & quaſi dóminis sérviet his qui ſe genuérunt. *Eccli*. 3. 8.

Oratio.

PErfice, quæſumus, Dómine, benígnus in nobis obſervántiæ ſanctæ ſubsídium; ut quæ, te autóre, faciénda cognóvimus, te operánte, impleámus; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant*. 8. G. De corde éxeunt cogitatiónes malæ, homicídia, adultéria, fornicatiónes, furta, falſa teſtimónia, blaſphémiæ. *Matt*. 15. 19.

Oratio.

ADéſto, quæſumus, omnípotens Deus; & in jejúnio corporáli, mentem noſtram opéribus tuórum réfice mandatórum; Per Dóminum.

FERIA QUINTA.

De Libro Exodi.

LECTIO I. *c*. 8. *v*. 1. *ad* 6.

DIxit Dóminus ad Móyſen: Ingrédere ad Pharaónem, & dices ad eum: Hæc dicit Dóminus: Dimítte pópulum meum, ut ſacríficet mihi. Sin autem nolúeris dimíttere, ecce ego percútiam omnes términos tuos ranis. Et ebúlliet flúvius ranas, quæ aſcéndent, & ingrediéntur domum tuã, & cubículum lécti tui, & ſuper ſtratum tuum, & in domos ſervórum tuórum, & in pópulum tuum, & in furnos tuos, & in relíquias cibórum tuórum, & ad te, & ad pópulum tuum, & ad omnes ſervos tuos intrábunt ranæ. Dixítque Dóminus ad Móyſen: Dic ad Aaron: Exténde manum tuam ſuper flúvios ac ſuper rivos & palúdes, & educ ranas ſuper terram Ægýpti. Et exténdit Aaron manum ſuper aquas Ægýpti: & aſcendérunt ranæ, operuerúntque terram Ægýpti.

℟. *j*. Non tardes, *p*. 123.

LECTIO II. *v*. 16. *ad* 19.

DIxítque Dóminus ad Móyſen: Lóquere ad Aaron: Exténde virgam tuam, & pércute púlverem terræ: & ſint ſcíniphes in univérſa terra Ægýpti. Fecerúntque ità. Et exténdit

Aaron manum, virgam tenens, percuſsítque púlverem terræ; & facti ſunt ſcíniphes in homínibus & in juméntis: omnis pulvis terræ verſus eſt in ſcíniphes per totam terram Ægypti. Fecerúntque ſimíliter maléfici incantatiónibus ſuis, ut edúcerent ſcíniphes, & non potuérunt: erántque ſcíniphes, tam in homínibus quã in juméntis. Et dixérunt maléfici ad Pharaónem: Dígitus Dei eſt hîc. Induratúmque eſt cor Pharaónis, & non audívit eos, ſicut præcéperat Dóminus.

℟. *ij*. Státue, *p*. 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Socrus Simonis.

Lectio III. *c*. 4. *v*. 38. *ad finem*.

SUrgens Jeſus de Synagóga, introívit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 4. *in Evang. Luc*. n. 63.

FOrtáſsìs in typo mulíeris illíus ſocrûs Simónis & Andréæ, váriis críminum fébribus caro noſtra languébat, & diverſárum cupiditátum immódicis æſtuábat illécebris. Nec minórem febrem amóris eſſe dixerim, quàm calóris. Itaque illa ánimum febris, hæc corpus inflámmat. Febris enim noſtra, avarítia eſt; febris *noſtra, libído* eſt; eò quòd ignítæ ſint cupiditátes; febris noſtra, luxúria eſt; febris noſtra, ambítio eſt; febris noſtra, iracúndia eſt, quæ, licèt córporis vítia ſint, ignem tamen óſſibus ímplicant, mentem, ánimum, ſenſúſque perténtant.

℟. *iij*. Neque herba, neque malágma ſanávit eos, ſed tuus, Dómine, ſermo, qui ſanat ómnia; * Tu es enim, Dómine, qui vitæ & mortis habes poteſtátem. *Sap*. 16. 12. 13. ℣. Omnes qui habébant infírmos váriis languóribus, ducébant illos ad Jeſum. *Luc*. 4. 40.* Tu es. Glória. * Tu es.

Ad Benedíctus, *Ant*. 1. D. Quid néquius quàm quod excogitávit caro & ſanguis? & hoc arguétur. *Eccli*. 17. 30.

Oratio.

DEus, qui in remédium animárum, jejúnii nobis medicínam indidíſti; te súpplices invocámus, ut tibi ſit acceptábile jejúnium noſtrum, & nos à cibis abſtinéntes, à peccatórum languóribus expédias; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant*. 7. G. Exíbant dæmónia à multis, clamántia & dicéntia: Quia tu es Fílius Dei. *Luc*. 4. 41.

Oratio.

DEus, qui peccatóres veníſti, non pérdere, ſed ſalváre; ínſpice gémitum pópuli ſupplicántis, & manus ad factúram tuam exténde, ut ad divína conſurgámus; Per Dóminum.

FERIA SEXTA.
De Libro Exodi.

LECTIO I. *c.* 8. *v.* 20. *ad* 24.

DIxit Dóminus ad Móyſen: Consúrge dilúculo, & ſta coram Pharaóne: egrediétur enim ad aquas, & dices ad eum: Hæc dicit Dóminus: Dimítte pópulum meum, ut ſacríficet mihi. Quòd ſi non dimíſeris eum, ecce ego immíttam in te, & in ſervos tuos, & in pópulum tuum, & in domos tuas, omne genus muſcárum: & implebúntur domus Ægyptiórum muſcis divérſi géneris, & univérſa terra in qua fúerint. Faciámque mirábilem in die illa terram Geſſen, in qua pópulus meus eſt, ut non ſint ibi muſcæ, & ſcias quóniam ego Dóminus in médio terræ. Ponámque diviſiónem inter pópulum meum & pópulum tuum: cras erit ſignum iſtud. Fecítque Dóminus ità: & venit muſca graviſſima in domos Pharaónis & ſervórum ejus, & in omnem terram Ægýpti, corrúptaque eſt terra ab hujuſcémodi muſcis.

℞. *j.* Si pœniténtiam, *p.* 124.

LECTIO II. *c.* 9. *v.* 1. *ad* 12.

DIxit autem Dóminus ad Móyſen: Ingrédere ad Pharaónem, & lóquere ad eum: Hæc dicit Dóminus Deus Hebræórum: Dimítte pópulum meum, ut ſacríficet mihi. Quòd ſi adhuc rénuis & rétines eos, ecce manus mea erit ſuper agros tuos, & ſuper equos, & áſinos, & camélos, & boves, & oves, peſtis valde gravis. Et fáciet Dóminus mirábile, inter poſſeſſiónes Iſraël & poſſeſſiónes Ægyptiórum, ut nihil omninò péreat ex his quæ pértinent ad filios Iſraël. Conſtituítque Dóminus tempus, dicens: Cras fáciet Dóminus verbum iſtud in terra. Fecit ergo Dóminus verbum hoc álterâ die: mortúaque ſunt ómnia animántia Ægyptiórum: de animálibus verò filiórum Iſraël nihil omninò périit. Et miſit Phárao ad vidéndum: nec erat quidquam mórtuum de his quæ poſſidébat Iſraël. Ingravatúmque eſt cor Pharaónis, & non dimíſit pópulum. Et dixit Dóminus ad Móyſen & Aaron: Tóllite plenas manus cíneris de camíno, & ſpargat illum Móyſes in cœlum coram Pharaóne. Sítque pulvis ſuper omnem terram Ægýpti, erunt enim in homínibus & juméntis úlcera, & veſícæ turgéntes, in univérſa terra Ægýpti. Tulerúntque cínerem de camíno, & ſtetérunt coram Pharaóne, & ſparſit illum Móyſes in cœlum: factáque ſunt úlcera veſicárum turgéntium in homínibus & juméntis: nec póterant malédici ſtare coram Móyſe, propter úlcera quæ

[i]n illis erant, & in omni [t]erra Ægýpti. Induravítque [D]óminus cor Pharaónis, & [n]on audívit eos, ſicut locú[t]us eſt Dóminus ad Móyſen.

℟. *ij*. Quis, *p*. 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

[L]ECTIO III. *c*. 4. *v*. 5. *ad* 42.

[C]hriſtus cum Samaritana.

VEnit Jeſus in civitátem Samaríæ, quæ dícitur [S]ichar, juxta prǽdium quod [d]edit Jacob Joſeph fílio ſuo. [E]t réliqua.

Homília ſancti Máximi Epíſcopi.

Prima de Eleemoſyna.

AQua miſericórdiæ comparátur; ſed aquam in[v]énio de fonte procédere: [n]ecéſſe mihi eſt miſericór[d]iæ fontem quǽrere. Ipſe [e]ſt fons qui in Evangélio à [S]amaritána mulíere aquam [p]óſtulat, & peccáta con[d]ónat: aquam pútei répro[b]at, ſed fontem vitæ pe[r]énnis indúlget. Ait enim: [O]mnis qui bíberit ex aqua [h]ac, sítiet íterùm: qui au[t]em bíberit ex aqua quam [e]go dabo illi, non sítiet in [a]etérnum. Aquam ergo Sal[v]átor à mulíere póſtulat, [&] ſitíre ſe símulat: ut ſi[t]iéntibus ætérnam grátiam [l]argiátur. Neque enim pó[t]erat fons ſitíre: neque in [q]uo eſt aqua viva, póterat [u]ndam terrénæ fæcis hau[r]íre. Sitiébat ergo Chriſtus: [ſ]itiébat planè, non potum [D]óminum, ſed ſalútem ſi[ti]ébat: non aquam mundi, ſed redemptiónem géneris humáni. Mirum ígitur in modum, ſuper púteum ſedens, miſericórdiæ ibídem fluénta prodúcit: & múlier quæ ad púteum Samaríæ méretrix advénerat, à Chriſti fonte caſta regréditur. Confitétur Chriſtum, annúntiat Salvatórem: & relínquens aquæ váſculum, ad civitátem non fert hýdriam, ſed refert grátiam.

℟. *iij*. Noli timére, ſerve meus Jacob & rectíſſime, quem elégi: * Effúndam enim aquas ſuper ſitiéntem, & fluénta ſuper áridam. *Iſ*. 44. 2. 3. ℣. Qui bíberit ex aqua quam ego dabo ei, non sítiet in ætérnum. *Joan*. 4. 13. * Effúndam. Glória. * Effúndam.

Ad Benedíctus, *Ant*. 1. f. Non habet amaritúdinem conversátio Sapiéntiæ, nec tǽdium convíctus illíus, ſed lætítiam & gaúdium. *Sap*. 8. 16.

Oratio.

EXaúdi nos, miséricors Deus; & méntibus noſtris grátiæ tuæ lumen oſténde; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant*. 2. D. Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in ſpíritu & veritáte. *Joan*. 4. 23.

Oratio.

SIt ſemper, Dómine, cibus noſter, tuam fácere voluntátẽ & perfícere opus tuum; ut quos in vitam ætérnam ſemináſti fructus ſi-

déliter meténtes, dignā cooperatiónis noſtræ mercédem accipiámus; Per Dóminum.

S A B B A T O.

De Libro Exodi.

LECTIO I. *c. 9. v. 22. ad 24. & c. 10. v. 12. ad 15.*

DIxit Dóminus ad Móyſen: Exténde manum tuam in cœlum, ut fiat grando in univérſa terra Ægýpti, ſuper hómines, & ſuper juménta, & ſuper omnem herbam agri in terra Ægýpti. Extendítque Móyſes virgam in cœlum: & Dóminus dedit tonítrua, & grándinem, ac diſcurréntia fúlgura ſuper terram: pluítque Dóminus grándinem ſuper terram Ægýpti. Et grando & ignis miſta páriter ferebántur: tantǽque fuit magnitúdinis, quanta antè nunquam appáruit in univérſa terra Ægypti, ex quo Gens illa cóndita eſt... Dixit autem Dóminus ad Móyſen: Exténde manum tuam ſuper terram Ægýpti ad locúſtam, ut aſcéndat ſuper eam, & dévoret omnem herbam quæ resídua fúerit grándini. Et exténdit Móyſes virgam ſuper terrā Ægýpti: & Dóminus indúxit ventum uréntem totâ die illâ & nocte: & manè facto, ventus urens levávit locúſtas. Quæ aſcendérunt ſuper univérſam terram Ægýpti: & ſedérunt in cunctis fínibus Ægyptiórum innumerábiles, quales ante illud tempus non fúerant, nec póſteà futúræ ſunt. Operuerúntque univérſam ſuperfíciem terræ, vaſtántes ómnia. Devoráta eſt ígitur herba terræ, & quidquid pomórum in arbóribus fuit, quæ grando dimíſerat: nihílque omnínò virens relíctum eſt, in lignis & in herbis terræ, in cuncta Ægýpto.

℟. *j.* Convertímini, *p.* 124.

LECTIO II. *c.* 10. *v.* 16. *ad* 23.

QUamóbrem feſtínus Phárao vocávit Móyſen & Aaron, & dixit eis: Peccávi in Dóminum Deum veſtrum, & in vos. Sed nunc dimítte peccátum mihi étiam hâc vice, & rogáte Dóminum Deum veſtrum, ut aúferat à me mortem iſtam. Egreſsúſque Móyſes de conſpéctu Pharaónis, orávit Dóminum. Qui flare fecit ventum ab Occidénte vehementíſſimum, & arréptam locúſtam projécit in mare rubrum: non remánſit ne una quidem in cunctis fínibus Ægýpti. Et indurávit Dóminus cor Pharaónis, nec dimíſit fílios Iſraël. Dixit autem Dóminus ad Móyſen: Exténde manum tuam in cœlum: & ſint ténebræ ſuper terram Ægýpti tam denſæ ut palpári queant. Extendítque Móyſes manum in cœlum: & factæ ſunt ténebræ horríbiles in univérſa terra Ægýpti, tribus diébus. Nemo vidit fratrem ſuum, nec movit ſe de loco in quo

erat: ubicúmque autem habitábant filii Iſraël, lux erat.

℟. *ij.* Fácite, *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 8. *v.* 1. *ad* 11.

Mulier adultera.

JEſus perréxit in montem Olivéti: & dilúculo íterùm venit in Templum. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Pſalm. 50. n. 8.

JUdǽi ad Dóminum adúlteram mulíerem adduxérunt. In adultério, ínquiunt, hæc múlier deprehénſa eſt: Móyſes hujúſmodi lapidári juſſit; tu de illa quid cenſes? tanquam bicípiti muſcípulâ tentántes cápere Sapiéntiam Dei, ut ſi jubéret occídi, pérderet manſuetúdinis famam; ſi autem jubéret dimítti, incúrreret, tanquam reprehénſor Legis, calúmniam. Quid ergo reſpóndit? Non ait: Occídite. Non ait: Dimíttite; ſed ait: Qui ſe ſcit ſinè peccáto eſſe, primus in illam lápidem jáciat. Juſta lex quæ jubet adúlteram occídi: ſed hæc lex juſta miníſtros hábeat innocéntes. Atténditis quam addúcitis, atténdite & qui eſtis. Illi, hoc audíto, unus poſt álterum diſceſſérunt. Remánſit adúltera & Dóminus: remánſit vulneráta & médicus: remánſit magna miséria & magna miſericórdia. Adducéntes erubuérunt, nec véniam petivérunt: addúcta confúſa eſt, & ſanáta.

℟. *iij.* Fornicáta es cum amatóribus multis: tamen * Revértere ad me, dicit Dóminus, & ego ſuſcípiam te. *Jer.* 3. 1. ℣. Múlier, nemo te condemnávit? quæ dixit: Nemo, Dómine. Dixit autem Jeſus: Nec ego te condemnábo. *Joan.* 8. 10. 11. * Revértere. Glória. * Revértere.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Remánſit ſolus Jeſus, & múlier in médio ſtans. *Joan.* 8. 9.

Oratio.

PRotéctor noſter, áſpice, Deus; ut qui peccatórum noſtrórum póndere prémimur, percéptâ miſericórdiâ, líberâ tibi mente famulémur; Per Dóminum.

AD VESPERAS.

CAPITULUM. *Eccli.* 17. 21. 22. 23.

COnvértere ad Dóminum, & relínque peccáta tua: precáre ante fáciem Dómini, & mínue offendícula: revértere ad Dóminum, & avértere ab injuſtítia tua.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. g. Non ſurréxit ultrà Prophéta in Iſraël, ſicut Móyſes, quem noſſet Dóminus fácie ad fáciem. *Deut.* 34. 10.

Oratio.

DEus, qui Eccléſiam tuam ánnuâ Quadragéſimæ obſervatióne puríficas; præſta famíliæ tuæ,

ut quod à te obtinére abſtinéndo nititur, hoc bonis opéribus exequátur; Per Dóminum.

COMPLETORIUM, *ut ſuprà*, *p.* 134. *demptis Precibus.*

DOMINICA IV
IN QUADRAGESIMA.
AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Veníte, * Revertámur ad Dóminum. *Oſee.* 6. 1.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus. En tempus acceptábile, *p.* 123.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. *E.* Convertímini ad me, ait Dóminus exercítuum, & convértar ad vos. *Zach.* 1. 3.

Ant. 1. a. Revertátur unuſquíſque à via ſua mala. *Jer.* 18. 11.

Ant. 6. F. Vivo ego, dicit Dóminus: Nolo mortem ímpii, ſed ut convertátur ímpius à via ſua, & vivat. *Ezech.* 33. 11.

℣. Filii hóminum, úſquequò gravi corde? ℟. Utquid diligitis vanitátem, & quǽritis mendácium? *Pſ.* 4. 3.

De Libro Exodi.

LECTIO I. *c.* 12. *v.* 1. *ad* 10.

DIxit Dóminus ad Móyſen & Aaron in terra Ægypti: Menſis iſte, vobis principium ménſium, primus erit in ménſibus anni. Loquímini ad univérſum cœtum filiórum Iſraël, & dícite eis: Décimâ die menſis hujus tollat unuſquíſque agnum per famílias & domos ſuas. Sin autem minor eſt númerus, ut ſufficere poſſit ad veſcéndum agnum, aſsúmet vicínum ſuum qui junctus eſt dómui ſuæ, juxta númerum animárum quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni. Erit autem agnus abſque mácula, máſculus, annículus: juxta quem ritum tollétis & hœdum. Et ſervábitis eum uſque ad quartam décimam diem menſis hujus: immolabítque eum univérſa multitúdo filiórum Iſraël ad véſperam, Et ſument de ſánguine ejus, ac ponent ſuper utrúmque poſtem, & in ſuperliminâribus domórum in quibus cómedent illum. Et edent carnes nocte illâ aſſas igni, & ázymos panes, cum lactúcis agréſtibus. Non comedétis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, ſed tantùm aſſum igni: caput cum pédibus ejus & inteſtínis vorábitis. Nec remanébit quidquam ex eo uſque mané: ſi quid resíduum fúerit, igne comburétis.

℟. *j.* Vocávit Móyſes omnes ſenióres filiórum Iſraël, & dixit ad eos: * Ite tolléntes ánimal per famílias veſtras, & immoláte Phaſe. *Exod.* 12. 21. ℣. Fide celebrávit Paſcha & ſánguinis effuſiónem. *Hebr.* 11. 28. * Ite.

LECTIO II. *v.* 11. *ad* 16.

SIc autem comedétis illum: Renes veſtros accingétis, & calceaménta habébitis in pédibus, tenéntes báculos in mánibus, & comedétis feſtinánter: eſt enim Phaſe, (id eſt, Tránſitus) Dómini. Et transíbo per terram Ægýpti nocte illâ, percutiámque omne primogénitum in terra Ægýpti ab hómine uſque ad pecus: & in cunctis diis Ægýpti fáciam judícia, ego Dóminus. Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ǽdibus inquibus éritis: & vidébo sánguinem & transíbo vos: nec erit in vobis plaga diſpérdens, quando percúſſero terram Ægýpti. Habébitis autem hunc diem in monuméntum: & celebrábitis eam ſolémnem Dómino in generatiónibus veſtris cultu ſempitérno. Septem diébus ázyma comedétis: in die primo non erit ferméntum in dómibus veſtris: quicúmque coméderit fermentátum, períbit ánima illa de Iſraël, à primo die uſque ad diem séptimum. Dies prima erit ſancta atque ſolémnis, & dies séptima eâdem feſtivitáte venerábilis: nihil óperis faciétis in eis, excéptis his quæ ad veſcéndū pértinent.

℟. *ij.* Dux fuíſti, Dómine, in miſericórdia tua, pópulo quem redemíſti; & * Portáſti eum in fortitúdine *tua, ad habitáculum ſanctum tuum. Exod.* 15. 13. ℣. Fide tranſiérunt mare rubrum, tanquam per áridam terram. *Hebr.* 11. 29.* Portáſti.

LECTIO III. *v.* 28. *ad* 33.

ET egréſſi filii Iſraël fecérunt ſicut præcéperat Dóminus Móyſi & Aaron. Factum eſt autem in noctis médio, percúſſit Dóminus omne primogénitum in terra Ægýpti, à primogénito Pharaónis, qui in sólio ejus ſedébat, uſque ad primogénitum captívæ quæ erat in cárcere, & omne primogénitum jumentórum. Surrexítque Phárao nocte, & omnes ſervi ejus, cúnctaque Ægýptus: & ortus eſt clamor magnus in Ægýpto: neque enim erat domus in qua non jacéret mórtuus. Vocatíſque Phárao Móyſe & Aaron nocte, ait: Súrgite, & egredímini à pópulo meó, vos & filii Iſraël: ite, immoláte Dómino, ſicut dícitis. Oves veſtras & arménta aſsúmite, ut petierátis, & abeúntes benedícite mihi. Urgebántque Ægýptii pópulum de terra exíre velóciter, dicéntes: Omnes moriémur.

℟. *iij.* Introdúces eos, & plantábis * In monte hæreditátis tuæ, firmíſſimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine. *Exod.* 15. 17. ℣. Accepíſti virtútem tuam magnam, & regnáſti. *Apoc.* 11. 17. * In monte. Glória. * In monte.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Derelínquat ímpius viam ſuam, & vir iníquus cogitatiónes ſuas. *Iſ.* 55. 7.

Ant. 7. c. Revertátur ad Dóminum, & miſerébitur ejus; & ad Deum noſtrum, quóniam multus eſt ad ignoſcéndum. *Iſ.* 55. 7.

Ant. 5 a. Pius & miséricors eſt Deus, & remíttet in die tribulatiónis peccáta. *Eccli.* 2. 13.

℣. Dóminus Deus loquétur pacem in plebem ſuam, ℟. Et ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui convertúntur ad cor. *Pſ.* 84. 9.

De Epíſtola ſecúnda beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

LECTIO IV. *c.* 8. *v.* 1. *ad* 7.

NOtam fácimus vobis, fratres, grátiam Dei quæ data eſt in Eccléſiis Macedóniæ: quòd in multo experiménto tribulatiónis, abundántia gaúdii ipsórum fuit; & altíſſima paupértas eórum abundávit in divítias ſimplicitátis eórum: quia ſecúndùm virtútem, teſtimónium illis reddo, & ſuprà virtútem voluntárii fuérunt, cum multa exhortatióne obſecrántes nos grátiam & communicatiónem miniſtérii quod fit in ſanctos. Et non ſicut ſperávimus, ſed ſemetipſos dedéruntprimùm Dómino, deínde nobis, per voluntátem Dei: ità ut rogarémus Titum, ut quemádmodum cœpit, & ità perficiat in vobis étiam grátiam iſtam. Sed ſicut in ómnibus abundátis fide, & ſermóne, & ſciéntiâ, & omni ſollicitúdine, inſuper & caritáte veſtrâ in nos, ut & in hac grátia abundétis.

℟. *iv.* Quǽrite Dóminum, dum inveníri poteſt;* Invocáte eum, dum propè eſt. *Iſ.* 55. 6. ℣. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, & in die ſalútis adjúvi te. 2. *Cor.* 6. 2. * Invocáte.

LECTIO V. *v.* 8. *ad* 15.

NOn quaſi ímperans dico, ſed per aliórum ſollicitúdinem, étiam veſtræ caritátis ingénium bonũ cómprobans. Scitis enim grátiam Dómini noſtri Jeſu Chriſti, quóniam propter vos egénus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illíus inópiâ vos dívites eſsétis. Et conſílium in hoc do: hoc enim vobis útile eſt, qui non ſolùm fácere, ſed & velle cœpíſtis ab anno prióre. Nunc verò & facto perficite: ut quemádmodum promptus eſt ánimus voluntátis, ità ſit & perficiéndi ex eo quod habétis. Si enim volúntas prompta eſt, ſecúndùm id quod habet, accépta eſt, non ſecúndùm id quod non habet. Non enim ut áliis ſit remíſſio, vobis autem tribulátio, ſed ex æqualitáte. In præsénti témpore veſtra abundántia illórum inópiam ſúppleat: ut & illórum abundántia veſtræ inópiæ

ſit ſupleméntum, ut fiat æquálitas, ſicut ſcriptum eſt: Qui multùm, non abundávit: & qui módicùm, non minorávit.

℟. v. Quia pátiens Dóminus eſt, in hoc ipſo pœniteámus; * Et indulgéntiam ejus, fúſis lácrymis, poſtulémus. *Judith.* 8. 14. ℣. In ómnibus exhibeámus noſmetípſos ſicut Dei miníſtros. 2. *Cor.* 6. 4. * Et indulgéntiã.

Lectio VI. *v.* 16. *ad* 22.

GRátias autem Deo, qui dedit eámdem ſollicitúdinem pro vobis in corde Titi, quóniam exhortatiónem quidem ſuſcépit: ſed cùm ſollicítior eſſet, ſuâ voluntáte proféctus eſt ad vos. Miſimus étiam cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangélio per omnes Eccléſias: non ſolùm autem, ſed & ordinátus eſt ab Eccléſiis comes peregrinatiónis noſtræ in hanc grátiam, quæ miniſtrátur à nobis ad Dómini glóriam, & deſtinátam voluntátem noſtram: devitántes hoc, ne quis nos vitúperet in hac plenitúdine quæ miniſtrátur à nobis. Providémus enim bona, non ſolùm coram Deo, ſed étiam coram homínibus. Miſimus autem cum illis & fratrem noſtrum quem probávimus in multis ſæpè ſollícitum eſſe, nunc autem multò ſollicitiórem, confidéntiâ multâ in vos.

℟. vj. Qui abſcóndit ſcélera ſua, non dirigétur; * Qui autem conféſſus fúerit, & relíquerit ea, miſericórdiam conſequétur. *Prov.* 28. 13. ℣. Si confiteámur peccáta noſtra, fidélis eſt & juſtus Deus, ut remíttat nobis peccáta noſtra. 1. *Joan.* 1. 9. * Qui. Glória. * Qui.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. *a.* Mundémus nos ab omni inquinaménto carnis & ſpíritûs. 2. *Cor.* 7. 1.

Ant. 8. G. Non eſt abbreviáta manus Dómini, ut ſalváre néqueat: neque aggraváta eſt auris ejus, ut non exaúdiat. *Iſ.* 59. 1.

Ant. 1. *g.* Dóminus bonus propitiábitur cunctis, qui in toto corde requírunt Dóminum Deum patrum ſuórum. 2. *Par.* 30. 18. 19.

℣. Non repéllet Dóminus plebem ſuam, ℟. Et hæreditátem ſuam non derelínquet. *Pſ.* 93. 14.

Sermo ſancti Cypriáni Epíſcopi & Mártyris.

Lib. de lapſis.

Lectio VII.

COnfiteántur ſínguli, quæſo vos, fratres dilectíſſimi, delíctum ſuum, dum adhuc qui delíquit in ſéculo eſt, dum admítti conféſſio ejus poteſt, dum ſatisfáctio & remíſſio facta per ſacerdótes apud Dóminum grata eſt. Convertámur ad Dóminum mente totâ; & pœniténtiam críminis, veris dolóribus expriméntes, Dei miſericórdiam deprecémur. Illi ſe ánima proſtérnat, illi

mœſtítia ſatisfáciat, illi ſpes omnis incúmbat. Rogáre quáliter debeámus dicit ipſe. Revertímini, ínquit, ad me, ex toto corde veſtro, ſimúlque & jejúnio, & fletu, & planctu: & ſcíndite corda veſtra, & non veſtiménta veſtra. Ad Dóminum toto corde redeámus: iram & offénſam ejus, jejúniis, flétibus, plánctibus, ſicut ádmonet ipſe, placémus.

℟. *vij.* Dies propitiatiónis eſt, ut propitiétur vobis Dóminus Deus veſter; * Omnis ánima quæ afflícta non fúerit die hâc, períbit de pópulis ſuis. *Levit.* 23. 28. 29. ℣. Fácite ergo fructum dignum pœniténtiæ. *Matt.* 3. 8. * Omnis.

LECTIO VIII.

VOs, fratres dilectíſſimi, quorum timor in Deum pronus eſt, & in ruína licèt ánimus conſtitútus, mali ſui memor eſt, pœniténtes ac doléntes peccáta veſtra perſpícite, graviſſimum conſciéntiæ crimen agnóſcite, ad intelligéntiam delícti veſtri óculos cordis aperíte, nec deſperántes miſericórdiam Dómini, nec tamen jam véniam vindicántes. Deus, quantùm patris pietáte indúlgens ſemper & bonus eſt, tantùm júdicis majeſtáte metuéndus eſt. Quàm magna delíquimus, tam gránditer defleámus. Alto vúlneri díligens & longa medicína non deſit. Pœniténtia crímine minor non ſit. Oráre opórtet impénſiùs & rogáre; diem luctu transígere; vigíliis noctes ac flétibus dúcere; tempus omne lacrymóſis lamentatiónibus occupáre; ſtratos ſolo adhærére; in cínere, & cilício, & sórdibus volutári; poſt induméntum Chriſti pérditum, nullum jam velle veſtítum; poſt diáboli cibum, malle jejúnium; juſtis opéribus incúmbere, quibus peccáta purgántur; eleemóſynis frequénter insíſtere, quibus à morte ánimæ liberántur.

℟. *viij.* Miſericórdiæ Dómini quia non ſumus consúmpti: * Quia non defecérunt miſeratiónes ejus. *Thren.* 3. 22. ℣. Miséricors Dóminus eſt & miſerátor. *Jac.* 5. 11. * Quia.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO IX. *c. 6. v. 1. ad* 15.

Panes multiplicati.

ABiit Jeſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberíadis; & ſequebátur eum multitúdo magna. Et réliqua.

Homília ſancti Baſílii Epíſcopi.

Homil. dicta temp. famis & ſiccit. n. 7.

VIdes & ipſum noſtrum Deum, prætéritis non raró áliis incómmodis, eſuriéntes condolénti ánimo miſerári. Miséreor enim, inquit, turbæ. Quare & in extrémo judício, ubi ádvo-

cat juſtos Dóminus, locum primum óccupat qui largus fuit ac liberális. Nutrítor primas tenet inter eos quibus prǽmia dantur: panem qui miniſtrávit vocátur ante omnes: qui benígnus fuit & liberális, ante réliquos juſtos ad vitam tranſmíttitur. Qui illiberális éxtitit & sórdidus, ante omnes peccatóres igni tráditur. Ob ídque mandátum velut fúgiens détine ac cónfice, & undélibet arréptum ulnis ampléctere. Dato pauca, & multa comparáto: exólvito primigénium peccátum cibariórum largitióne.

℟. *ix.* Conclúde eleemóſynam in corde paúperis; & * Hæc pro te exorábit ab omni malo. *Eccli.* 29. 15. ℣. Sit eleemóſyna tua in abſcóndito, & Pater tuus qui videt in abſcóndito, reddet tibi. *Matt.* 6. 4. * Hæc. Glória. *Reſumitur* ℟. Conclúde.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Oculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum, ℟. Donec miſereátur noſtri. *Pſ.* 122. 2.

Ant. 1. D. Eſto placábilis, Dómine, ſuper nequítia pópuli tui. *Exod.* 32. 12.

Ant. 6. F. Nullus apud te per ſe ínnocens eſt, qui reddis iniquitátem patrum fíliis ac nepótibus. *Exod.* 34. 7.

Ant. 2. D. Aúferas, Dómine, iniquitátes noſtras atque peccáta. *Exod.* 34. 9.

In Canticum, Peccávimus, *ſuprà*, *p.* 125.

Ant. 4. a. Peccávimus, Dómine, vanitáte ſedúcti ſumus, & non cuſtodívimus mandátum tuum. 2. *Eſdr.* 1. 6. 7.

Ant. 8. G. Ob hoc quòd ómnium Dóminus es, ómnibus te párcere facis. *Sap.* 12. 16.

CAPITULUM. *Rom.* 6. 13.

NOn exhibeátis membra veſtra arma iniquitátis peccáto: ſed exhibéte vos Deo, tanquam ex mórtuis vivéntes, & membra veſtra arma juſtítiæ Deo.

Hymnus. Audi, benígne Cónditor, *ſuprà*, *p.* 125.

℣. Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam, Dómine; ℟. Quia in te ſperávi. *Pſ.* 142. 8.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. Spléndidum in pánibus benedícent lábia multórum, & teſtimónium veritátis illíus fidéle. *Eccli.* 31. 28.

Oratio.

DOmine Deus, qui multitúdinem pópuli in desérto mirabíliter refíciens, nos erga paúperes commiſeratiónem docuíſti; præſta, ut eórum neceſſitátibus ex vera caritáte communicántes, promíſſa miſericórdibus prǽmia conſequámur; Qui vivis & regnas.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Súbiit in montem Jeſus, & ibi ſedébat

cum diſcípulis ſuis. *Joan.* 6. 3.

Capitulum. *Jer.* 51. 6.

FUgite de médio Babylónis, & ſalvet unuſquíſque ánimam ſuam.

℟. *breve.* Chriſte, &c. *p.* 128. *demptis Precibus.*

AD TERTIAM.

Ant. 1. f. Cùm vidíſſet Jeſus, quia multitúdo máxima venit ad eum, dixit ad Philíppum: Unde emémus panes, ut mandúcent hi? *Joan.* 6. 5.

Capitulum. *Ezech.* 34. 14.

REquiéſcent oves meæ in herbis viréntibus, & in páſcuis pínguibus paſcéntur.

℟. *breve.* Oculi ómnium* In te ſperant, Dómine. ℟. Oculi. ℣. Et tu das eſcam illórum in témpore opportúno. * In te. Glória. ℟. Oculi. *Pſ.* 144. 15.

℣. Dante te illis, cólligent: ℟. Aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte. *Pſ.* 103. 28.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Accépit Jeſus panes, & cùm grátias egíſſet, diſtríbuit diſcumbéntibus. *Joan.* 6. 11.

Capitulum. 4. *Reg.* 4. 43.

DA pópulo, ut cómedat; hæc enim dicit Dóminus: Cómedent, & ſupérerit.

℟. *breve.* Satiávit Dóminus * Animam inánem. ℟. Satiávit. ℣. Et ánimam eſuriéntem ſatiávit bonis. * Animam. Glória. ℟. Satiávit. *Pſ.* 106. 9.

℣. Dóminus facit judícium injúriam patiéntibus; ℟. Dat eſcam eſuriéntibus. *Pſ.* 145. 7.

AD NONAM.

Ant. 7. c. Dixit diſcípulis ſuis Jeſus: Collígite quæ ſuperavérunt fragménta, ne péreant. Collegérunt ergo, & implevérunt duódecim cóphinos fragmentórum. *Joan.* 6. 12. 13.

Capitulum. *Deut.* 30. 9. 10.

REvertétur Dóminus, ut gaúdeat ſuper te in ómnibus bonis, ſicut gavíſus eſt in pátribus tuis: ſi tamen audíeris vocem Dómini Dei tui, & cuſtodíeris præcépta ejus.

℟. *breve.* Edent paúperes, * Et ſaturabúntur. ℟. Edent. ℣. Et laudábunt Dóminum qui requírunt eum.* Et. Glória. ℟. Edent. *Pſ.* 21. 27.

℣. Manducavérunt, & adoravérunt. ℟. In conſpéctu ejus cadent omnes qui deſcéndunt in terram. *Pſ.* 21. 30.

AD VESPERAS.

Antiphonæ, ut in Dominica prima, p. 151.

Capitulum. *Eccli.* 4. 7. 8.

COngregatióni paúperum affábilem te fácito, & presbýtero humília ánimam tuam, & magnáto humília caput tuum. Declína paúperi ſine triſtitia aurem tuam,

& redde débitum tuum, & reſpónde illi pacífica in manſuetúdine.

Hymnus. Solémne nos jejúnii, *ſuprà, p.* 133.

℣. Si iniquitátes obſerváveris, Dómine, ℟. Dómine, quis ſuſtinébit? *Pſ.* 129. 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Hómines, cùm vidiſſent quod Jeſus fécerat ſignum, dicébant: Quia hic eſt verè Prophéta qui ventúrus eſt in mundum. *Joan.* 6. 14.

Oratio. Dómine Deus, *ſuprà, p.* 204.

COMPLETORIUM, *ut ſuprà, p.* 134. *demptis Precibus.*

FERIA SECUNDA.

De Libro Exodi.

LECTIO I. *c.* 12. *v.* 37. *ad* 42.

PRofécti ſunt filii Iſraël de Ramélle in Socoth, ſexcénta ferè míllia péditum virórum, abſque párvulis. Sed & vulgus promíſcuum innumerábile aſcéndit cum eis, oves & arménta & animántia divérſi géneris multa nimis. Coxerúntque farínam quam dudùm de Ægýpto conſpérſam túlerant, & fecérunt ſubcinerícios panes ázymos: neque enim póterant fermentári, cogéntibus exíre Ægýptiis, & nullam fácere ſinéntibus moram: nec pulménti quidquam occúrrerat præparáre. Habitátio autem filiórum Iſraël quâ manſérunt in Ægýpto, fuit quadringentórum trigínta annórum. Quibus explétis, eâdem die egréſſus eſt omnis exércitus Dómini de terra Ægýpti. Nox iſta eſt obſervábilis Dómini, quando edúxit eos de terra Ægýpti: hanc obſerváre debent omnes filii Iſraël in generatiónibus ſuis.

℟. *j.* Non tardes, *p.* 123.

LECTIO II. *v.* 43. *ad finem.*

DIxítque Dóminus ad Móyſen & Aaron: Hæc eſt relígio Phaſe. Omnis alienígena non cómedet ex eo. Omnis autem ſervus emptítius circumcidétur, & ſic cómedet. Advena & mercenárius non edent ex eo. In una domo comedétur, nec efferétis de cárnibus ejus foràs, nec os illíus confringétis. Omnis cœtus filiórum Iſraël fáciet illud. Quòd ſi quis peregrinórum in veſtram volúerit transíre colóniam & fácere Phaſe Dómini, circumcidétur priùs omne maſculínū ejus, & tunc ritè celebrábit, eritque ſicut indígena terræ: ſi quis autem circumcíſus non fúerit, non veſcétur ex eo. Eadem lex erit indígenæ & colóno qui peregrinátur apud vos. Fecerúntque omnes filii Iſraël ſicut præcéperat Dóminus Móyſi & Aaron. Et eâdem die edúxit Dóminus filios Iſraël de terra Ægýpti per turmas ſuas.

℟. *ij.* Státue, *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio III. *c.* 2. *v.* 13. *ad finem.*

Vendentes è Templo ejecti.

PRopè erat Paſcha judæórum; & aſcéndit Jeſus Jeroſólymam, & invénit in templo vendéntes boves, & oves, & colúmbas. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 10. n. 4.

QUid audívimus, fratres? Ecce Templum illud figúra adhuc erat; & ejécit inde Dóminus omnes qui ſua quærébant, qui ad núndinas vénerant. Et quæ ibi vendébant illi? Quæ opus habébant hómines in ſacrifíciis illíus témporis. Novit enim cáritas veſtra, quòd ſacrifícia illi pópulo, pro ejus carnalitáte & corde adhuc lapídeo, tália data ſunt, quibus teneréntur, ne in idóla deflúeret: & immolábant ibi ſacrifícia, boves, oves, & colúmbas. Noſtis quia legíſtis. Non ergo magnum peccátum, ſi hoc vendébant in templo, quod emebátur ut offerrétur in templo: & tamen ejécit inde illos. Quid ſi ibi ebrióſos inveníret, quid fáceret Dóminus, ſi vendéntes ea quæ lícita ſunt, & contra juſtítiam non ſunt; (quæ enim honéſtè emúntur, non illícitè emúntur, non illícitè vendúntur,) éxpulit tamen; & non eſt paſſus Domum oratiónis fíeri domum negotiatiónis?

℟. iij. Teſtimónia tua, credibília facta ſunt nimis: * Domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine. *Pſ.* 92. 5. ℣. Nolíte fácere Domum Patris mei domum negotiatiónis. *Joan.* 2. 16. * Domum. Glória. * Domum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. f. Magnus consílio & incomprehensíbilis cogitátu, cujus óculi apérti ſunt ſuper omnes vias filiórum Adam. *Jer.* 32. 19.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, apud quem nihil obſcúrum eſt, nihil incógnitum; occúlta cordis noſtri, remédio tuæ claríſica pietátis, & fílii noctis & tenebrárum non ſint, quos íntimâ præséntiæ tuæ luce perfúndis; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Dixit Jeſus: Sólvite templum hoc, & in tribus diébus excitábo illud. *Joan.* 2. 19.

Oratio.

DEus, qui mundum imples & corda pénetras; illábere ſénſibus noſtris; & concéde ut excúſſis peccatórum ténebris, te veram Lucem ſemper ſequámur; Per Dóminum noſtrum, &c.

FERIA TERTIA.

De Libro Exodi.

LECTIO I. *c.* 13. *v.* 17. *ad finem.*

CUm emiſiſſet Phárao pópulum, non eos duxit Deus per viam terræ Philiſtiim quæ vicína eſt, réputans ne fortè pœnitéret eum, ſi vidiſſet advérsùm ſe bella consúrgere, & reverterétur in Ægýptum. Sed circumdúxit per viam desérti, quæ eſt juxta mare Rubrum: & armáti aſcendérunt filii Iſraél de terra Ægýpti. Tulit quoque Móyſes oſſa Joſeph ſecum: eò quòd adjuráſſet filios Iſraël, dicens: Viſitábit vos Deus, efférte oſſa mea hinc vobíſcum. Profectíque de Socoth caſtrametáti ſunt in Etham in extrémis finibus ſolitúdinis. Dóminus autem præcedébat eos ad oſtendéndam viam, per diem in colúmna nubis, & per noctem in colúmna ignis: ut dux eſſet itíneris utróque témpore. Nunquam défuit colúmna nubis per diem, nec colúmna ignis per noctem, coram pópulo.

℟. *j.* Si pœniténtiam, *p.* 124.

LECTIO II. *c.* 14. *v.* 1. *ad* 8.

LOcútus eſt autem Dóminus ad Móyſen, dicens: Lóquere filiis Iſraël: Revérſi caſtrameténtur è regióne Phihahíroth, quæ eſt inter Magdálum & mare contra Beelséphon: in conſpéctu ejus caſtra ponétis ſuper mare. Dicturúſque eſt Phárao ſuper filiis Iſraël: Coarctáti ſunt in terra, conclúſit eos desértum. Et indurábo cor ejus, ac perſequétur vos: & glorificábor in Pharaóne, & in omni exércitu ejus; ſciéntque Ægýptii quia ego ſum Dóminus. Fecerúntque ità. Et nuntiátum eſt regi Ægyptiórum quòd fugiſſet pópulus: immutatúmque eſt cor Pharaónis & ſervórum ejus ſuper pópulo, & dixérunt: Quid volúimus fácere, ut dimitterémus Iſraël, ne ſervíret nobis? Junxit ergo currum, & omnem pópulum ſuum aſsúmpſit ſecum. Tulítque ſexcéntos currus eléctos, & quidquid in Ægýpto cúrruum fuit: & duces totíus exércitûs. Induravítque Dóminus cor Pharaónis regis Ægýpti, & perſecútus eſt filios Iſraël: at illi egréſſi erant in manu excélſa.

℟. *ij.* Quis, *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 7. *v.* 14. *ad* 31.

Doctrina Chriſti.

ASCéndit Jeſus in Templum, & docébat; & mirabántur Judæi, dicéntes: Quómodo hic litteras ſcit, cùm non didícerit? Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 29. n. 6.

QUis néſciat hoc eſſe fácere voluntátem Dei, operári opus ejus, id eſt, quod illi placet? Ipſe autem Dóminus apértè álio loco dicit: Hoc eſt opus Dei, ut credátis in eum quem ille miſit. Ut credátis in eum, non, ut credátis ei. Sed ſi créditis in eum, créditis ei. Non autem continuò qui credit ei, credit in eum; nam & dæmones credébant ei, & non credébant in eum. Rursùs étiã de Apóſtolis ipsíus póſſumus dícere: Crédimus Petro: ſed non: Crédimus in Petrum. Quid eſt ergo, Crédere in eum? Credéndo amáre, credéndo dilígere, credéndo in eum ire, & ejus membris incorporári. Ipſa eſt ergo fides quam de nobis éxigit Deus: & non ínvenit quod éxigat, nisì donáverit quod invéniat. Quæ fides, nisì quam definívit álio loco Apóſtolus pleníſſimè, dicens: Neque circumcíſio áliquid valet, neque præpútium, ſed fides quæ per dilectiónem operátur? Hæc in te ſit, & intélliges de doctrína.

℟. *iij.* Omnis ſapiéntia à Dómino Deo eſt, * Et cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævum. *Eccli.* 1. 1. ℣. Dixit Jeſus: Mea doctrína non eſt mea, ſed ejus qui miſit me. *Joan.* 7. 16. * Et cum. Glória. * Et cum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. E. Fons ſapiéntiæ, Verbum Dei in excélſis, & ingréſſus illíus mandáta ætérna. *Eccli.* 1. 5.

Oratio.

DA nobis, Deus, cordis humilitátem fidéliter ſectári, & própriam contemnéndo glóriam, tuam in ómnibus ſemper quærere, ne in hoc ſéculo ab homínibus mercédem virtútis recipiéntes, parátam nobis in futúro meritórum remuneratiónẽ amittámus; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Qui quærit glóriam ejus qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtítia in illo non eſt. *Joan.* 7. 18.

Oratio.

ACtiónes noſtras dírige, Deus omnípotens; ut omnis noſtra inténtio ad te tendat, & cuncta operátio glóriæ tuæ ſérviat; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

De Libro Exodi.

Lectio I. *c.* 14. *v.* 10. *ad* 16.

CUm appropinquáſſet Phárao, levántes filii Iſraël óculos, vidérunt Ægýptios poſt ſe, & timuérunt valde. Clamaverúntque ad Dóminum, & dixérunt ad Móyſen: Fórſitàn non erant ſepúlcra in Ægýpto, ídeò tuliſti nos, ut mo-

rerémur in ſolitúdine: quid hoc fácere voluíſti, ut edúceres nos ex Ægýpto? Nónne iſte eſt ſermo quem loquebámur ad te in Ægýpto, dicéntes: Recéde à nobis, ut ſerviámus Ægýptiis? Multò enim méliùs erat ſervíre eis, quàm mori in ſolitúdine. Et ait Móyſes ad pópulum: Nolíte timére, ſtate, & vidéte magnália Dómini, quæ factúrus eſt hódie: Ægýptios enim quos nunc vidétis, nequáquàm ultrà vidébitis uſque in ſempitérnum. Dóminus pugnábit pro vobis, & vos tacébitis. Dixítque Dóminus ad Móyſen: Quid clamas ad me? Lóquere filiis Iſraël ut proficiſcántur. Tu autem éleva virgam tuam, & exténde manum tuam ſuper mare, & dívide illud; ut gradiántur filii Iſraël in médio mari per ſiccum.

℟. *j*. Convertímini, *p*. 124.

Lectio II. *v*. 21. *ad* 30.

CUmque extendiſſet Móyſes manum ſuper mare, ábſtulit illud Dóminus, flante vento veheménti & urénte, totâ nocte, & vertit in ſiccum: divíſaque eſt aqua. Et ingréſſi ſunt filii Iſraël per médiū ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus à déxtra eórum & læva. Perſequentéſque Ægýptii ingréſſi ſunt poſt eos, & omnis equitátus Pharaónis, currus ejus & équites, per médium maris. Jámque advénerat vigília matutína, & ecce reſpíciens Dóminus ſuper caſtra Ægyptiórum per colúmnam ignis & nubis, interfécit exércitum eórum, & ſubvértit rotas cúrruum, ferebantúrque in profúndum. Dixérunt ergo Ægýptii: Fugiámus Iſraélem: Dóminus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dóminus ad Móyſen: Exténde manum tuam ſuper mare, ut revertántur aquæ ad Ægýptios ſuper currus & équites eórum. Cúmque extendíſſet Móyſes manum contra mare, revérſum eſt primo dilúculo ad priórem locū: fugientibúſque Ægýptiis occurrérunt aquæ, & invólvit eos Dóminus in médiis flúctibus. Reverſǽque ſunt aquæ, & operuérunt currus & équites cuncti exércitûs Pharaónis, qui ſequéntes ingréſſi fúerant mare: nec unus quidem ſupérfuit ex eis. Fílii autem Iſraël perrexérunt per médium ſicci maris, & aquæ eis erant quaſi pro muro à dextris & à ſiníſtris: liberavítque Dóminus in die illa Iſraël de manu Ægyptiórum.

℟. *ij*. Fácite, *p*. 124.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio III. *c*. 9. *v*. 1. *ad* 38.

Cæcus à nativitate.

PRætériens Jeſus vidit hóminem cæcum à nativitáte. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 44. n. 1.

GEnus humánum eſt iſte cœcus: hæc enim cǽcitas cóntigit in primo hómine per peccátum, de quo omnes oríginem dúximus, non ſolùm mortis, ſed étiam iniquitátis. Si enim cǽcitas eſt infidélitas, & illuminátio fides; quem fidélem, quando venit Chriſtus, invénit? Quandóquidem Apóſtolus natus in gente Prophetárum dicit: Fúimus & nos aliquándo natúrâ filii iræ, ſicut & cǽteri. Si filii iræ, filii vindíctæ, filii pœnæ, filii gehénnæ. Quómodo natúrâ, nisì quia peccánte primo hómine, vítium pro natúra inolévit? Si vítium pro natúra inolévit, ſecúndùm mentem omnis homo cœcus natus eſt. Si enim videt, non opus habet ductóre: ſi opus habet ductóre & illuminatóre, cœcus eſt ergo à nativitáte.

℟. *iij.* Réſpice, & exaúdi me, Dómine Deus meus; * Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte. *Pſ.* 12. 4. ℣. Dómine, ut vídeam. *Luc.* 18. 41. * Illúmina. Glória. * Illúmina.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. Quis cœcus, nisì qui venúmdatus eſt? Et quis cœcus, nisì ſervus Dómini. *Iſ.* 42. 19.

Oratio.

MEntes noſtras, quæſumus, Dómine, lúmine tuæ claritátis illúſtra; ut vidére poſsímus quæ agénda ſunt, & quæ recta ſunt ágere valeámus; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. c. Dixit Jeſus: In judícium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, vídeant, & qui vident, cœci fiant. *Joan.* 9. 39.

Oratio.

MAjeſtátem tuam, Dómine, ſúpplices exorámus; ut quos viam fecíſti perpétuæ ſalútis intráre, nullis permíttas erró-rum ténebris obcœcári; Per Dóminum.

FERIA QUINTA.

De Libro Exodi.

LECTIO I. *c.* 19. *v.* 1. *ad* 8.

MEnſe tértio egreſſiónis Iſraël de terra Ægýpti, in die hac venérunt in ſolitúdinē Sinaï. Nam proſécti de Ráphidim, & perveniéntes uſque in desértum Sinaï, caſtrametáti ſunt in eódem loco, ibíque Iſraël fixit tentória è regióne montis. Móyſes autem aſcéndit ad Deum, vocavítque eum Dóminus de monte, & ait: Hæc dices dómui Jacob, & annuntiábis filiis Iſraël: Vos ipſi vidíſtis quæ fécerim Ægýptiis, quómodo portáverim vos ſuper alas aquilárum, & aſsúmpſerim mihi. Si ergo audiéritis vocem meā, &

cuſtodieritis pactum meum, éritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra. Et vos éritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Hæc ſunt verba quæ loqueris ad filios Iſraël. Venit Moyſes, & convocatis majoribus natu populi, expoſuit omnes ſermones quos mandaverat Dominus. Reſpondítque omnis populus ſimul: Cuncta quæ locutus eſt Dominus, faciemus.

℟. Nos autem, [illegible]

Lectio II. c. 20. v. 1. ad 17.

Locutúſque eſt Dominus cunctos ſermones hos: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles: ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me: & faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtódiunt præcepta mea. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habébit inſontem Dóminus eum qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra. [illegible] ut diem Sabb[illegible].

Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: ſéptimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & ómnia quæ in eis ſunt; & requiévit in die ſeptimo: idcircò benedixit Dóminus diéi Sábbati, & ſanctificavit eum. Honóra patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram quam Dóminus Deus tuus dabit tibi. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra próximum tuum falſum teſtimonium. Non concupiſces domum próximi tui: nec deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.

℟. [illegible] Stetit, p. [illegible]

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

Lectio III. c. 7. v. 11. ad 16.

In illo tempore: Ibat Jeſus in civitatem Naim.

Ibat Jeſus in civitatem quæ vocatur Naim: & ibant cum eo diſcipuli ejus, & turba copioſa. Et reliqua.

Homilia ſancti Baſilii Epiſcopi.

Homil. [illegible]

Annon præſens vita vobis videtur via quædam & porrecta via[illegible]

ſe & iter, ætátibus, quaſi quibúſdã manſiónibus, interſtinctum: quod, ut profectiónis inítium, partum matérnum unicuíque éxhibet, ità cursûs finem, tentória ſepulcrórum oſténdit? Atque huc omnes condúcit, álios cítiùs, sériùs álios: & hos quidem, per ómnia témporis interválla profèctos; illos verò, ne in primis quidem vitæ ſtatiónibus commorátos. Nos autem lætámur, ac beátum quiddam dúcimus, cùm quis ex púero vir, & ex viro ſenex factus eſt. Sed fugit nos tantum vitæ ſpátium à nobis amítti, quantum víximus, sícque inſciéntibus nobis vita absúmitur, quanquam ſemper ipſam ex eo quod anteáctum eſt, quódque jam prætерflúxit, metiámur. Neque cogitámus quàm incértum ſit, quantùm nobis témporis ad hunc curſum impertíre velit qui nos ad hoc iter perficiéndum miſit, & quòd opórteat nos quotídie ad profectiónem hinc faciéndam præparátos eſſe.

℟. *iij.* Quodcúmque fácere poteſt manus tua, inſtánter operáre: quia*Nec opus, nec rátio, nec ſapiéntia, nec ſciéntia erunt apud ínferos quò tu próperas. *Eccle.* 9. 10. ℣. Hâc nocte ánimam tuam répetunt à te. *Luc.* 12. 20. * Nec opus. Glória. * Nec opus.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. D. Omnis caro ſicut fœnum veteráſcet, & ſicut fólium fructíficans in árbore víridi. *Eccli.* 14. 18.

Oratio.

DA nobis, Deus, in ómnibus opéribus noſtris, noviſſimórum noſtrórum ſemper eſſe mémores, ut à peccátis facíliùs abſtineámus; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Ait Jeſus: Adoléſcens, tibi dico, Surge: & resédit qui erat mórtuus, & cœpit loqui. *Luc.* 7. 14. 15.

Oratio.

DA nobis, quǽſumus, omnípotens Deus, incértum mortis diem ſic meditári; ut, cùm advénerit, pleni bonis opéribus inveniámur; Per Dóminum.

FERIA SEXTA.

De Libro Exodi.

LECTIO I. *c.* 32. *v.* 1. *ad* 8.

VIdens pópulus quòd moram fáceret deſcendéndi de monte Móyſes, congregátus advérſùs Aaron, dixit: Surge, fac nobis deos qui nos præcédant: Móyſi enim, huic viro qui nos edúxit de terra Ægýpti, ignorámus quid accíderit. Dixítque ad eos Aaron: Tóllite inaúres aúreas de uxórum filiorúmque & filiárum veſtrárum áuribus, & afférte ad me. Fecítque pópulus quæ júſſerat, déferens inaúres ad Aaron. Quas cùm ille accepíſſet, formávit ópere fusório, & fecit

ex eis vítulum conflátilem. Dixerúntque: Hi ſunt dii tui, Iſraël, qui te eduxérunt de terra Ægýpti. Quod cùm vidíſſet Aaron, ædificávit altáre coram eo, & præcónis voce clamávit, dicens: Cras ſolémnitas dómini eſt. Surgentéſque manè, obtulérunt holocaúſta & hóſtias pacíficas, & ſedit pópulus manducáre, & bíbere, & ſurrexérunt lúdere. Locútus eſt autem Dóminus ad Móyſen, dicens: Vade, deſcénde: peccávit pópulus tuus quem eduxíſti de terra Ægýpti. Receſsérunt citò de via quã oſtendíſti eis: fecerúntque ſibi vítulum conflátilem, & adoravérunt: atque immolántes ei hóſtias, dixérunt: Iſti ſunt dii tui, Iſraël, qui te eduxérunt de terra Ægýpti.

℟. *j.* Si pœniténtiam, *p.* 124.

LECTIO II. *v.* 19. *ad* 29.

CUmque appropinquáſſet Móyſes ad caſtra, vidit vítulum & choros: iratúſque valde, projécit de manu tábulas, & confrégit eas ad radícem montis. Arripiénſque vítulum quem fécerant, combúſſit, & contrívit uſque ad púlverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum fíliis Iſraël. Dixítque ad Aaron: Quid tibi fecit hic pópulus, ut indúceres ſuper eum peccátum máximum? Cui ille reſpóndit: Ne indignétur dóminus meus: tu enim noſti pópulum iſtum, quòd pronus ſit ad malum. Dixérunt mihi: Fac nobis deos qui nos præcédant: huic enim Móyſi, qui nos edúxit de terra Ægýpti, neſcímus quid accíderit. Quibus ego dixi: Quis veſtrûm habet aurum? Tulérunt & dedérunt mihi: & projéci illud in ignem, egreſsúſque eſt hic vítulus. Videns ergo Móyſes pópulum quòd eſſet nudátus, (ſpoliáverat enim eum Aaron propter ignomíniam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtitúerat,) & ſtans in porta caſtrórum, ait: Si quis eſt Dómini, jungátur mihi. Congregatíque ſunt ad eum omnes fílii Levi. Quibus ait: Hæc dicit Dóminus Deus Iſraël: Ponat vir gládium ſuper femur ſuum: ite & redíte de porta uſque ad portam per médium caſtrórum, & occídat unuſquíſque fratrem, & amícum, & próximum ſuum. Fecerúntque fílii Levi juſta ſermónem Móyſi: ceciderúntque in die illa quaſi vigínti tria míllia hóminum. Et ait Móyſes: Conſecráſtis manus veſtras hódie Dómino, unuſquíſque in fílio, & in fratre ſuo, ut detur vobis benedíctio.

℟. *ij.* Quis, *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 11. *v.* 1. *ad* 45.

Lazarus ſuſcitatus.

ERat quidam languens Lázarus, à Bethánia de caſtéllo Maríæ & Marthæ ſorórils ejus. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 49. n. 3. 19.

EST genus mortis immáne: mala conſuetúdo appellátur. Aliud eſt enim peccáre, áliud peccándi conſuetúdinem fácere. Qui peccat & contínuò corrígitur, citò revivíſcit: quia nondum eſt implicátus conſuetúdine, non eſt ſepúltus. Qui autem peccáre conſuévit, ſepúltus eſt: & benè de illo dícitur: Fetet. Incipit enim habére péſſimam famam, tanquam odórem teterrimum. Tales ſunt omnes aſſuéti ſceléribus, pérditi móribus. Dicis ei: Noli fácere. Quando te audit quem terra ſic premit, & tabe corrúmpitur, & mole conſuetúdinis prægravátur? Nec ad ipſum tamen reſuſcitándum minor fuit virtus Chriſti. Nóvimus, vídimus, quotídie vidémus hómines, péſſimâ conſuetúdine permutátâ, vívere méliùs, quàm vivunt qui reprehendébant. Vidémus multos, nóvimus multos: nemo deſpéret. In corde hóminis quem premit magna moles & conſuetúdo peccáti, in corde hóminis tranſgreſsóris étiam ſancti Evangélii, contemptóris pœnárũ æternárum, fremat Chriſtus, íncrepet ſe homo. Audi adhuc: Flevit Chriſtus, fleat ſe homo. Quare enim flevit Chriſtus, niſi quia flere hóminem dócuit? Quare frémuit, & turbávit ſemetípſum, niſi quia fides hóminis ſibi méritò diſplicéntis frémere quodámmodo debet, in accuſatióne malórum óperum, ut violéntiæ pœniténdi cedat conſuetúdo peccándi?

℞. iij. Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego apériam túmulos veſtros, & * Edúcam vos de ſepúlcris veſtris. *Ezech.* 37. 12. ℣. Ego ſum reſurréctio & vita. *Joan.* 11. 25. * Edúcam. Glória. * Edúcam.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. 2. Dóminus mortíficat & vivíficat, dedúcit ad ínferos & redúcit. 1. *Reg.* 2. 6.

Oratio.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere; ſúſcipe deprecatiónem noſtram, ut quos delictórum caténa conſtríngit, miſerátio tuæ pietátis clementer absólvat; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Voce magnâ clamávit Jeſus: Lázare, veni foràs; & ſtatim pródiit qui fúerat mórtuus. *Joan.* 11. 43. 44.

Oratio.

QUæſumus, omnípotens Deus, ut qui póndere noſtrórum peccatórum prémimur, in tua miſericórdia reſpirémus; Per Dóminum.

SABBATO.

De Libro Exodi.

Lectio I. *c.* 37. *v.* 1. *ad* 9.

FEcit Beſéleel arcam de lignis ſetim, habéntem duos ſemis cúbitos in longitúdine, & cúbitum ac ſemiſſem in latitúdine, altitúdo quoque unius cúbiti fuit & dimídii, veſtivítque eam auro puríſſimo intus ac foris. Et fecit illi corónam aúream per gyrum, conflans quátuor ánnulos aúreos per quátuor ángulos ejus: duos ánnulos in látere uno, & duos in áltero. Vectes quoque fecit de lignis ſetim, quos veſtívit auro, & quos miſit in ánnulos, qui erant in latéribus arcæ ad portándum eam. Fecit & propitiatórium, id eſt, orácalum, de auro mundíſſimo, duórum cubitórum & dimídii in longitúdine, & cúbiti ac ſemis in latitúdine. Duos étiam Chérubim ex auro dúctili, quos póſuit ex utráque parte propitiatórii: Cherub unũ in ſummitáte unius partis, & Cherub álterum in ſummitáte partis altérius: duos Chérubim in ſíngulis ſummitátibus propitiatórii, extendéntes alas, & tegéntes propitiatórium, ſéque mútuò & illud reſpiciéntes.

℟. *j.* Convertímini, *p.* 124.

Lectio II. *v.* 10. *ad* 17.

FEcit & menſam de lignis ſetim in longitúdine duórum cubitórum, & in latitúdine unius cúbiti, quæ habébat in altitúdine cúbitum ac ſemiſſem. Circumdedítque eam auro mundíſſimo, & fecit illi lábium aúreum per gyrum, ipsíque lábio corónam aúream interráſilem quátuor digitórum, & ſuper eámdem, álteram corónam aúream. Fudit & quátuor círculos aúreos, quos póſuit in quátuor ángulis, per ſíngulos pedes menſæ, contra corónam: miſítque in eos vectes, ut poſſit menſa portári. Ipſos quoque vectes fecit de lignis ſetim, & circúmdedit eos auro. Et vaſa ad divérſos uſus menſæ, acetábula, phíalas, & cýathos, & thuríbula, ex auro puro, in quibus offerénda ſunt libámina. Fecit & candelábrum dúctile de auro mundíſſimo, de cujus vecte, cálami, ſcyphi, ſphærulǽque ac lília procedébant.

℟. *ij.* Fácite, *p.* 124.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Joánnem.

Lectio III. *c.* 8. *v.* 12. *ad* 20.

Jeſus lux mundi.

LOcútus eſt Jeſus Scribis & Phariſǽis, dicens: Ego ſum lux mundi. Et réliqua.

Homília ſancti Cypriáni Epíſcopi & Mártyris.

De zelo & livore.

QUi odit fratrem ſuum, in ténebris ámbulat, & non ſcit quò eat: it enim néſciens

ıs in gehénnam: igná-
:cæcus præcipitátur in
a, recédens ſcílicet à
i lúmine monéntis &
is: Ego ſum lumen
; qui me ſecútus fúe-
on ambulábit in téne-
ed habébit lumen vi-
quitur autem Chri-
qui præcéptis ejus
:, qui per magiſtérii
am gráditur, qui ve-
ejus atque itinera ſe-
, qui id quod Chri-
dócuit & fecit imi-
Meminíſſe debémus
ocábulo plebem ſuam
us appéllet, quo títu-
:gem ſuum núncupet.
nóminat, ut innocén-
riſtiána óvibus æqué-
gnos vocat, ut agnó-
natúram símplicem
:itas mentis imitétur.
iij. In me grátia om-
æ & veritátis, * In
nnis ſpes vitæ & vir-
Eccli. 24. 25. ℣. Qui
ur me, non ámbu-
:énebris. *Joan.* 8. 12.*
. Glória. * In me.
Benedíctus, *Ant.* 2. D.
apprehéndit Jeſum;
ecdùm vénerat hora
Joan. 8. 20.

Oratio.

Lucem veram, &
ıcis Autórem, Dómi-
eprecámur, ut digné-
nobis ténebras depél-
itiórum, & clarificá-
; luce virtútum; Qui
& regnas cum Deo Pa-
a unitáte Spíritûs ſan-
Deus; Per ómnia.

m. Pars Vern.

AD VESPERAS.

Ant. 3. *a.* Omnes nos quaſi oves errávimus, unuſquíſque in viam ſuam declinávit: & póſuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium noſtrûm. *Iſ.* 53. 6.

Ant. 4. a. Sicut ovis ad occiſiónem ducétur, & quaſi agnus coram tondénte ſe, obmuteſcet, & non apériet os ſuum. *Iſ.* 53. 7.

Ant. 7. *c.* Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte. *Iſ.* 53. 10.

Ant. 8. *g.* Dabit percutiénti ſe maxíllam, ſaturábitur oppróbriis. *Thren.* 3. 30.

Ant. 2. D. Inglórius erit inter viros aſpéctus ejus, & forma ejus inter filios hóminum. *Iſ.* 52. 14.

CAPITULUM. *Lev.* 23. 4. 5. 6.

HÆ ſunt Fériæ Dómini ſanctæ, quas celebráre debétis tempóribus ſuis. Menſe primo, quartadécimâ die menſis ad véſperum, Phaſe Dómini eſt: & quintadécimâ die menſis hujus, Solémnitas Azymórum Dómini eſt.

℟. Pedes illórum ad malum currunt; & * Feſtínant, ut effúndant sánguinem. *Prov.* 1. 16. ℣. Filius hóminis tradéndus eſt in manus hóminum: & occídent eum. *Matt.* 17. 21. 22. * Feſtínant. *Reſumitur* ℟. Pedes.

Ab hac die uſque ad Paſcha, in omni Officio de Tempore, omittitur Glória Patri, *in* Reſponſoriis.

HYMNUS.

FANDO quis audívit? Dei
Quis grande dicat bráchium?
Percúlſa mens confúnditur:
Stupet fides, vox déficit.

AB orbe, Jeſu, cóndito
Occíſus Agnus, nunc Patri
Priſcis adumbrátam Sacris
Ardes litáre Víctimam.

AT cur humi ſtratus jaces?
Quis iſte mœréntis pavor?
Quis iſte qui toto fluit
Sudor cruéntus córpore?

HUNC vis dolóris éxprimit,
Horrórque teter críminum:
Vices nocéntûm súſtinens,
Iram reformídas Patris.

TE terret objéctus calix:
At ille, ni totum bibas,
Per ſempitérna nos manet
Exhauriéndus sécula.

VINCET pavórem cáritas;
Vincet volúntas pátria:
Témet poteſtáti, Deus,
Tradis tenebrárum volens.

ET jam flagéllis, íctibus,
Ludíbriis, ſpinis, cruci,
Piaculáris Hóſtia,
Voves adorándum caput.

QUI Fílium tradit, Patri,
Natóque ſit laus víctimæ;
Par ſit tibi laus, qui ſacram
Succéndis aram, Spíritus.
Amen.

℣. Captábunt in ánimam Juſti; ℟. Et sánguinem innocéntem condemnábunt. *Pſ.* 93. 21.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Malè tractavérunt illum, qui à ventre matris conſecrátus eſt Prophéta, evértere, & erúere, & pérdere, & íterùm ædificáre, & renováre. *Eccli.* 49 9.

Oratio.

DEus, qui nos ad Paſchále myſtérium jejúnii obſervatióne inſtítuis; da, quæſumus, ut quantò própiùs dies ſalutíferæ Feſtivitátis accédit, tantò purióribus ánimis ad celebrándam Unigéniti tui Paſſiónem præparémur; Per eúmdem Dóminum.

COMPLETORIUM, *ut infrà, p.* 230. *demptis Precibus.*

DOMINICA
IN PASSIONE DOMINI.
AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Fílium hóminis tradéndum in manus peccatórum, * Veníte, adorémus. *Matt.* 26. 45.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

In fine non dicitur Glória Patri; *ſed ejus loco repetitur Invitatorium*, Fílium.

Et ſic deinceps uſque ad Paſcha, excepto Officio Incarnationis Domini, ſi hâc Hebdomadâ occurrat.

Hymnus. Lugéte, mœſtis cántibus, *infrà, p.* 226.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Quis audívit tália horribília, quæ fecit nimis virgo Iſraël? *Jer.* 18. 13.

Ant. 2. D. Omnia quæ lóquitur pópulus iſte, conjurátio eſt. *Iſ.* 8. 12.

Ant. 6. F. Conſília impiórum fraudulénta, verba impiórum inſidiántur ſánguini. *Prov.* 12. 5. 6.

℣. Décidant à cogitatiónibus ſuis, Dómine; ℟. Secúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos. *Pſ.* 5. 11.

Incipit Liber Jeremíæ Prophétæ.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 7.

VErba Jeremíæ filii Helcíæ, de ſacerdótibus qui fuérunt in Anathoth, in terra Bénjamin. Quod factum eſt verbum Dómini ad eum in diébus Josíæ filii Amon regis Juda, in tertiodécimo anno regni ejus. Et factum eſt in diébus Jóakim fílii Josíæ regis Juda, uſque ad conſummatiónem undécimi anni Sedecíæ filii Josíæ regis Juda, uſque ad tranſmigratiónem Jerúſalem, in menſe quinto. Et factum eſt verbum Dómini ad me, dicens: Priúſquàm te formárem in útero, novi te: & ántequàm exíres de vulva, ſanctificávi te, & Prophétam in Géntibus dedi te. Et dixi: A, a, a, Dómine Deus! Ecce néſcio loqui, quia puer ego ſum. Et dixit Dóminus ad me: Noli dícere, Puer ſum: quóniam ad ómnia quæ mittam te, ibis: & univérſa quæcúmque mandávero tibi, loquéris. * Jerúſalem, Jerúſalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

**Sic terminantur omnes Lectiones de Jeremia Propheta, ab hac die uſque ad Paſcha excluſivè, nihil reſpondendo.*

℟. j. Dixérunt: * Veníte, & percutiámus eum linguâ, & non attendámus ad univérſos ſermónes ejus. *Jer.* 18. 18. ℣. Collegérunt Pontífices & Phariſǽi concíliũ, & dicébant: Quid fácimus? quia hic homo multa ſigna facit. *Joan.* 11. 47. * Veníte.

LECTIO II. *c.* 2. *v.* 1. *ad* 8.

ET factum eſt verbum Dómini ad me, dicens: Vade, & clama in áuribus Jerúſalem, dicens: Hæc dicit Dóminus: Recordátus ſum tuî, míſerans adoleſcéntiam tuam, & caritátem deſponſatiónis tuæ, quando ſecúta es me in desérto, in terra quæ non ſeminátur. Sanctus Iſraël Dómino, primítiæ frugum ejus: omnes qui dévorant eum, delínquunt: mala vénient ſuper eos, dicit Dóminus. Audíte verbum Dómini, domus Jacob, & omnes cognatiónes domûs Iſraël. Hæc dicit Dóminus: Quid invenérunt patres veſtri in me iniquitátis, quia elongavérunt à me, & ambulavérunt poſt vanitátem, & vani facti ſunt? Et non dixérunt: Ubi eſt Dóminus, qui aſcéndere nos fecit de terra Ægýpti, qui tradúxit nos per desértum, per terram inhabitábilem & ínviam, per terram ſitis, &

imáginem mortis, per terram, in qua non ambulávit vir, neque habitávit homo? Et indúxi vos in terram Carméli, ut comederétis fructum ejus, & óptima illíus. Et ingréſſi contamináſtis terram meam, & hæreditátem meam poſuíſtis in abominatiónem. Sacerdótes non dixérunt: Ubi eſt Dóminus? & tenéntes legem neſciérunt me: & paſtóres prævaricáti ſunt in me: & prophétæ prophetavérunt in Baal, & idóla ſecúti ſunt. Jerúſalem, &c.

℟. *ij*. Dixérunt: Probémus patiéntiam illíus: * Morte turpíſſimâ condemnémus eum. *Sap.* 2. 19. 20. ℣. Expedit unum hóminem mori pro pópulo. *Joan.* 18. 14. * Morte.

LECTIO III. *v.* 9. *ad* 15.

PRoptéreà adhuc judício conténdam vobíſcum, ait Dóminus: & cum fíliis veſtris diſceptábo. Transíte ad ínſulas Cethim, & vidéte: & in Cedar míttite, & conſideráte veheménter: & vidéte ſi factum eſt hujuſcémodi, ſi mutávit gens deos ſuos, & certè ipſi non ſunt dii: pópulus verò meus mutávit glóriam ſuam in idólum. Obſtupéſcite, cœli, ſuper hoc, & portæ ejus, deſolámini vehementer, dicit Dóminus. Duo enim mala fecit pópulus meus: Me dereliquérunt fontem aquæ *vivæ; &* fodérunt ſibi ciſtérnas, *ciſtérnas* diſſipátas, quæ continére non valent aquas. Nunquid ſervus eſt Iſraël, aut vernáculus? quare ergo factus eſt in prædam? Super eum rugiérunt leónes, & dedérunt vocem ſuam, poſuérunt terram ejus in ſolitúdinem: civitátes ejus exúſtæ ſunt, & non eſt qui hábitet in eis. Jerúſalem, &c.

℟. *iij*. Dixérunt: * Gloriátur Patrem ſe habére Deum; videámus ergo ſi ſermónes illíus veri ſint. *Sap.* 2. 16. 17. ℣. Princeps Sacerdótum ſcidit veſtiménta ſua, dicens: Blaſphemávit. *Matt.* 26. 65. * Gloriátur. *Reſumitur* ℟. Dixérunt.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. *F.* Quómodo facta eſt méretrix cívitas fidélis, plena judícii! *Iſ.* 1. 21.

Ant. 7. d. Juſtítia habitávit in ea; nunc autem homicídæ. *Iſ.* 1. 21.

Ant. 5. a. Ecce verbum Dómini factum eſt eis in oppróbrium. *Jer.* 6. 10.

℣. Ecce cepérunt ánimam meam; ℟. Irruérunt in me fortes. *Pſ.* 58. 4.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

LECTIO IV. *c.* 2. *v.* 1. *ad* 4.

ABundántiùs opórtet obſerváre nos ea quæ audívimus, ne fortè pereffluámus. Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricátio & inobediéntia accépit juſtam mercédis retributiónem, quómodo nos ef-

fugiémus, ſi tantam neglexérimus ſalútem? quæ cùm inítium accepíſſet enarrári per Dóminum ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta eſt, conteſtánte Deo, ſignis, & porténtis, & váriis virtútibus, & Spíritûs ſancti diſtributiónibus, ſecúndùm ſuam voluntátem.

℟. *iv.* Cogitavérunt ſuper me consília, dicéntes: Mittámus lignum in panem ejus; & * Eradámus eum de terra vivéntium. *Jer.* 11. 19. ℣. Dixérunt: Reus eſt mortis. *Matt.* 26. 66. * Eradámus.

Lectio V. *v.* 5. *ad* 14.

NOn enim Angelis ſubjécit Deus orbem terræ futúrum, de quo lóquimur. Teſtátus eſt autem in quodam loco quis, dicens: Quid eſt homo quòd memor es ejus, aut filius hóminis quóniam víſitas eum? Minuíſti eum paulò minùs ab Angelis: glóriâ & honóre coronáſti eum, & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum: ómnia ſubjecíſti ſub pédibus ejus. In eò enim quòd ómnia ei ſubjécit, nihil dimíſit non ſubjéctum ei. Nunc autem necdùm vidémus ómnia ſubjécta ei. Eum autem qui módicò quàm Angeli minorátus eſt, vidémus Jeſum propter paſſiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum: ut grátiâ Dei, pro ómnibus guſtáret mortem. *Decébat enim eum, propter* quem ómnia, & per quem ómnia, qui multos filios in glóriam addúxerat, Autórem ſalútis eórum per paſſiónem conſummáre. Qui enim ſanctíficat & qui ſanctificántur, ex uno omnes. Propter quam cauſam non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Nuntiábo nomen tuum frátribus meis: in médio Ecclésiæ laudábo te. Et íterùm: Ego ero fidens in eum. Et íterùm: Ecce ego & púeri mei quos dedit mihi Deus.

℟. *v.* Consílium fecérunt in unum, dicéntes: * Deus derelíquit eum; perſequímini, & comprehéndite eum. *Pſ.* 70. 10. 11. ℣. Pontífices & miníſtri clamábant, dicéntes: Crucifíge, crucifíge eum. *Joan.* 19. 6. * Deus.

Lectio VI. *v.* 14. *ad finem.*

QUia ergo púeri communicavérunt carni & sánguini, & ipſe ſimíliter participávit eíſdem; ut per mortem deſtrúeret eum qui habébat mortis impérium, id eſt, diábolum, & liberáret eos, qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant ſervitúti. Nuſquàm enim Angelos apprehéndit, ſed ſemen Abrahæ apprehéndit. Unde débuit per ómnia frátribus ſimilári, ut miséricors fieret, & fidélis Póntifex ad Deum, ut repropitiáret delícta pópuli. In eo enim in quo paſſus

eſt ipſe & tentátus, potens eſt & eis qui tentántur, auxiliári.

℟. *vj.* Meditatiónes eórum advérsùm me totâ die: * Seſſiónem eórum, & reſurrectiónem eórum vide, Dómine; ego ſum pſalmus eórum. *Thren.* 3. 62. 63. ℣. Dicit eis Pilátus: Accípite eum vos, & crucifígite. *Joan.* 19. 6. * Seſſiónem. *Reſumitur* ℟. Meditatiónes.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. c. Spíritus oris noſtri Chriſtus Dóminus captus eſt in peccátis noſtris. *Thren.* 4. 20.

Ant. 7. b. Nos putávimus eum quaſi lepróſum, & percúſſum à Deo, & humiliátum. *Iſ.* 53. 4.

Ant. 1. a. Oblátus eſt, quia ipſe vóluit; & non apéruit os ſuum. *Iſ.* 53. 7.

℣. Fodérunt manus meas & pedes meos; ℟. Dinumeravérunt ómnia oſſa mea. *Pſ.* 21. 18.

Sermo ſancti Leónis Papæ. *Serm.* 46. *De Quadrag.* 9. *Cap.* 1.

Lectio VII.

In ómnibus, dilectíſſimi, ſolemnitátibus Chriſtiánis, non ignorámus Paſchále ſacraméntum eſſe præcípuum. Cui condígne & cóngruè ſuſcipiéndo, totíus quidem nos témporis inſtitúta præfórmant. Sed devotiónem noſtram præséntes vel máximè dies éxigunt, quos illi ſublimíſſimo divínæ miſericórdiæ ſacraménto ſcimus eſſe contíguos. In quibus méritò à ſanctis Apóſtolis, per doctrínam Spíritûs ſancti, majóra ſunt ordináta jejúnia; ut per commúne consórtium crucis Chriſti, étiam nos áliquid in eo quod propter nos geſſit agerémus, ſicut Apóſtolus ait: Si compátimur, & conglorificábimur. Certa atque ſecúra eſt expectátio promíſſæ beatitúdinis, ubi eſt participátio Domínicæ paſſiónis. Nemo enim eſt, dilectíſſimi, cui per conditiónem témporis ſocíetas hujus glóriæ denegétur: tanquam tranquíllitas pacis vácua ſit occaſióne virtútis. Apóſtolus enim prædicat, dicens: Omnes qui piè volunt vívere in Chriſto, perſecutiónem patiéntur: & ídeò nunquam deeſt tribulátio perſecutiónis, ſi nunquam deſit obſervántia pietátis.

℟. *vij.* Oſtendíſti mihi, Dómine, ſtúdia eórum; & * Ego quaſi agnus manſuétus qui portátur ad víctimam. *Jer.* 11. 18. 19. ℣. Poſſum rogáre Patrem meum, & exhibébit mihi modò pluſquàm duódecim legiónes Angelórum. *Matt.* 26. 53. * Ego.

Lectio VIII.

Dominus ipſe in exhortatiónibus ſuis dicit: Qui non áccipit crucem ſuam & ſéquitur me, non eſt me dignus. Nec dubitáre debémus hanc vocem, non ſolùm ad diſcípulos

Chriſti, ſed ad cunctos fidéles, totámque Ecclésiam pertinére, quæ Salutáre ſuũ in his qui áderant, universáliter audiébat. Sicut ergo totíus eſt témporis piè vívere, ità totíus eſt témporis crucem ferre: quæ méritò unicuíque ſua dícitur, quia própriis modis atque mensúris ab unoquóque tolerátur. Unum nomen eſt perſecutiónis, ſed non una eſt cauſa certáminis: & plus plerúmque perículi eſt in inſidiatóre occúlto, quàm in hoſte maniféſto. Beátus Job alternántibus bonis ac malis mundi hujus erudítus, piè veracitérque dicébat: Nonne tentátio eſt vita hóminis ſuper terram? Quóniam non ſolis dolóribus córporis atque ſupplíciis ánima fidélis impétitur, verùm étiam, ſalvâ incolumitáte membrórum, gravi morbo urgétur, ſi carnis voluptáte mollítur. Sed cùm caro concupíſcit advérsùs ſpíritum, & ſpíritus advérsùs carnem, præsídio crucis mens rationális inſtrúitur; nec cupiditátibus nóxiis illécta consséntit, quóniam continéntiæ clavis, & Dei timóre transfígitur.

℞. *viij.* Ipſe vulnerátus eſt propter iniquitátes noſtras; * Attrítus eſt propter ſcélera noſtra. *Iſ.* 53. 5. ℣. Crucifixérunt Jeſum & latrónes, unum à dextris, & álterum à ſiníſtris. *Luc.* 23. 33. * Attrítus eſt.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO IX. *c.* 8. *v.* 46. *ad finem.*

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.

DIxit Jeſus turbis Judæórum: Quis ex vobis árguet me de peccáto? Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 18. *in Evang.* n. 1.

PEnsáte, fratres cariſſimi, manſuetúdinem Dei. Relaxáre peccáta vénerat, & dicébat: Quis ex vobis árguet me de peccáto? Non dedignátur ex ratióne oſténdere ſe peccatórem non eſſe, qui ex virtúte Divinitátis póterat peccatóres juſtificáre. Sed terríbile eſt valde quod súbditur: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: proptéreà vos non audítis, quia ex Deo non eſtis. Si enim ipſe verba Dei audit qui ex Deo eſt, & audíre verba ejus non poteſt quiſquis ex illo non eſt, intérroget ſe unuſquíſque, ſi verba Dei in aure cordis pércipit; & intélliget unde ſit. Cœléſtem pátriam deſideráre Véritas jubet, carnis deſidéria cónteri, mundi glóriam declináre, aliéna non appétere, própria largíri. Penſet ergo apud ſe unuſquíſque veſtrûm, ſi hæc vox Dei in cordis ejus aure conváluit, & quia jam ex Deo ſit, agnóſcit.

℞. ix. Arguet te malítia

tua, & avérſio tua increpábit te. * Scito & vide, quia malum & amárum eſt, reliquíſſe te Dóminum Deum tuum. *Jer.* 2. 19. ℣. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. *Joan.* 8. 47. * Scito. *Reſumitur* ℟. Arguet.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Laudans invocábo Dóminum; ℟. Et ab inimícis meis ſalvus ero. *Pſ.* 17. 4.

Ant. 8. G. Convenérunt verè, Dómine, in civitáte iſta, advérsùs ſanctum púerum tuum Jeſum, quem unxíſti. *Act.* 4. 27.

Ant. 4. a. Vidíſti omnem furórem, univérſas cogitatiónes eórum. *Thren.* 3. 60.

Ant. 6. F. Audíſti oppróbrium eórum, Dómine, omnes cogitatiónes eórum. *Thren.* 3. 61.

In Canticum, Non eſt ſpécies ei, *infrà*, *p.* 227.

Ant. 7. b. Reddes ei vicem, Dómine, juxta ópera mánuum ſuárum. *Thren.* 3. 64.

Ant. 4. A. Perſequéris in furóre, & cónteres eos ſub cœlis, Dómine. *Thren.* 3. 66.

CAPITULUM. *Habac.* 1. 5.

ASpícite in Géntibus, & vidéte: admirámini & obſtupéſcite, quia opus factum eſt in diébus veſtris, quod nemo credet, cùm narrábitur.

Hymnus. Crucis tremens ſub póndere, *infrà*, *p.* 227.

℣. In conſpéctu tuo, Dómine, ſunt omnes qui tríbulant me: ℟. Impropérium expectávit cor meum, & miſériam. *Pſ.* 68. 21.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. c. Ego non quæro glóriam meam; eſt qui quærat, & júdicet. *Joan.* 8. 50.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui Chriſti tui beátâ Paſſióne nos réparas, conſérva in nobis ópera miſericórdiæ tuæ; ut in hujus Celebritáte myſtérii, perpétuâ devotióne vivámus; Per eúmdem Dóminum.

AD HORAS, *Doxologia.*

QUI nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio;
Fovens redémptos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 8. G. Fílius hóminis tradétur Princípibus Sacerdótum, & Scribis, & Senióribus; & damnábunt eum morte. *Marc.* 10. 33.

CAPITULUM. *Oſee.* 13. 9.

PErdítio tua, Iſraël, tantúmmodò in me auxílium tuum.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui paſſus es pro nobis. 1. *Petr.* 2. 21.

Non dicitur Glória Patri, *ſed repetitur* ℟. *breve ab initio; & ſic deinceps uſque ad Paſcha, quando* Officium fit de Tempore.

AD TERTIAM.

Ant. 4. a. Tradent eum Géntibus, & illúdent ei, & cónſpuent eum, & flagellábunt eum, & interficient eum. *Marc.* 10. 33. 34.

CAPITULUM. *Iſ.* 53. 10.

SI posúerit pro peccáto ánimam ſuam, vidébit ſemen longævum, & volúntas Dómini in manu ejus dirigétur.

℟. *breve.* Deus meus es tu, * Ne dicéſſeris à me. ℟. Deus. ℣. Quóniam tribulátio próxima eſt, * Ne. *Reſumitur* ℟. Deus. *Pſ.* 21. 11. 12.

℣. Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me: ℟. Ad defenſiónem meam cónſpice. *Pſ.* 21. 20.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Opórtet Fílium hóminis tradi in manus hóminum peccatórum, & crucifigi. *Luc.* 24. 7.

CAPITULUM. *Tob.* 13. 5. 6.

IPſe ſalvábit nos propter miſericórdiam ſuam: aſpícite ergo quæ fecit nobíſcum, & cum timóre & tremóre confitémini illi.

℟. *breve.* Exúrge, Deus, * Júdica cauſam tuam. ℟. Exúrge. ℣. Memor eſto improperiórum tuórum. * Júdica. *Reſumitur* ℟. Exúrge. *Pſ.* 73. 22.

℣. Exprobravérunt inimíci tui, Dómine; ℟. Exprobravérunt commutatiónem Chriſti tui. *Pſ.* 88. 52.

AD NONAM.

Ant. 4. A. Sicut Móyſes exaltávit ſerpéntem in desérto, ità exaltári opórtet Fílium hóminis. *Joan.* 3. 14.

CAPITULUM. *Iſ.* 62. 10.

TRansíte, transíte per portas, præparáte viam pópulo, planum fácite iter, elígite lápides, & elevâte ſignum ad pópulos.

℟. *breve.* Ipſe * Rédimet Iſraël. ℟. Ipſe. ℣. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. * Rédimet. *Reſumitur* ℟. Ipſe. *Pſ.* 129. 8.

℣. Dómini eſt ſalus, ℟. Et ſuper pópulum tuum benedíctio tua. *Pſ.* 3. 9.

AD VESPERAS.

Ant. 8. G. Impoſſíbile eſt ſánguine taurórum & hircórum auférri peccáta. *Hebr.* 10. 4.

Ant. 4. a. Ideò ingrédiens mundum Chriſtus dicit: Hóſtiam & oblatiónem noluíſti, corpus autem aptáſti mihi. *Hebr.* 10. 5.

Ant. 6. F. Peccáta noſtra ipſe pértulit in córpore ſuo ſuper lignum. 1. *Petr.* 2. 24.

Ant. 7. b. Habémus redemptiónem per ſánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum. *Eph.* 1. 7.

Ant. 4. A. Ubi teſtaméntum eſt, mors necéſſe eſt intercédat teſtatóris. *Hebr.* 9. 16.

CAPITULUM. *Hebr.* 9. 11. 12.

CHriſtus aſsíſtens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius & perféctius tabernáculũ non manufáctum, id eſt, non hujus creatiónis, neque per ſánguinem hircórum aut vitulórum, ſed per próprium ſánguinem, introívit ſemel in Sancta, ætérnâ redemptióne invéntâ.

Hymnus. Vexílla Regis pródeunt, *infrà, p.* 229.

℣. Captábunt in ánimam Juſti; ℟. Et ſánguinem innocéntem condemnábunt. *Pſ.* 93. 21.

Ad Magnificat, *Ant.* 5. C. Dixit Jeſus: Amen, amen, dico vobis: Antequàm Abraham fieret, ego ſum. *Joan.* 8. 58.

COMPLETORIUM, *ut infrà, p.* 230. *demptis Precibus.*

IN FERIIS
Per Hebdomadam in Paſſione Domini.
AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Fílium hóminis tradéndum in manus peccatórum, * Veníte, adorémus. *Matt.* 26. 45.

Pſalmus. Veníte, *p.* 2. *ritu ſimplici, & ſinè* Glória Patri.

HYMNUS.

LUGETE, mœſtis cántibus,
Chriſti dolóres plángite:
Duræ neci Natum Deo
Ingráta turba déſtinat.

ORBIS ſuprémus Arbiter.
Dijudicándus ſíſtitur;
Summus Sacérdos ímpiâ
Cadit Sacerdótum manu.

QUI noſtra rupit víncula,
Duris ligátur vínculis;
Divis adorándum caput
Miles ſceléſtus pércutit.

AH! parce corpus ínnocens,
Lictor, flagéllis ſcíndere:
Quid vulnus addis vúlneri?
Jam penè totum vulnus eſt.

FRONS, pro coróna régia,
Horret ſub aſpris véprıbus:
Hæc illa, crudélis Sion,
Quæ ſerta nectis Príncipi!

ARUNDO pro ſceptro datur,
Durúſque pro throno lapis;
Quem veſtit ætérnum jubar,
Ridénda veſtit púrpura.

QUI nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio;
Fovens redémptos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

FERIA II. ET V. *Ant.* ℣. *& duo priora* ℟℟. *è I. Nocturno Dominicæ præcedentis.*

FERIA III. ET VI. *Ant.* ℣. *& duo priora* ℟℟. *è II. Noct. Dom. præcedentis.*

FERIA IV. ET SABBATO, *Ant.* ℣. *& duo priora* ℟℟. *è III. Noct. Dom. præcedentis.*

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Laudans invocábo Dóminum; ℟. Et ab inimícis meis ſalvus ero. *Pſ.* 17. 4.

Ant. 1. g. Fecit Dóminus quæ cogitávit, complévit ſermónem ſuum, quem præcéperat à diébus antíquis. *Thren.* 2. 17.

Ant. 8. c. Deſtrúxit & non pepércit, & lætificávit ſuper te inimícum. *Thren.* 2. 17.

Ant. 2. D. Plauſérunt ſuper te mánibus omnes tranſeúntes per viam, ſibilavérunt, & movérunt caput ſuum. *Thren.* 2. 15.

Ant. 4. A. Aperuérunt.

CANTICUM ISAIÆ. *c.* 53. *v.* 2. *ad* 5.

Prophetia de Chriſti ignominioſa Paſſione & morte.

NOn eſt ſpécies ei, neque decor: * & vídimus eum, & non erat aſpéctus, & deſiderávimus eum.

Deſpéctum & novíſſimum virórum, * virum dolórum & ſciéntem infirmitátem.

Et quaſi abſcónditus vultus ejus & deſpéctus; * unde nec reputávimus eum.

Verè languóres noſtros ipſe tulit, * & dolóres noſtros ipſe portávit:

Et nos putávimus eum quaſi leprósum, * & percúſſū à Deo, & humiliátum.

Ipſe autem vulnerátus eſt propter iniquitátes noſtras, * attrítus eſt propter ſcélera noſtra:

Diſciplína pacis noſtræ ſuper eum; * & livóre ejus ſanáti ſumus.

Glória Patri.

Ant. Aperuérunt ſuper te os ſuum omnes inimíci tui, ſibilavérunt, & fremuérunt déntibus. *Thren.* 2. 16.

Ant. 1. f. Dixérunt: Devorábimus: en iſta eſt dies quam expectabámus; invénimus, vídimus. *Thr.* 2. 16.

CAPITULUM. *Iſ.* 63. 1.

QUis eſt iſte qui venit de Edom tinctis véſtibus de Boſra? Iſte formóſus in ſtola ſua, grádiens in multitúdine fortitúdinis ſuæ. Ego qui loquor juſtítiam, & propugnátor ſum ad ſalvándum.

HYMNUS.

CRUCIS tremens ſub póndere,
Greſſus labántes vix trahit:
Quem ſtipat aula Cœlitûm,
Datur comes latrónibus.

QUI veſtit arva flóribus,
Nudus cruci ſuſpénditur;
Qui dat feris cubília,
Ubi quiéſcat non habet.

CLAVIS manus, clavis pedes,
Confóſſus hæret ſtípiti:
Sed quàm ſui tenáciùs
Amóris hæret vínculis!

QUI rupe fontes élicit,
Ardens ſiti conſúmitur:
Sed major urébat ſitis;
Erat ſitis, mundi ſalus.

SIT hæc dolórum pars levis;
Acerbióra pértulit,

Dum mente præsága videt
Ináne mortis præmium.

Fac, Chriſte, ne ſint írrita
Torménta quæ perpéſſus es;
Ne, morte contémptâ Dei,
Te ſentiámus víndicem.

Qui nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio;
Fovens redémptos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Inténde, Dómine, ánimæ meæ; ℟. Et líbera eam. *Pſ.* 68. 19.

Ad Benedíctus, *Antiphona & Oratio, ut in qualibet Feria.*

Preces flexis genibus, ſuprà, p. 126.

Non dicuntur ampliùs Suffragia.

Ad Horas, *Doxologia.*

Qui nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio;
Fovens redémptos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus. Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. *g.* Appropinquávit hora, & Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum. *Matt.* 26. 45.

Capitulum. *Act.* 3. 18 19.

Deus quæ prænuntiávit per os ómnium prophetárum pati Chriſtum ſuum, ſic implévit: pænitémini ígitur & convertímini.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui paſſus es pro nobis, 1. *Petr.* 2. 21.

Non dicitur Glória Patri, *ſed reſumitur* ℟. Chriſte.

Cætera ut in Feriis Quadrageſimæ, ſuprà, p. 128.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Fílius hóminis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo. *Matt.* 26. 24.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 5. 9. 10.

Non póſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitiónem ſalútis, Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui mórtuus eſt pro nobis.

℟. *breve.* Ego ſum vermis, * Et non homo. ℟. Ego. ℣. Oppróbrium hóminum & abjéctio plebis. * Et non. *Reſumitur* ℟. Ego. *Pſ.* 21. 7.

℣. Opéruit confúſio fáciem meam: ℟. Extráneus factus ſum frátribus meis. *Pſ.* 68. 8. 9.

AD SEXTAM.

Ant. 1. f. Fílius hóminis tradétur, ut crucifigátur. *Matt.* 26. 2.

Capitulum. 1. *Mach.* 6. 44.

Dedit ſe, ut liberáret pópulum ſuum, & acquíreret ſibi nomen ætérnum.

℟. *breve.* Príncipes * Perſecúti ſunt me gratis. ℟. Príncipes. ℣. Et à verbis tuis formidávit cor meum. * Perſecúti. *Reſumitur* ℟. Príncipes. *Pſ.* 118. 161.

℣. Quem tu percuſſiſti perſecúti ſunt; ℟. Et ſuper

dolórem vúlnerum meórum addidérunt. *Pſ.* 68. 27.

AD NONAM.

Ant. 8. c. Filius hóminis, ſecúndùm quod definítum eſt, vadit. *Luc.* 22. 22.

CAPITULUM. *Rom.* 3. 25.

CHriſtum Jeſum propóſuit Deus propitiatiónem per fidem, in sánguine ipsius, ad oſtenſiónem juſtítiæ ſuæ, propter remiſſiónem præcedéntium delictórum.

℟. *breve.* Propter inimícos meos * Eripe me, Dómine. ℟. Propter. ℣. Tu ſcis impropérium meum & confuſiónem meam. * Eripe. *Reſumitur* ℟. Propter. *Pſ.* 68. 19. 20.

℣. Totâ die verba mea execrabántur; ℟. Advérsùm me omnes cogitatiónes eórum in malum. *Pſ.* 55. 6.

AD VESPERAS.

Ant. 1. *g.* Chriſtus non ſibi plácuit: ſed ſicut ſcriptum eſt: Impropéria improperántium tibi cecidérunt ſuper me. *Rom.* 15. 3.

Ant. 2. D. Semel in conſummatióne ſeculórum, ad deſtitutiónem peccáti, per hóſtiam ſuam appáruit. *Hebr.* 9. 26.

Ant. 3. *a.* Unâ oblatióne conſummávit in ſempitérnum ſanctificátos. *Hebr.* 10. 14.

Ant. 4. A. Salváre in perpétuum poteſt accedéntes per ſemetípſum ad Deum. *Hebr.* 7. 25.

Ant. 8. c. Sanctificáti ſumus per oblatiónem córporis Jeſu Chriſti ſemel. *Hebr.* 10. 10.

CAPITULUM. *Hebr.* 5. 7.

CHriſtus in diébus carnis ſuæ, preces ſupplicationéſque, ad eum qui poſſit illum ſalvum fácere à morte, cum clamóre válido & lácrymis ófferens, exaudítus eſt pro ſua revéréntia.

HYMNUS.

VExilla Regis pródeunt,
Fulget Crucis myſtérium,
Quo carne carnis Cónditor,
Suſpénſus eſt patíbulo:

Quo vulnerátus inſuper
Mucróne diro lánceæ,
Ut nos laváret crímine,
Manávit undâ & sánguine.

Impleta ſunt quæ cóncinit
David fidéli cármine,
Dicens: In natiónibus
Regnávit à ligno Deus.

Arbor decóra & fúlgida,
Ornáta Regis púrpurâ,
Eléćta digno ſtípite,
Tam ſancta membra tángere.

Beata cujus bráchiis
Secli pepéndit prétium,
Statéra facta córporis,
Prædámque tulit tártari.

O Crux, ave, ſpes única,
Hoc Paſſiónis Témpore,
Auge piis juſtítiam,
Reiſque dona véniam.

Te ſumma, Deus, Trínitas,

Collaúdet ómnis ſpíritus :
Quos per Crucis myſtérium
Sálvas, rege per sécula.
Amen.

℣. Captábunt in ánimam Juſti ; ℟. Et sánguinem innocéntem condemnábunt. *Pſ.* 93. 21.

Ad Magnificat, *Antiphona & Oratio, ut in qualibet Feria.*

Preces flexis genibus, ſuprà, p. 126.

Non dicuntur ampliùs Suffragia.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Propóſito ſibi gaúdio, ſuſtínuit crucem, confuſióne contémptâ. *Heb.* 12. 2.

HYMNUS.

QUI nocte, Chriſte, tráderis,
Noctíſque per ſiléntium,
Patri voves te víctimam,
Noctis quiétem cónſecra.

DUM ſub tenébris círcuit
Quærens leo quem dévoret,
Quos in dolóre párturis,
Nunquam relinque filios.

SUIS amor fac néxibus
Tuo meum cor vínciat;
Ut tot gemam ſuſpíriis,
Quot vulneráris íctibus.

QUI nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio;
Fovens redémptos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

CAPITULUM. *Jer.* 13. 16.

DAte Dómino Deo veſtro glóriã, ántequàm contenebréſcat, & ántequàm offéndant pedes veſtri ad montes caliginóſos.

In ℟. *brevi.* In manus, *non dicitur* Glória Patri; *ſed reſumitur* ℟. In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 7. c. Nox præcéſſit, dies autem appropinquávit : abjiciámus ergo ópera tenebrárum. *Rom.* 13. 12.

Kýrie, eléiſon, &c. *ut in Feriis Quadrageſimæ, p.* 135.

Oratio.

DEus, qui noſtram quiétem dolorófis Fílii tui conſecráſti vigíliis; præſta, Paſſiónis ejus virtúte, ut per hanc noctem ſuperáre inſidiántem inimícum, tuámque benedictiónem áſſequi mereámur; Per eúmdem Dóminum.

Cœtera ut in Feriis Quadrageſimæ, p. 136.

FERIA SECUNDA.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *c.* 2. *v.* 26. *ad* 30.

QUómodo confúnditur fur, quando deprehénditur, ſic confúſi ſunt domus Iſraël, ipſi & reges eórum, príncipes, & ſacerdótes, & prophétæ eórum, dicéntes ligno : Pater meus es tu, & lápidi : Tu me genuíſti. Vertérunt ad me tergum & non fáciem, & in témpore afflictiónis ſuæ dicent : Surge, & líbera nos. Ubi ſunt dii tui quos fecíſti tibi ? ſurgant & líberent te in témpore afflictiónis tuæ : ſecúndùm númerum quippe

civitátum tuárum erant dii tui, Juda. Quid vultis me cum judício conténdere? omnes dereliquíſtis me, dicit Dóminus. Fruſtrà percúſſi filios veſtros, diſciplínam non recepérunt: devorávit gládius veſter prophétas veſtros, quaſi leo vaſtátor. Jerúſalem, &c.

℟. *j.* Dixérunt: * Veníte, *p.* 219.

LECTIO II. *c.* 3. *v.* 1. *ad* 7.

VUlgò dícitur: Si dimíſerit vir uxórem ſuam, & recédens ab eo, dúxerit virum álterum, nunquid revertétur ad eam ultrà? nunquid non pollúta & contamináta erit múlier illa? Tu autem fornicáta es cum amatóribus multis: tamen revértere ad me, dicit Dóminus, & ego ſuſcípiam te. Leva óculos tuos in diréctum, & vide ubi non proſtráta ſis. In viis ſedébas, expéctans eos quaſi latro in ſolitúdine: & polluíſti terram in fornicatiónibus tuis, & in malítiis tuis. Quamóbrem prohíbitæ ſunt ſtillæ pluviárum, & ſerótinus imber non fuit. Frons mulíeris meretrícis facta eſt tibi, noluíſti erubéſcere. Ergo ſaltèm ámodò voca me: Pater meus, dux virginitátis meæ tu es: nunquid iraſcéris in perpétuum, aut perſeverábis in finem? Ecce locúta es, & fecíſti mala, & potuíſti. Et dixit Dóminus ad me in diébus Josíæ regis: Nunquid vidíſti quæ fécerit averſátrix Iſraël? ábiit ſibímet ſuper omnem montem excélſum, & ſub omni ligno frondóſo, & fornicáta eſt ibi. Et dixi, cùm feciſſet hæc ómnia: Ad me revértere; & non eſt revérſa. Jerúſalem, &c.

℟. *ij.* Dixérunt: Probémus, *p.* 220.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 7. *v.* 32. *ad* 39.

Chriſtus quærendus, & non inveniendus.

MIsérunt Príncipes & Phariſæi miniſtros, ut apprehénderent Jeſum. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 49. *in Cap.* 7. *Joan.*

TIméndum eſt ne in nobis quoque ea verba locum hábeant: Quòd ubi eſt, veníre non póſſumus. Síquidem vita noſtra ſcélerum plena eſt. De diſcípulis enim ait: Volo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum. De nobis contrà tímeo ne dicátur: Ubi ego ſum, vos non potéſtis veníre. Quómodo enim potérimus, cùm contrária quàm præcipiúntur, operémur? Etenim inter ſéculi hómines, ſi quis mílitum præter regis voluntátem facit, ad regem non admíttitur; ſed múnere & dignitáte exauctorátus, últi-

mo afficitur ſupplício. Itidem & nos, cùm cupiditáti ſervímus, cùm rápimus, cùm vim inférimus, cùm verberámus, cùm non fácimus eleemóſynam, illuc nullo pacto admíttimur: ſed nobis quod & virgínibus, áccidet, quibus ad ſponſum íngredi non lícuit.

℟. *iij.* Inclináte aurem veſtram, & veníte ad me: * Audíte, & vivet ánima veſtra. *Iſ.* 55. 3. ℣. Stabat Jeſus & clamábat, dicens: Si quis ſitit, véniat ad me, & bibat. *Joan.* 7. 37. * Audíte. *Reſumitur* ℟. Inclináte.

Ad. Benedíctus, *Ant.* 3. *a.* Benedíctio Dómini quaſi flúvius inundávit. *Eccli.* 39. 27.

Oratio.

DEus, vita fidélium, glória humílium, & beatitúdo juſtórum; propítius réſpice súpplicum preces; & grátiam quam Chriſtus Paſſióne ſuâ proméruit, ſitiéntibus impertíri dignéris; Per eúmdem Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. f. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptúra, flúmina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Joan.* 7. 38.

Oratio.

ADjuva nos, Deus ſalutáris noſter; & ad grátiæ tuæ beneficia recenſénda, quibus per Filii tui mortem nos inſtauráre dignátus es, tríbue veníre devótos; Per eúmdem Dóminum.

FERIA TERTIA.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 6.

CIrcuíte vias Jerúſalem, & aſpícite, & conſideráte, & quærite in platéis ejus, an inveniátis virum faciéntem judícium, & quæréntem fidem; & propítius ero ei. Quòd ſi étiam, Vivit Dóminus, díxerint, & hoc falsò jurábunt. Dómine, óculi tui reſpíciunt fidem: percuſſíſti eos, & non doluérunt: attrivíſti eos, & renuérunt accípere diſciplínam: induravérunt fácies ſuas ſupra petram, & noluérunt revérti. Ego autem dixi: Fórſitàn paúperes ſunt & ſtulti, ignorántes viam Dómini, judícium Dei ſui. Ibo ígitur ad optimátes, & loquar eis: ipſi enim cognovérunt viam Dómini, judícium Dei ſui; & ecce magìs hi ſimul confregérunt jugum, rupérunt víncula. Idcircò percúſſit eos leo de ſylva, lupus ad véſperam vaſtávit eos, pardus vígilans ſuper civitátes eórum. Omnis qui egréſſus fúerit ex eis, capiétur: quia multiplicátæ ſunt prævaricatiónes eórum, confortátæ ſunt averſiónes eórum. Jerúſalem, &c.

℟. *j.* Cogitavérunt, *p.* 221.

LECTIO II. *v. 7. ad. 14.*

SUper quo propítius tibi eſſe pótero? Filii tui dereliquérunt me, & jurant in his qui non ſunt dii: ſaturávi eos, & mœcháti ſunt, & in domo meretrícis luxuriabántur. Equi amatóres & emiſsárii facti ſunt: Unuſquíſque ad uxórem próximi ſui hinniébat. Nunquid ſuper his non viſitábo, dicit Dóminus? & in gente tali non ulciſcétur ánima mea? Aſcéndite muros ejus, & diſſipáte: conſummatiónem autem nolíte fácere: auférte propágines ejus, quia non ſunt Dómini. Prævaricatióne enim prævaricáta eſt in me domus Iſraël & domus Juda, ait Dóminus. Negavérunt Dóminũ, & dixérunt: Non eſt ipſe: neque véniet ſuper nos malum: gládium & famem non vidébimus. Prophétæ fuérunt in ventum locúti, & reſpónſum non fuit in eis: hæc ergo evénient illis. Hæc dicit Dóminus Deus exercítuum: Quia locúti eſtis verbum iſtud, ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & pópulum iſtum in ligna, & vorábit eos. Jeruſalem, &c.

℟. *ij.* Consílium, *p.* 221.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c. 7. v. 1. ad 13.*

Chriſtus latens.

AMbulábat Jeſus in Galilǽam: non enim volébat in Judǽam ambuláre, quia quærébant eum Judǽi interficere. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 28. n. 8. 11.

NOn poteſt mundus odiſſe vos. Quid eſt hoc, nisì, Non poteſt mundus odiſſe amatóres ſuos, falſos teſtes? Bona enim dícitis quæ mala ſunt, & mala quæ bona ſunt. Me autem odit, quia ego teſtimónium perhíbeo de illo, quia ópera ejus mala ſunt. Dicébant ergo: Ubi eſt ille? & murmur multum de eo erat in turba. Unde murmur? De contentióne. Quæ fuit conténtio? Quidam enim dicébant: Quia bonus eſt; álii autem: Non, ſed ſedúcit turbas. De ómnibus ſervis ejus intelligéndum hoc dícitur modò. Quicúmque enim eminúerit in áliqua grátia ſpirituáli, profécto álii dicunt: Bonus eſt; álii: Non, ſed ſedúcit turbas. Quod dictum eſt ergo de Dómino, valet ad conſolatiónem, de quocúmque hoc dictum fúerit Chriſtiáno.

℟. *iij.* Qui odérunt te, Dómine, óderam, & * Super inimícos tuos tabeſcébam. *Pſ.* 138. 21. ℣. Me odit mundus, quia ego teſtimónium perhíbeo de illo, quòd ópera ejus mala ſunt. *Joan.* 7. 7. * Super. *Reſumitur* ℟. Qui.

Ad Benedictus, *Ant.* 4. E. Odio habuérunt corripiéntem in porta, & loquéntem perfécte, abomináti ſunt. *Amos.* 5. 10.

Oratio.

DEus, qui de mundo in Paſſióne tua triumpháſti; præſta, ut eum virtúti continuò adverſántem, & deſpícere & vincere valeámus; Qui vivis.

Ad Magnificat, *Ant.* 1. g. Judæi quærébant Jeſum in die feſto, & dicébant: Ubi eſt ille? & murmur multum erat in turba de eo. *Joan.* 7. 11. 12.

Oratio.

TUére nos, Deus, advérsùs mundánæ pravitátis insídias; & præſta, ut nec ejus falſis ſeducámur amóribus, nec vanis ipsíus cedámus terróribus; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

De Jeremia Prophéta.

LECTIO I. *c.* 6. *v.* 10. *ad* 15.

CUi loquar? & quem conteſtábor, ut aúdiat? Ecce incircumciſæ aures eórum, & audire non poſſunt: ecce verbum Dómini factum eſt eis in oppróbriū, & non ſuſcipient illud. Idcircò furóre Dómini plenus ſum, laborávi súſtinens. Effúnde ſuper párvulum foris, & ſuper concílium júvenum ſimul: vir enim cum mulíere capiétur; ſenex cum pleno diérum. Et tranſibunt domus eórum ad álteros, agri & uxóres páriter: quia exténdam manum meam ſuper habitántes terram, dicit Dóminus: à minóre quippe uſque ad majórem, omnes avarítiæ ſtudent: & à prophéta uſque ad ſacerdótem, cuncti fáciunt dolum. Et curábant contritiónem fíliæ pópuli mei cum ignominia, dicéntes: Pax, pax: & non erat pax. Confúſi ſunt, quia abominatiónem fecérunt: quin pótiùs confuſióne non ſunt confúſi, & erubéſcere neſciérunt. Quamóbrem cadent inter ruéntes: in témpore viſitatiónis ſuæ córruent, dicit Dóminus. Jerúſalem, &c.

℟. *j.* Oſtendiſti, *p.* 222.

LECTIO II. *v.* 16. *ad* 21.

HÆc dicit Dóminus: State ſuper vias, & vidéte, & interrogáte de ſémitis antíquis, quæ ſit via bona, & ambuláte in ea; & inveniétis refrigérium animábus veſtris. Et dixérunt: Non ambulábimus. Et conſtitui ſuper vos ſpeculatóres. Audite vocem tubæ. Et dixérunt: Non audiémus. Ideò audite, Gentes; & cognóſce, congregátio, quanta ego fáciam eis. Audi, terra: Ecce ego addúcam mala ſuper pópulum iſtum, fructum cogitatiónum ejus: quia verba mea non audiérunt, & legem meam projecérunt. Ut quid mihi thus de Saba affértis, & cálamum

oléntem de terra lon-
a ? Holocautómata
non ſunt accépta ,
:imæ veſtræ non pla-
it mihi. Proptéreà
icit Dóminus : Ecce
bo in pópulum iſtum
; & ruent in eis pa-
filii ſimul ; vicínus
timus períbunt. Jerú-
, &c.
ij. Ipſe vulnerátus
. 223.
io ſancti Evangélii
:ándùm Joánnem.
r I O III. *c.* 10. *v.*
ad 39.
:niorum Solemnitas.
ta ſunt Encǽnia in
roſólymis ; & hiems
Et réliqua.
mília ſancti Petri
Chryſólogi.
40. *De bono Paſtore.*
ærámus hujus quæ
vis, quæ rátio ſit amó-
ıuæ hujus cauſa mor-
quæ hujus ſit utí-
paſſiónis. Eſt planè
rta , vera rátio, cau-
cens , utílitas tanti
inis perapérta. Nam-
ıſtóris una ex morte,
emícuit ſinguláris.
: pro óvibus , morti
vibus imminébat, oc-
, ut autórem mortis
lum, novo órdine cap-
ıperet, victus vínce-
ıníret occíſus, & óvi-
moriéndo , viam vin-
mortis aperíret. Nam
bolus , dum in hómi-
tendit , proſilívit in
ı : *dum in reum ſæ-*

vit , incúrrit in Júdicem : invénit ſupplícium , dum íngerit pœnam. Ipſe áccipit , dum dat ſenténtiam : & vivens mortálium paſtu, mors móritur, dum dévorat Vitam : absórbens eos mors abſorbétur, innocéntiæ dum deglútit Autórem : & perit mors ipſa quæ perdébat omnes, dum ómnium perímere vult Salútem. Audi vocem Paſtóris hujus : Oves meæ vocem meam aúdiunt , & ſequúntur me. Necéſſe eſt ut quæ ſunt ad mortem ſecútæ , ſequántur ad vitam ; quæ ad contuméliam comitátæ ſunt, comiténtur ad honórem ; & ſint partícipes glóriæ, quæ paſſiónis partícipes extitérunt. Ubi ſum , inquit, ego, ibi erit & miníſter meus. Ubi ? Utique ſuper cœlos , ubi Chriſtus eſt ad déxteram Dei ſedens. Homo , non te turbet fides ; ſpes te lóngior non fatíget, quia certa tibi res eſt , quæ in ipſo tibi rerum ſervátur Autóre.

℟. *iij.* Viſitábo oves meas, & * Liberábo eas de ómnibus locis in quibus diſpérſæ fúerant. *Ezech.* 34. 12. ℣. Ego vitam ætérnam do eis , & non períbunt in ætérnum. *Joan.* 10. 28. * Liberábo. *Reſumitur* ℟. Viſitábo.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. Vos, greges mei , greges páſcuæ meæ, hómines eſtis : & ego Dóminus Deus ve-

ſter, dicit Dóminus Deus. *Ezech.* 34. 31.

Oratio.

GRegi tuo, Paſtor bone, placátus inténde; & oves quas pretióſo sánguine redemíſti, diabólicâ non ſinas incurſióne lacerári; Qui vivis & regnas.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. a. Oves meæ vocem meam aúdiunt; & ego cognóſco eas, & ſequúntur me. *Joan.* 10. 27.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, abundántiùs his diébus miſericórdiam tuam conſequámur, quibus eam pléniùs, te largiénte, cognóvimus; Per Dóminum.

FERIA QUINTA.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *c.* 7. *v.* 3. *ad* 10.

HÆc dicit Dóminus exercítuum Deus Iſraël: Bonas fácite vias veſtras & ſtúdia veſtra: & habitábo vobíſcum in loco iſto. Nolíte confídere in verbis mandácii, dicéntes: Templum Dómini, templum Dómini, templum Dómini eſt. Quóniam ſi benè direxéritis vias veſtras & ſtúdia veſtra, ſi fecéritis judícium inter virum & próximum ejus, ádvenæ, & pupíllo, & víduæ non fecéritis calúmniam, nec sánguinem innocéntem effudéritis in loco hoc, & poſt deos aliénos non ambulavéritis in malum vobíſmetípſis, habitábo vobíſcum in loco iſto, in terra quam dedi pátribus veſtris à século & uſque in séculum. Ecce vos confiditis vobis in ſermónibus mendácii qui non pródérunt vobis; furári, occídere, adulterári, juráre mendáciter, libáre Báalim, & ire poſt deos aliénos quos ignorátis. Et veníſtis, & ſtetíſtis coram me in domo hac in qua invocátum eſt nomen meum, & dixíſtis: Liberáti ſumus, eò quòd fecérimus omnes abominatiónes iſtas. Jerúſalem, &c.

℟. *j.* Dixérunt: * Veníte, *p.* 219.

LECTIO II. *v.* 11. *ad* 16.

NUnquid ſpelúnca latrónum facta eſt domus iſta, in qua invocátum eſt nomen meum in óculis veſtris? Ego, ego ſum: ego vidi, dicit Dóminus. Ite ad locum meum in Silo, ubi habitávit nomen meum à princípio: & vidéte quæ fécerim ei propter malítiam pópuli mei Iſraël. Et nunc, quia fecíſtis ómnia ópera hæc, dicit Dóminus: & locútus ſum ad vos manè conſúrgens & loquens, & non audíſtis; & vocávi vos, & non reſpondíſtis: fáciam dómui huic, in qua invocátum eſt nomen meum, & in qua vos habétis fidúciam, & loco quem dedi vobis & pátribus veſtris, ſicut feci Silo. Et projíciam vos à fácie mea, ſicut projécì om-

:s veſtros, univér-
nen Ephraïm. Tu
i oráre pro pópulo
c aſsúmas pro eis
& oratiónem, &
ſtas mihi: quia non
n te. Jerúſalem, &c.
Dixérunt; Probé-
220.
ſancti Evangélii
:ndùm Lucam.
ı O III. c. 7. v.
l finem.
lier peccatrix.
bat Jeſum quidam
?hariſæis, ut man-
:um illo. Et réliqua.
ia ſancti Gregórii
Papæ.
}. in Evang. n. 2.
t, fratres, quòd il-
is áctibus priùs mú-
ıta, unguéntum ſi-
dóre ſuæ carnis ad-
Quod ergo ſibi túr-
ıibúerat, hoc jam
ıdabíliter offerébat.
erréna concupíerat:
jam per pœnitén-
ıterens, flebat. Ca-
ad compoſitiónem
xhibúerat: ſed jam
lácrymas tergébat.
ıérba díxerat: ſed
ómini óſculans, hoc
mptóris ſui veſtígia
Quot ergo in ſe há-
lectaménta, tot de
it holocaúſta. Con-
d virtútum númc-
:merum críminum:
:n ſervíret Deo in
tia, quidquid ex ſe
:ontémpſerat in cul-

℟. iij. Delévi ut nubem iniquitátes tuas, & quaſi nébulam peccáta tua: * Revértere ad me, quóniam redémi te. *Iſ.* 44. 22. ℣. Dixit Jeſus ad mulíerem peccatrícem: Remittúntur tibi peccáta. *Luc.* 7. 48. * Revértere. *Reſumitur* ℟. Delévi.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. E. In caritáte perpétua diléxi te; ídeò attráxi te míſerans. *Jer.* 31. 3.

Oratio.

Noſtra tibi, quæſumus, Dómine, ſint accépta jejúnia, quæ nos & expiándo grátiâ tuâ dignos effíciant, & ad Paſſiónis Fílii tui remédia perdúcant; Per eúmdem Dóminum.

Vesperæ *de Sequenti, cum Commemoratione de Feria.*

FERIA SEXTA.
In Festo COMPASSIONIS B. Mariæ Virginis.

Duplex majus.

Quando Feſtum Incarnationis Domini occurrit in hac Feria, Officium Compaſſionis transfertur in Sabbatum ſequens; nec fit Commemoratio de Compaſſione in II. Veſperis Incarnationis.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 1. *toni* D.

Vox filiæ Sion intermoriéntis, expandentíſque manus ſuas. *Jer.* 4. 31.

Ant. 3. a. Lácrymæ ejus in maxíllis ejus; non eſt

qui conſolétur eam ex ómnibus caris ejus. *Thren.* 1. 2.

Ant. 8. c. Depóſita eſt veheménter, non habens conſolatórem. *Thren.* 1. 9.

Ant. 6. F. Facti ſunt hóſtes ejus in cápite; inimíci ejus locupletáti ſunt, quia Dóminus locútus eſt ſuper eam. *Thren.* 1. 5.

Ant. 4. ſ. Egréſſus eſt à filia Sion omnis decor ejus. *Thren.* 1. 6.

CAPITULUM. *Zach.* 12. 10.

PLangent eum planctu, quaſi ſuper unigénitum: & dolébunt ſuper eum, ut doléri ſolet in morte primogéniti.

℟. Filia pópuli mei, accíngere cilício, & conſpérgere cínere: * Luctum unigéniti fac tibi, planctum amárum. *Jer.* 6. 26. ℣. Tuã ipsius ánimam pertransíbit gládius. *Luc.* 2. 35. * Luctum. *Reſumitur* ℟. Filia.

HYMNUS.

DUm ſpargit aram ſánguine
Jeſus ſalútis hóſtia,
Præſens dolóris æmulum
María pectus ímmolat.

CAPUT cruéntum Filii
Matris corónat vérticem:
Clavis iiſdem figitur
Chriſtus cruci, Chriſto Parens.

O PASSIONIS mútuæ,
Jeſu, María, cónſcii!
Altérna vobis vúlnera
Inférre tandem párcite.

QUEM vos dolétis noſter eſt
Error, furórque críminum:
Totum ſcelus faténtibus,
Partem dolóris réddite.

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória;
Cum Patre, & almo Spíritu
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Uſquequò, Dómine, obliviſcéris me in finem? ℟. Uſquequò avértis fáciem tuam à me? *Pſ.* 12. 1.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Tremor apprehéndit eam: angúſtia & dolóres tenuérunt eam quaſi parturiéntem. *Jer.* 49. 24.

Oratio, Da, quæſumus, *infrà, ad Laudes, p.* 244.

Commemoratio de Feria Quadrageſimæ.

Ant. Remittúntur ei peccáta multa, quóniam diléxit multùm. *Luc.* 7. 47.

℣. Captábunt in ánimam Juſti; ℟. Et sánguinem innocéntem condemnábunt. *Pſ.* 93. 21.

Oratio.

ADéſto ſupplicatiónibus noſtris, omnípotens Deus; & quibus fidúciam ſperándæ pietátis indúlges, conſuétæ miſericórdiæ tribue benígnus effectum; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.

COMPLETORIUM, *ut ſuprà, p.* 230. *demptis Précibus.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Jeſum, juxta cujus crucem ſtabat Mater ejus, * Veníte adorémus. Joan. 19. 25.

Pſalmus, Veníte, *ritu duplici*, *ſinè* Glória Patri, *in cujus loco repetitur Invitatorium*, Jeſum.

Hymnus. Dum ſpargit, *ſuprà*, *in I Veſperis*.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Ego plorans, & óculus meus dedúcens aquas, quia longè factus eſt à me conſolátor. *Thren.* 1. 16.

Ant. 6. F. Angúſtia poſſédit me, ſicut angúſtia parturiéntis. *Iſ.* 21. 3.

Ant. 7. c. Dolor meus ſuper dolórem meum; in me cor meum mœrens. *Jer.* 8. 18.

℣. Anima mea turbáta eſt valde: ℟. Sed tu, Dómine, úſquequò? *Pſ.* 6. 4.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *c.* 8. *v.* 8. *ad* 12.

QUómodo dícitis: Sapiéntes nos ſumus, & lex Dómini nobíſcum eſt? Verè mandácium operátus eſt ſtylus mendax ſcribárũ. Confúſi ſunt ſapiéntes, pertérriti & capti ſunt: verbum enim Dómini projecérunt, & ſapiéntia nulla eſt in eis. Proptéreà dabo mulíeres eórum éxteris, agros eórum hærédibus: quia à mínimo uſque ad máximum, omnes avarítiam ſequúntur: à prophétà uſque ad ſacerdótem, cuncti fáciunt mendácium. Et ſanábant contritiónem filiæ pópuli mei ad ignomíniam, dicéntes: Pax, pax, cùm non eſſet pax. Confúſi ſunt, quia abominatiónem fecérunt. Quinímò confuſióne non ſunt confúſi, & erubéſcere neſciérunt: idcircò cadent inter corruéntes; in témpore viſitatiónis ſuæ córruent, dicit Dóminus. Jerúſalem, &c.

℟. j. Ne vocétis me Noémi, id eſt, Pulchram: ſed * Vocáte me Mara, id eſt, Amáram; quia amaritúdine valde replévit me Omnípotens. *Ruth.* 1. 20. ℣. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42. * Vocáte.

LECTIO III. *v.* 16. *ad finem.*

A Dan audítus eſt frémitus equórum ejus, à voce hinnítuum pugnatórum ejus commóta eſt omnis terra: & venérunt, & devoravérunt terram & plenitúdinem ejus, urbem & habitatóres ejus. Quia ecce ego mittam vobis ſerpéntes régulos, quibus non eſt incantátio: & mordébunt vos, ait Dóminus. Dolor meus ſuper dolórem, in me cor meum mœrens. Ecce vox clamóris filiæ pópuli mei de terra longínqua: Nunquid Dóminus non eſt in Sion, aut Rex ejus non eſt in ea? Quare ergo me ad iracúndiam concitavérunt in ſculptílibus ſuis, & in vanitátibus aliénis? Tránſiit meſſis, finíta eſt æſtas, & nos ſalváti non ſumus. Super contritióne filiæ pó-

puli mei contrítus ſum & contriſtátus, ſtupor obtínuit me. Nunquid resína non eſt in Gálaad? aut médicus non eſt ibi? Quare ígitur non eſt obdúcta cicátrix fíliæ pópuli mei? Jerúſalem, &c.

℟. *ij*. Subvérſum eſt cor meum in memetípſa, * Quóniam amaritúdine plena ſum. *Thren*. 1. 20. ℣. Bonum eſt mihi magìs mori. 1. *Cor*. 9. 15.* Quóniam.

Lectio III. *c*. 9. *v*. 17. *ad* 21.

HÆc dicit Dóminus exercítuum Deus Iſraël: Contemplámini, & vocáte lamentatríces, & véniant: & ad eas quæ ſapiéntes ſunt míttite, & próperent: feſtínent, & aſsúmant ſuper nos laméntum. Dedúcant óculi noſtri lácrymas; & pálpebræ noſtræ défluant aquis: quia vox lamentatiónis audíta eſt de Sion: Quómodo vaſtáti ſumus & confúſi veheménter! quia derelíquimus terram, quóniam dejécta ſunt tabernácula noſtra. Audíte ergo, mulíeres, verbum Dómini: & aſsúmant aures veſtræ ſermónem oris ejus: & docéte fílias veſtras laméntum, & unaquǽque próximam ſuam planctum; quia aſcéndit mors per feneſtras noſtras, ingréſſa eſt domos noſtras, diſpérdere párvulos de foris, júvenes de platéis. Jerúſalem, &c.

℟. *iij*. Oculus meus afflictus eſt, nec tácuit, * Eò quòd non eſſet réquies, donec reſpíceret & vidéret Dóminus de cœlis. *Thren*. 3. 49. 50. ℣. Triſtítia mihi magna eſt, & contínuus dolor cordi meo. *Rom*. 9. 2. * Eò quòd. *Reſumitur* ℟. Oculus.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Obtéxit calígine in furóre ſuo Dóminus fíliam Sion. *Thren*. 2. 1.

Ant. 4. a. Deſtrúxit in furóre ſuo munitiónes vírginis Juda. *Thren*. 2. 2.

Ant. 8. G. Occídit omne quod pulchrum erat viſu in tabernáculo fíliæ Sion. *Thren*. 2. 4.

℣. Ad te, Dómine, clamávi, ℟. Dum anxiarétur cor meum. *Pſ*. 60. 3.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

In Signum magnum. n. 14.

Lectio IV.

MArtýriũ Vírginis tam in Simeónis prophetía, quàm in ipſa Domínicæ Paſſiónis hiſtória commendátur. Póſitus eſt hic, ait ſanctus ſenex de párvulo Jeſu, in ſignum cui contradicétur: Et tuam ipsíus ánimam, ad Maríam autem dicébat, pertransíbit gládius. Verè tuam, ô beáta Mater! ánimam gládius pertransívit: alióquin, nonníſi eam pertránſiens, carnem fílii tui penetráret. Et quidem, póſteà quàm emíſit ſpíritum tuus ille Jeſus, ómnium quidem, ſed ſpeciáliter tuus, ipsíus planè

non

on áttigit ánimam crudélis
ıncea, quæ ipsíus, nec
ıórtuo parcens cui nocére
on poſſet, apéruit latus:
:d tuam útique ánimam
ertransívit. Ipsíus nimírùm
nima jam ibi non erat; ſed
ıa planè inde nequíbat
vélli. Tuam ergo per-
ansívit ánimam vis doló-
is: ut pluſquàm mártyrem
on immérito prædicémus,
n qua nimírùm corpóreæ
enſum paſſiónis excéſſerit
ompaſſiónis affectus.

℟. *iv.* Dedúcant óculi
nei lácrymam per noctem
t diem, & non táceant; *
Quóniam contritióne ma-
gnâ contríta eſt virgo fília
populi mei. *Jer.* 14. 17. ℣.
Si in víridi ligno hæc fá-
ciunt, in árido quid fiet?
Luc. 23. 31. * Quóniam.

LECTIO V.

ANnon tibi pluſquàm
gládius fuit ſermo ille,
reverà pertránſiens áni-
mam, & pertíngens uſque
ad diviſiónem ánimæ &
ſpíritûs, Múlier, ecce fí-
lius tuus? O commutatió-
nem! Joánnes tibi pro Je-
ſu tráditur; ſervus pro Dó-
mino; diſcípulus pro Ma-
gíſtro; fílius Zebedǽi pro
Fílio Dei; homo purus pro
Deo vero. Quómodo non
tuam affectuoſíſſimam áni-
mam pertransíret hæc audí-
tio, quando & noſtra, li-
cèt sáxea, licèt férrea pé-
ctora, recordátio ſcindit?

℟. *v.* Quare mœróre con-
tráheris? * Nunquid rex non
eſt tibi, aut conſiliárius
tuus périit? *Mich.* 4. 9. ℣.
Nónne hæc opórtuit pati
Chriſtum, & ità intráre in
glóriam ſuam? *Luc.* 24.
26. * Nunquid.

LECTIO VI.

NOn mirémini, fratres,
quòd María martyr in
ánima fuíſſe dicátur: mi-
rétur qui non memínerit
ſe audíſſe Paulum inter má-
xima Géntium crímina me-
morántem, quòd ſinè affe-
ctióne fuíſſent. Longè id
fuit à Maríæ viſcéribus:
longè id ſit étiam à sérvu-
lis ejus. Sed fortè quis di-
cat: Nunquid non eum
præſcíerat moritúrum? &
indubitánter. Nunquid non
ſperábat continuò reſurre-
ctúrum? & fidénter. Su-
per hæc dóluit crucifixum?
& veheménter. Alióquin,
quiſnam tu, frater, aut un-
de tibi hæc ſapiéntia, ut
miréris plus Maríam com-
patiéntem, quàm Maríæ
Fílium patiéntem? Ille étiā
mori córpore pótuit, iſta
cómmori corde non pótuit?
Fecit illud cáritas, quâ ma-
jórem nemo hábuit: fecit
& hoc cáritas, cui poſt il-
lam símilis áltera non fuit.

℟. *vj.* Multiplicátæ ſunt
mihi víduæ pópuli mei ſu-
per arénam maris: * In-
dúxi eis ſuper matrem ado-
leſcéntis vaſtatórem merí-
die. *Jer.* 15. 8. ℣. Beátæ
ſtériles, & ventres qui non
genuérunt, & úbera quæ
non lactavérunt! Luc. 23.
L

19. * Indúxi. *Reſumitur* ℟. Multiplicátæ.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. *d.* Decóre nimis, & amábilis ſuper amórem mulíerum, ſicut mater únicum amat fílium ſuum, ità ego te diligébam. 2. *Reg.* 1. 26.

Ant. 2. D. Fili mi, fili mi, quis mihi tríbuat ut ego móriar pro te? 2. *Reg.* 18. 33.

Ant. 7. c. Prǽcipe, Dómine, in pace récipi ſpíritum meum: éxpedit enim mihi mori, magis quàm vívere. *Tob.* 3. 6.

℣. In umbra alárum tuárum ſperábo, Dómine, ℟. Donec tránſeat iníquitas. *Pſ.* 56. 2.

De Libro Cántici canticórum.

LECTIO VII. *c.* 3. *v.* 1. *ad* 4.

PEr noctes quæſívi quem díligit ánima mea: quæſívi illum, & non invéni. Surgam, & circuíbo civitátem: per vicos & platéas quæram quem díligit ánima mea: quæſívi illum, & non invéni. Invenérunt me vígiles qui cuſtódiunt civitátem: Num quem díligit ánima mea, vidíſtis? Paúlulùm cùm pertranſíſſem eos, invéni quem díligit ánima mea. Ténui eum, nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ, & in *cubiculum* genitrícis meæ.

℟. *vij.* Ego derelícta ſum ſola, * Exui me ſtolâ pacis, índui autem me ſacco obſecratiónis. *Bar.* 4. 19. 20. ℣. Erat hora tértia, & crucifixérunt Jeſũ. *Marc.* 15. 25. * Exui.

LECTIO VIII. *c.* 5. *v.* 5. *ad* 8.

SUrréxi, ut aperírem dilécto meo: manus meæ ſtillavérunt myrram, & digiti mei pleni myrrâ probatíſſima. Péſſulum óſtii mei apérui dilécto meo: at ille declináverat atque tranſíerat. Anima mea liquefácta eſt, ut locútus eſt: quæſívi, & non invéni illum: vocávi, & non reſpóndit mihi. Invenérunt me cuſtódes qui círcumeunt civitátem: percuſſérunt me, & vulneravérunt me; tulérunt pállium meum mihi cuſtódes murórum. Adjúro vos, fíliæ Jeruſalem, ſi invenéritis diléctum meũ, ut nuntiétis ei quia amóre lángueo.

℟. *viij.* Reſpíciat Dóminus afflictiónem meã, & * Reddat mihi Dóminus bonum, pro maledictióne hac hodiérna. 2. *Reg.* 16. 12. ℣. Prætereúntes blaſphemábant Jeſum movéntes cápita ſua. *Matt.* 27. 39. * Reddat.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO IX. *c.* 19. *v.* 25. *ad* 27.

Maria juxta crucem.

STabant juxta crucem Jeſu Mater ejus, & ſoror Matris ejus, María Cléo-

phæ, & María Magdaléne. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

De Inſtit. Virg. n. 48. 49.

CLaúdite ora, impii; aperíte aures, pii: audíte quid Chriſtus loquátur. Teſtátur de cruce Dóminus Jeſus, & paulíſper públicam differt ſalútem, ne Matrem inhonóram relínquat. Subſcríbitur Joánnes in teſtaménto Chriſti: legátur matri pudóris deffénſio, teſtimónium integritátis: legátur & diſcípulo matris cuſtódia, pietátis grátia: & ex illo ſuſcépit eam diſcípulus in ſua. Non útique Chriſtus faciébat divórtium, non María relinquébat virum: ſed cum quo Virgo habitáre debébat, quàm cum eo quem Fílii hærédem, integritátis ſciret eſſe cuſtódem? Stabat ante crucem Mater, & fugiéntibus viris ſtabat intrépida. Vidéte utrùm pudórem mutáre potúerit Mater Jeſu, quæ ánimum non mutávit. Spectábat piis óculis Fílii vúlnera, per quem ſciébat ómnibus futúram redemptiónem. Stabat non degéneri Mater ſpectáculo, quæ non metuébat peremptórem. Pendébat in cruce Fílius: Mater ſe perſecutóribus offerébat. Si hoc ſolùm eſſet ut ante Fílium proſternerétur, laudándus pietátis affèctus, quòd ſupérſtes Fílio eſſe nolébat. Sin verò, ut cum Fílio morerétur, cum eódem geſtiébat resúrgere, non ignára myſtérii, quòd genuíſſet reſurrectúrum.

℟. *ix.* Supra modum Mater mirábilis * Bono ánimo ferébat, propter ſpem quam in Deum habébat. 2. *Mach.* 7. 20. ℣. Stabat juxta crucem Jeſu Mater ejus. *Joan.* 19. 25. * Bono. *Reſumitur* ℟. Supra modum.

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Quándiu ponam consília in ánima mea? ℟. Dolórem in corde meo per diem? *Pſ.* 12. 2.

Ant. 5. C. Quò ábiit diléctus tuus, ô pulchérrima mulíerum! quò declinávit diléctus tuus? *Cant.* 5. 17.

Ant. 1. f. Effúnde ſicut aquam cor tuum ante conſpéctum Dómini, leva ad eum manus tuas. *Thren.* 2. 19.

Ant. 8. c. Magna eſt velut mare contrítio tua: quis medébitur tuî? *Thren.* 2. 13.

Ant. 2. D. Perſecútus eſt.

CANTICUM JEREMIÆ.

Thren. c. 2. *v.* 1. *ad* 4.

Carmen flebile de filia Sion deſolata.

QUómodo obtéxit calígine in furóre ſuo Dóminus * fíliam Sion!

Projécit de cœlo in terram * ínclytam Iſraël:

Et non eſt recordátus ſcabélli pedum ſuórum, * in die furóris ſui.

Præcipitávit Dóminus, nec pepércit, * ómnia ſpecióſa Jacob:

Deſtrúxit in furóre ſuo munitiónes vírginis Juda, * & dejécit in terram.

Pólluit regnum, * & príncipes ejus.

Confrégit in ira furóris ſui * omne cornu Iſraël:

Avértit retrórsùm déxteram ſuam, * à fácie inimíci:

Et ſuccéndit in Jacob quaſi ignem flammæ * devorántis in gyro.

Teténdit arcum ſuum, quaſi inimícus; * firmávit déxteram ſuã, quáſi hóſtis:

Et occídit omne quod pulchrum erat viſu, * in tabernáculo filiæ Sion.

Effúdit quaſi ignem * indignatiónem ſuam.

Ant. Perſecútus eſt te inimícus tuus; ſed citò vidébis perditiónem ipsius. *Bar.* 4. 25.

Ant. 4. D. Nocéntes períbunt, qui te vexavérunt: & qui gratuláti ſunt in tua ruína, puniéntur. *Bar.* 4. 31.

CAPITULUM. *Jer.* 15. 11.

DIcit Dóminus: Si non relíquiæ tuæ in bonum: ſi non occúrri tibi in témpore afflictiónis, & in témpore tribulatiónis, advérsùs inimícum?

HYMNUS.

ILLÆSA te, Puérpera,
Non fécerat matrem dolor:
Naſcénte quem neſcíveras,
Orbáta ſentis Fílio.

DUM te ſalútat últimùm,
Natóque tradit álteri,
Natúmque tradit álterum,
In morte Chriſtum párturis.

NON ejulántem cérnimus,
Non ungue velléntem comas;
Siléntſque plus novit pati
Virtus dolóre fórtior.

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre, & almo Spíritu
In ſempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Quando conſoláberis me, Dómine? ℟. Quando fácies de perſequéntibus me judícium? *Pſ.* 118. 82. 84.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. G. Cui comparábo te, vel cui aſſimilábo te, fília Jerúſalem? Cui exæquábo te, & conſolábor te, virgo fília Sion? *Thren.* 2. 13.

Oratio.

DA, quǽſumus, Dómine, córdibus noſtris íntimum veræ pietátis afféctum; ut in Fílii tui Paſſióne ſanctíſſimæ Matri ejus dignè compatiéntes, ſalutáris myſtérii fructum percípere mereámur; Per eúmdem Dóminum.

Commemoratio de Feria Quadrageſimæ.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Cap. 11. *v.* 47. *ad* 54.

Mortem Jeſu Judæi ſtatuunt.

COllegérunt Pontífices & Pharisǽi consílium, & dicébant: Quid fácimus,

quia hic homo multa ſigna facit? Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Tract. 49.

DIcébant: Quid fácimus? nec tamen dicébant: Credámus. Plus enim pérditi hómines cogitábant quómodo nocérent & pérderent, quàm quómodo ſibi conſúlerent, ne perírent. Et tamen timébant, & quaſi conſulébant. Dicébant enim: Quid fácimus, quia hic homo multa ſigna facit? ſi dimíttimus eum ſic, omnes credent in eum: & vénient Románi, & tollent noſtrum locum & géntem. Temporália pérdere timuérunt, & vitam ætérnam non cogitavérunt, ac ſic utrúmque amiſérunt. Nam & Románi poſt Dómini paſſiónẽ & glorificatiónem, tulérunt eis & locum & gentem, expugnándo & transferéndo, & illud eos ſéquitur quod álibi dictum eſt: Fílii autẽ regni hujus ibunt in ténebras exterióres.

Ant. Exhonorávit Dóminus convéntus malórum, & deſtrúxit eos uſque in finem. *Eccli.* 10. 16.

℣. Inténde ánimæ meæ, Dómine; ℟. Et líbera eam. *Pſ.* 68. 19.

Oratio.

DEus, qui peccáti véteris hæreditáriam mortem, Fílii tui Paſſióne ſolvíſti; concéde, ut qui pro *ómnibus mórtuus eſt*, in ómnes abundántiam grátiæ & juſtificatiónis effúndat, idem Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter; Qui tecum vivit & regnat.

AD PRIMAM.

Ant. Quò ábiit.

CAPITULUM. *Mich.* 7. 9. 10.

EDúcet me Dóminus in lucem; vidébo juſtítiam ejus: & aſpíciet inimíca mea, & operiétur confuſióne, quæ dicit ad me: Ubi eſt Dóminus Deus tuus?

In ℟. *brevi.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matt.* 1. 16. *Non dicitur* Glória Patri; *ſed reſumitur* ℟. *Et ſic in aliis Horis.*

AD TERTIAM.

Ant. Effúnde.

CAPITULUM. *Cant.* 8. 6.

FOrtis eſt ut mors diléctio, dura ſicut inférnus æmulátio, lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

℟. *breve.* Cor meum conturbátum eſt; * Dereliquit me virtus mea. ℟. Cor meum. ℣. Lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum. * Dereliquit. *Reſumitur* ℟. Cor meum. *Pſ.* 37. 11.

℣. Effúndo in conſpéctu ejus oratiónem meam; ℟. Et tribulatiónem meã ante ipſum pronúntio. *Pſ.* 141. 3.

AD SEXTAM.

Ant. Magna eſt.

CAPITULUM. *Iſ.* 50. 2.

NUnquid abbreviáta & párvula facta eſt manus mea, dicit Dóminus,

ut non poſſim redímere? aut non eſt in me virtus ad liberándum?

℟. *breve.* Tribulatiónem * Et dolórem invéni. ℟. Tribulatiónem. ℣. Et nomen Dómini invocávi. * Et dolórem. *Reſumitur* ℟. Tribulatiónem. *Pſ.* 114. 3. 4.

℣. O Dómine! líbera ánimam meam; ℟. Miséricors Dóminus & juſtus. *Pſ.* 114. 4. 5.

AD NONAM.

Ant. Nocéntes.

CAPITULUM. *Iſ.* 49. 26.

Cibábo hoſtes tuos cárnibus ſuis, dicit Dóminus; & quaſi muſto, sánguine ſuo inebriabúntur, & ſciet omnis caro quia ego Dóminus ſalvans te, & redémptor tuus Fortis Jacob.

℟. *breve.* Uſquequò, Deus, * Improperábit inimícus? ℟. Uſquequò. ℣. Irrítat adversárius nomen tuum in finem? * Improperábit. *Reſumitur* ℟. Uſquequò. *Pſ.* 73. 10.

℣. Da impérium tuum Púero tuo: ℟. Et ſalvum fac Fílium Ancíllæ tuæ. *Pſ.* 85. 16.

AD VESPERAS.

Ant. 1. D. O vos omnes qui transítis per viam, atténdite, & vidéte ſi eſt dolor ſicut dolor meus. *Thren.* 1. 12.

Ant. 2. D. Nunquid oblivíſci poteſt múlier infántem ſuum, ut non miſereátur fílio úteri ſui? *Iſ.* 49. 15.

Ant. 7. d. Interióra mea efferbuérunt abſque ulla réquie; prævenérunt me dies afflictiónis. *Job.* 30. 27.

Ant. 8. c. Inundavérunt aquæ ſuper caput meum; dixi: Périi; invocávi nomen tuum, Dómine. *Thren.* 3. 54. 55.

Ant. 6. F. Hæc eſt hæréditas ſervórum Dómini, & juſtítia eórum apud me, dicit Dóminus. *Iſ.* 54. 17.

CAPITULUM. *Thren.* 1. 21.

OMnes inimíci mei audiérunt malum meum, Dómine; lætáti ſunt, quóniam tu fecíſti: adduxíſti diem conſolatiónis, & fient símiles mei.

Hymnus. Illǽſa te, Puérpera, *ſuprà, ad Laudes, p.* 244.

℣. Edúces, Dómine, de tribulatióne ánimam meã; ℟. Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam. *Pſ.* 142. 11. 12

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Dicit Jeſus Matri ſuæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit diſcípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam diſcípulus in ſua. *Joan.* 19. 26. 27.

Commemoratio de Feria Quadrageſimæ.

Ant. Cáiphas, cùm eſſet Póntifex anni illíus, prophetávit quòd Jeſus moritúrus erat pro gente. *Joan.* 11. 51.

℣. Captábunt in ánimam Juſti; ℟. Et sánguinem in-

nocéntem condemnábunt. *Pſ.* 93. 21.

Oratio.

DEus, humáni géneris Cónditor & Redémptor, da, quæſumus, ut per Paſſiónis tuæ méritum, ſalútis colláta ſubsídia plenam in nobis ſanctificatiónem operéntur; Qui vivis & regnas.

COMPLETORIUM, *ut ſuprà, p.* 230. *demptis Precibus.*

SABBATO.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *c.* 10. *v.* 6. *ad* 13.

NOn eſt símilis tuî, Dómine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitúdine. Quis non timébit te, ô Rex Géntium? tuum eſt enim decus: inter cunctos ſapiéntes Géntium, & in univérſis regnis eórum nullus eſt símilis tuî. Páriter inſipiéntes & fátui probabúntur: doctrína vanitátis eórum lignum eſt. Argéntum involútũ de Tharſis affértur, & aurum de Ophaz: opus artíficis, & manus ærárii: hyacínthus & púrpura induméntum eórum: opus artíficum univérſa hæc. Dóminus autem Deus verus eſt: ipſe Deus vivens & Rex ſempitérnus: ab indignatióne ejus commovébitur terra: & non ſuſtinébunt Gentes comminatiónẽ ejus. Sic ergo dicétis eis: Dii qui cœlos & terram non fecérunt, péreant de terra, & de his quæ ſub cœlo ſunt. Qui facit terram in fortitúdine ſua, prǽparat orbem in ſapiéntia ſua, & prudéntiâ ſuâ exténdit cœlos. Ad vocem ſuam dat multitúdinem aquárum in cœlo; & élevat nébulas ab extremitátibus terræ: fúlgura in plúviam facit, & edúcit ventum de theſaúris ſuis. Jerúſalem, &c.

℟. *j.* Oſtendiſti, *p.* 222.

LECTIO II. *v.* 14. *ad* 21.

STultus factus eſt omnis homo à ſciéntia, confúſus eſt ártifex omnis in ſcúlptili: quóniam falſum eſt quod conflávit, & non eſt ſpíritus in eis. Vana ſunt, & opus riſu dignum: in témpore viſitatiónis ſuæ períbunt. Non eſt his símilis pars Jacob; qui enim formávit ómnia, ipſe eſt; & Iſraël virga hæreditátis ejus: Dóminus exercítuum nomen illi. Cóngrega de terra confuſiónem tuam, quæ hábitas in obſidióne; quia hæc dicit Dóminus: Ecce ego longè projíciam habitatóres terræ in hac vice, & tribulábo eos, ità ut inveniántur. Væ mihi ſuper contritióne mea, péſſima plaga mea. Ego autem dixi: Planè hæc infírmitas mea eſt, & portábo illam. Tabernáculum meum vaſtátum eſt, omnes funículi mei dirúpti ſunt, filii mei exiérunt à me, & non ſubſíſtunt; non eſt qui exténdat ultrà tentórium meum, &

érigat pelles meas. Quia ſtultè egérunt paſtóres, & Dóminum non quæſiérunt: proptéreà non intellexérunt, & omnis grex eórum diſpérſus eſt. Jeruſalem, &c.

℟. *ij.* Ipſe vulnerátus, *p.* 223.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Joánnem.

Lectio III. *c.* 12. *v.* 10. *ad* 36.

Jeſus Jeruſalem ingreditur.

COgitavérunt Príncipes Sacerdótum, ut & Lázarum interficerent. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 52. *n.* 12. 13.

MEmóriter tenuérunt Judæi, quod Dóminus dicébat aſſíduè, ſe eſſe Fílium hóminis. Et quod nunc ait: Cùm exaltátus fúero à terra, mortem crucis intelligéntes, quæſiérunt ab illo, & dixérunt: Nos audívimus ex Lege, quia Chriſtus manet in ætérnum: & quómodo tu dicis: Opórtet exaltári Fílium hóminis? Quis eſt enim iſte Fílius hóminis? Si enim Chriſtus eſt, ínquiunt, manet in ætérnum. Si manet in ætérnũ, quómodo exaltábitur à terra? id eſt, quómodo crucis paſſióne moriétur? Hoc enim eum dixiſſe intelligébant quod fácere cogitábant. Dixit ergo eis Jeſus; Adhuc módicum lumen in vobis eſt, hinc eſt quòd intellígitis, quia Chriſtus manet in ætérnum: ergo ambuláte, dum lucem habétis, ut non ténebræ vos comprehéndant. Ambuláte, accédite, totum intellígite, & moritúrum Chriſtum, & victúrum in ætérnum: & sánguinem fuſúrum quo rédimat, & aſcenſúrum in ſublímia quò perdúcat.

℟. *iij.* Nolíte elevári, quia Dóminus locútus eſt. * Date Dómino Deo veſtro glóriam, ántequàm contenebréſcat. *Jer.* 13. 15. 16. ℣. Ambuláte, dum lucem habétis, ut non vos ténebræ comprehéndant. *Joan.* 12. 35. * Date. *Reſumitur* ℟. Nolíte.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. G. Nisì granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mórtuum fúerit, multum fructũ affert. *Joan.* 12. 24. 25.

Oratio.

DA, miséricors Deus, ut quod in Fílii tui Paſſióne mundus exércuit, ſalutáre nobis fidéliter ſentiámus; Per eúmdem Dóminum.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Sabbato præcedenti, p. 217.

Capitulum. 2. *Eſdr.* 8. 15.

EGredímini in montem, & afférte frondes olívæ, & frondes ligni pul-

chérrimi, frondes myrti, & ramos palmárum, & frondes ligni nemoróſi.

℟. Exúlta ſatis, filia Sion: Júbila, filia Jerúſalem: Ecce Rex tuus véniet tibi, juſtus & ſalvátor, * Ipſe pauper, & aſcéndens ſuper áſinam, & ſuper pullum filium áſinæ. *Zach.* 9. 9. ℣. Dícite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuétus. *Matt.* 21. 5. * Ipſe. *Reſumitur* ℟. Exúlta.

Hymnus. Fando, *p.* 218.

℣. Dixi: Ecce vénio; ℟. Ut fácerem, Deus, voluntátem tuam. *Pſ.* 39. 8. 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. f. Dico vobis, quia non vidébitis me, donec véniat cùm dicétis: Benedíctus qui venit in nómine Dómini. *Luc.* 13. 35.

Non dicuntur Preces.

Oratio.

REminíſcere miſeratiónum tuárum, Dómine; & fámulos tuos ætérnâ protectióne ſanctífica, pro quibus Jeſus Chriſtus Fílius tuus, per ſuum cruórem nobis inſtítuit Paſchále myſtérium; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs, &c.

A Dominica in Palmis ad Dominicam poſt Albas incluſivè, non fit de ullo Feſto duplici, ſed ejus Officium transfertur poſt Hebdomadam Paſcha.

De Semiduplicibus & Simplicibus fit tantùm Commemoratio uſque ad Feriam V. in Cœna Domini excluſivè.

COMPLETORIUM, *ut ſuprà, p.* 230. *demptis Precibus.*

DOMINICA
IN RAMIS PALMARUM.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Chriſtum Jeſum qui dedit redemptiónem ſemetípſum pro ómnibus, * Veníte adorémus. 1. *Tim.* 2. 5. 6.

Pſalmus. Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus. Lugéte, mœſtis cántibus, *p.* 226.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Quis audívit tália horribília, quæ fecit nimis virgo Iſraël? *Jer.* 18. 13.

Ant. 2. D. Omnia quæ lóquitur pópulus iſte, conjurátio eſt. *Iſ.* 8. 12.

Ant. 6. F. Conſília impiórum fraudulénta, verba impiórum inſidiántur ſánguini. *Prov.* 12. 5. 6.

℣. Décidant à cogitatiónibus ſuis, Dómine; ℟. Secúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos. *Pſ.* 5. 11.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *c.* 11. *v.* 15. *ad* 20.

QUid eſt quòd diléctus meus in domo mea fecit ſcélera multa? Nunquid carnes ſanctæ aúferent à te malítias tuas in quibus gloriáta es? Olívam úberem, pulchram, fructíferam, ſpecióſam, vocávit Dóminus nomen tuum: ad vocem loquélæ, grandis exárſit ignis in ea, & combúſta ſunt frutéta ejus. Et Dóminus exercítuum qui plantávit te, locútus eſt ſuper te malum, pro malis domûs Iſraël & domûs Juda, quæ fecérunt ſibi ad irritándum me, libántes Báalim. Tu autem, Dómine, demonſtráſti mihi, & cognóvi: tunc oſtendíſti mihi ſtúdia eórum; & ego quaſi agnus manſuétus qui portátur ad víctimam: & non cognóvi quia cogitavérunt ſuper me consília, dicéntes: Mittámus lignum in panem ejus, & eradámus eum de terra vivéntium, & nomen ejus non memorétur ámpliùs. Tu autem, Dómine Sábaoth, qui júdicas juſtè, & probas renes & corda, vídeam ultiónem tuã ex eis: tibi enim revelávi cauſam meam. Jerúſalem, &c.

℞. *j.* Exténdit manum Abraham, & arrípuit gládium, * Ut immoláret fílium ſuum. *Gen.* 22. 10. ℣. *Sic Deus* diléxit mundum, *ut Filium* ſuum unigénitum daret. *Joan.* 3. 16.* Ut immoláret.

LECTIO II. *c.* 12. *v.* 7. *ad* 13.

RElíqui domum meam, dimíſi hæreditátem meam: dedi diléctam ánimam meam in manu inimicórum ejus. Facta eſt mihi hæréditas mea quaſi leo in ſylva: dedit contra me vocem, ídeò odívi eam. Nunquid avis díſcolor hæréditas mea mihi? Nunquid avis tincta per totum? Veníte, congregámini, omnes béſtiæ terræ, properáte ad devorándum. Paſtóres multi demolíti ſunt víneam meam, conculcavérunt partem meam: dedérunt portiónem meam deſiderábilem in deſértum ſolitúdinis. Poſuérunt eam in diſſipatiónem, luxítque ſuper me: deſolatióne deſoláta eſt omnis terra, quia nullus eſt qui recógitet corde. Super omnes vias deſérti venérunt vaſtatóres, quia gládius Dómini devorábit, ab extrémo terræ uſque ad extrémum ejus: non eſt pax univérſæ carni. Seminavérunt tríticum, & ſpinas meſſuérunt: hæreditátem accepérunt, & non eis próderit: confundémini à frúctibus veſtris, propter iram furóris Dómini. Jerúſalem, &c.

℞. *ij.* Ait rex David Abíſai & univérſis ſervis ſuis: * Ecce fílius meus qui egréſſus eſt de útero meo, quæ-

rit ánimam meam. 2. *Reg.* 16. 11. ℣. Unus de Duódecim, qui dicebátur Judas Iſcariótes, quærébat opportunitátem, ut Jeſum tráderet. *Matt.* 26. 16. * Ecce.

Lectio III. *c.* 17. *v.* 13. *ad* 18.

EXpectátio Iſraël, Dómine, omnes qui te derelínquunt, confundéntur: recedéntes à te, in terra ſcribéntur: quóniam dereliquérunt venam aquárum vivéntium Dóminum. Sana me, Dómine, & ſanábor, ſalvum me fac, & ſalvus ero: quóniam laus mea tu es. Ecce ipſi dicunt ad me: Ubi eſt verbum Dómini? Véniat. Et ego non ſum turbátus, te Paſtórem ſequens: & diem hóminis non deſiderávi, tu ſcis. Quod egréſſum eſt de lábiis meis, rectum in conſpéctu tuo fuit. Non ſis tu mihi formídini, ſpes mea tu in die afflictiónis. Confundántur qui me perſequúntur, & non confúndar ego: páveant illi, & non páveam ego: induc ſuper eos diem afflictiónis, & dúplici contritióne cóntere eos. Jerúſalem, &c.

℟. iij. Ait Jeremías ad omnes Príncipes, & ad univérſum pópulum, dicens: * Dóminus miſit me, ut prophetárem ad domum iſtam, & ad civitátem hanc, ómnia verba quæ audíſtis. *Jer.* 26. 12. ℣. Quæritis me interfícere, hóminem qui veritátem vobis locútus ſum. *Joan.* 8. 40. * Dóminus. *Reſumitur* ℟. Ait.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. *F.* Quómodo facta eſt méretrix cívitas fidélis, plena judícii! *Iſ.* 1. 21.

Ant. 7. d. Juſtítia habitávit in ea; nunc autem homicídæ. *Iſ.* 1. 21.

Ant. 5. a. Ecce verbum Dómini factum eſt eis in oppróbrium. *Jer.* 6. 10.

℣. Ecce cepérunt ánimam meam; ℟. Irruérunt in me fortes. *Pſ.* 58. 4.

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio IV. *c.* 2. *v.* 1. *ad* 11.

DIxérunt cogitántes apud ſe non rectè: Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigérium in fine hóminis, & non eſt qui ágnitus ſit revérſus ab ínferis: quia ex níhilo nati ſumus, & poſt hoc érimus tanquã non fuérimus: quóniam fumus flatus eſt in náribus noſtris, & ſermo ſcintílla ad commovéndum cor noſtrum: quâ extínctâ, cinis erit corpus noſtrum, & ſpíritus diffundétur tanquã mollis aër, & transíbit vita noſtra tanquam veſtígium nubis, & ſicut nébula diſſolvétur, quæ fugáta eſt à rádiis ſolis, & à calóre illíus aggraváta: & nomen noſtrum obliviónem accípiet per tempus, & nemo memóriam habébit óperum noſtrórum. Umbræ enim tránſitus eſt tempus noſtrũ,

& non eſt revérſio finis noſtri : quóniam conſignáta eſt, & nemo revértitur. Veníte ergo, & fruámur bonis quæ ſunt, & utámur creatúrâ tanquam in juventúte celériter. Vino pretióſo & unguéntis nos impleámus : & non prætéreat nos flos témporis. Coronémus nos roſis, ántequàm marcéſcant : nullum pratum ſit, quod non pertránſeat luxúria noſtra. Nemo noſtrûm exors ſit luxúriæ noſtræ : ubíque relinquámus ſigna lætítiæ : quóniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Opprimámus paúperem juſtum, & non parcámus víduæ, nec veteráni revereámur canos multi témporis. Sit autem fortitúdo noſtra lex juſtítiæ : quod enim infirmum eſt, inútile invenítur.

℟. *iv.* Loquímini ad univérſum cœtum filiórum Iſraël, & dícite eis : * Décimâ die menſis hujus, tollat unuſquíſque agnum per famílias & domos ſuas. *Exod.* 12. 3. ℣. Nolíte putáre quóniam veni sólvere Legem aut Prophétas ; non veni sólvere, ſed adimpléré. *Matt.* 5. 17. * Décimâ.

Lectio V. *v.* 12. *ad* 20.

Circumveniámus ergo Juſtum, quóniam inútilis eſt nobis, & contrárius eſt opéribus noſtris, & impróperat nobis peccáta Legis, & diffámat in nos peccáta diſciplínæ noſtræ. *Promíttit ſe ſciéntiam* Dei habére, & Fílium Dei ſe nóminat. Factus eſt nobis in traductiónem cogitatiónum noſtrárum. Gravis eſt nobis étiam ad vidéndum, quóniam diſſímilis eſt áliis vita illíus, & immutátæ ſunt viæ ejus. Tanquam nugáces æſtimáti ſumus ab illo, & ábſtinet ſe à viis noſtris, tanquam ab immundítiis, & præfert noviſſima juſtórum, & gloriátur patrem ſe habére Deum. Videámus ergo ſi ſermónes illíus veri ſint, & tentémus quæ ventúra ſunt illi, & ſciémus quæ erunt noviſſima illíus. Si enim eſt verus Fílius Dei, ſuſcípiet illum, & liberábit eum de mánibus contrariórum. Contuméliâ & torménto interrogémus eum, ut ſciámus reveréntiam ejus, & probémus patiéntiam illíus. Morte turpiſſimâ condemnémus eum : erit enim ei reſpéctus ex ſermónibus illíus.

℟. *v.* Servábitis agnum uſque ad quartamdécimam diem menſis hujus : * Immolabítque eum univérſa multitúdo filiórum Iſraël. *Exod.* 12. 6. ℣. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. *Joan.* 1. 29. * Immolabítque.

Lectio VI. *v.* 21. *ad finem.*

Hæc cogitavérunt, & erravérunt : excœcávit enim illos malítia eórum. Et neſciérunt ſacraménta

neque mercédem ſpe-
unt juſtítiæ, nec judi-
unt honórem animá-
ſanctárum. Quóniam
creávit hóminem in-
minábilem, & ad imá-
n ſimilitúdinis ſuæ fe-
lum. Invídiâ autem
li mors introívit in
n terrárum : imitán-
utem illum qui ſunt
rte illíus.
vj. Erit ſanguis vo-
ſignum, in ædibus in
is éritis ; & * Vidébo
inem , & tranſíbo
necerit in vobis plaga
rdens. *Exod.* 12. 13.
iſtificáti in ſánguine
ti, ſalvi érimus ab ira
ſum. *Rom.* 5. 9. * Vi-
Reſumitur ℟. Erit.
II. NOCTURNO.
t. 4. c. Spíritus oris
i Chriſtus Dóminus
s eſt in peccátis no-
Thren. 4. 20.
t. 7. b. Nos putávi-
eum quaſi lepróſum ,
rcúſſum à Deo , &
liátum. *Iſ.* 53. 4.
t. 1. a. Oblátus eſt ,
ipſe vóluit ; & non
it os ſuum. *Iſ.* 53. 7.
Fodérunt manus meas
es meos ; ℟. Dinume-
unt ómnia oſſa mea.
1. 18.
ſanĉti Leónis Papæ.
ECTIO VII.
n. 60. *De Paſſ. Dom.*
11. *Cap.* 1.
eſideráta nobis, dile-
ctiſſimi , & univérſo
ilis mundo adeſt Feſti-
vitas Domínicæ Paſſiónis ,
quæ nos , inter exultatió-
nes ſpirituálium gaudió-
rum , ſilére non pátitur :
quia etſi difficile eſt de
eádem Solemnitáte ſæpiùs ,
dignè aptéque diſsérere ,
non eſt tamen líberum Sa-
cerdóti in tanto divínæ
miſericórdiæ ſacraménto ,
fidélis pópuli aúribus ſub-
tráhere ſermónis officium :
cùm ipſa matéria , ex eò
quòd eſt ineffábilis , fandi
tríbuat facultátem ; nec poſ-
ſit defícere quod dicátur ,
dum nunquam poteſt ſatìs
eſſe quod dícitur. Quid au-
tem inter ómnia ópera Dei ,
in quibus humánæ admi-
ratiónis fatigátur inténtio ,
ità contemplatiónem men-
tis noſtræ, & obléctat, & sú-
perat , ſicut Páſſio Salvató-
ris ? de cujus omnipoténtia ,
quæ ei cum Patre unius &
æquális eſséntiæ eſt , quó-
ties , ut póſſumus , cogi-
támus , mirabílior nobis
fit in Deo humílitas quàm
potéſtas : & difficíliùs
cápitur divínæ majeſtátis
exinanítio , quàm ſervílis
formæ in ſumma provéc-
tio.

℟. *vij.* Fecit Móyſes ſer-
péntem æneum , * Et pó-
ſuit eum pro ſigno , quem
cùm percúſſi aſpícerent ,
ſanabántur. *Num.* 21. 9.
℣. Próprio Fílio ſuo non
pepércit Deus, ſed pro no-
bis ómnibus trádidit il-
lum. *Rom.* 8. 32. * Et
póſuit.

LECTIO VIII. *c.* 3.

CHriſtus, ut humánum genus vínculis mortíferæ prævaricatiónis absólveret, & ſæviénti diábolo poténtiam ſuæ majeſtátis occúluit, & infirmitátem noſtræ humilitátis objécit. Si enim crudélis & ſupérbus inimícus, consílium misericórdiæ Dei noſſe potuíſſet, Judæórum ánimos, manſuetúdine pótiùs temperáre, quàm injúſtis ódiis ſtuduíſſet accéndere: ne ómnium captivórum amítteret ſervitútem, dum nihil ſibi debéntis perséquitur libertátem. Feféllit ergo illum malígnitas ſua: íntulit ſupplícium Fílio Dei, quod cunctis fíliis hóminum in remédium verterétur. Fudit sánguinem juſtum, qui reconciliándo mundo & prétium eſſet & póculum. Suſcépit Dóminus quod ſecúndùm propóſitum ſuæ voluntátis elégit. Admíſit in ſe ímpias manus furéntium, quæ, dum próprio incúmbunt ſcéleri, famulátæ ſunt Redemptóri. Cujus étiam circa interfectóres ſuos tanta erat pietátis affectio, ut de cruce súpplicans Patri, non ſe vindicári, ſed illis poſtuláret ignóſci.

℟. *viij*. Confirmábit pactum multis hebdómada una; & * In médio hebdómadis, defíciet hóſtia & ſacrifícium. *Dan.* 9. 27. ℣. Reprobátio fit præcedéntis mandáti, propter infirmitátem ejus & inutilitátem. *Hebr.* 7. 18. * In médio.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

LECTIO IX. *c.* 21. *v.* 1. *ad* 9.

Triumphalis ingreſſus Chriſti in Jeruſalem.

CUm appropinquáſſent Jerosólymis, & veníſſent Béthphage ad montem Olivéti, tunc Jeſus miſit duos diſcípulos. Et réliqua.

Homília ſancti Juſtini Mártyris.

Apolog. 1. *ad Anton. Pium. An.* 150. *n.* 32.

EX omni hóminum génere expéctant Chriſtum in Judæa crucifixum, poſt quem ſtatim bello capta Judæórum terra vobis trádita eſt. Iſtud porrò: Ligans ad vitem pullum ſuum, & lavans in sánguine uvæ ſtolam ſuam, sýmbolum erat, res ſigníficans partim Chriſto eventúras, partim ab ipſo geréndas. Nam pullus quidam áſinæ ſtabat in quodam intróitu vici ad vitem alligátus: quem, cùm ſibi à diſcípulis tunc addúci juſsíſſet, addúctum conſcéndit, eíque inſidens Jerosólymam ingréſſus eſt, ubi máximum Judæórum Templum erat, quod póſteà à vobis evérſum eſt. Ac póſteà in crucem actus eſt, ut quod réliquum erat Prophetíæ explerétur. Nam illud: Lavans in sánguine uvæ ſto-

lam ſuam, Paſſiónem illam prænuntiábat, quam erat paſsúrus, sánguine eos éxpians, qui ipſi credunt.

℟. *ix.* O Dómine, ſalvum me fac, ô Dómine, benè proſperáre! * Benedíctus qui venit in nómine Dómini. *Pſ.* 117. 25. 26. ℣. Hosánna Fílio David. *Matt.* 21. 9. * Benedíctus. *Reſumitur* ℟. O Dómine.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Laudans invocábo Dóminum; ℟. Et ab inimícis meis ſalvus ero. *Pſ.* 17. 4.

Ant. 7. G. Vide, Dómine, afflictiónem meam, quóniam eréctus eſt inimícus. *Thren.* 1. 9.

Ant. 4. f. Collégit furórem ſuum in me, & cómminans mihi, infrémuit contra me déntibus ſuis. *Job.* 16. 10.

Ant. 3. a. Aperuérunt ſuper me ora ſua, & exprobrántes percuſsérunt maxíllam meam. *Job.* 16. 11.

Ant. 6. F. Vidíſti.

CANTICUM ZACHARIÆ. *c.* 9. *v.* 9. *ad* 12.

Prænuntiatur Chriſti triumphantis ingreſſus in Jeruſalem.

EXúlta ſatis, fília Sion; * júbila, fília Jerúſalem.

Ecce Rex tuus véniet tibi * Juſtus & Salvátor:

Ipſe pauper & aſcéndens ſuper áſinam, * & ſuper pullum fílium áſinæ.

Et diſpérdam quadrígam ex Ephraim, * & equum de Jerúſalem;

Et diſſipábitur arcus belli; * & loquétur pacem Géntibus;

Et poteſtas ejus à mari uſque ad mare, * & à flumínibus uſque ad fines terræ.

Tu quoque in sánguine teſtaménti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, * in quo non eſt aqua.

Convertímini ad munitiónem, vincti ſpei; * hódie quoque annúntians duplícia reddam tibi.

Ant. Vidíſti, Dómine, iniquitátem illórum advérsùm me: júdica judícium meum. *Thren.* 3. 59.

Ant. 8. G. Elevátor meus, & refúgium meum; Salvátor meus, de iniquitáte liberábis me. 2. *Reg.* 22. 3.

CAPITULUM. 2. *Philipp.* 2. 5. 6. 7.

HOc ſentíte in vobis quod & in Chriſto Jeſu; qui cùm in forma Dei eſſet, non rapínam arbitrátus eſt eſſe ſe æquálem Deo; ſed ſemetípſum exinanívit, formam ſervi accípiens, in ſimilitúdinem hóminum factus, & hábitu invéntus ut homo.

Hymnus. Crucis tremens ſub póndere, *p.* 227.

℣. In conſpéctu tuo, Dómine, ſunt omnes qui tríbulant me; ℟. Impropérium expectávit cor meum & miſériam. *Pſ.* 68. 21.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. *a.* Sapiéntia apéruit os mutórum, & linguas infántium fecit disértas. *Sap.* 10. 21.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui humáno géneri ad imitándum humilitátis exémplum, Salvatórem noſtrum carnem súmere, & crucem ſubíre fecíſti; concéde propítius, ut & patiéntiæ ipsíus habére documénta, & reſurrectiónis consórtia mereámur; Per eúmdem Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 7. G. Pópuli dicébant: Hic eſt Jeſus Prophéta à Názareth Galilææ. *Matt.* 21. 11.

CAPITULUM. *Iſ.* 52. 7. 8.

SIon, regnábit Deus tuus. Vox ſpeculatórum tuórum levavérunt vocem, ſimul laudábunt.

℟. *breve.* Chriſte, *ut in Dominica in Paſſione.*

AD TERTIAM.

Ant. 4. f. Plúrima turba ſtravérunt veſtiménta ſua in via; álii autem cædébant ramos de arbóribus, & ſternébant in via. *Matt.* 21. 8.

CAPITULUM. *Tob.* 13. 6.

ASpícite quæ fecit nobiſcum, & cum timóre & tremóre confitémini illi, Regémque ſeculórum exaltáte in opéribus veſtris.

℟. *breve.* Fílii Sion * Exúltent in Rege ſuo. ℟. Fílii. ℣. Laudent nomen ejus in choro: * Exúltent. *Reſumitur* ℟. *Fílii. Pſ.* 149. 2. 3.

℣. Beneplácitum eſt Dómino, ℟. In pópulo ſuo. *Pſ.* 149. 4.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Qui præíbant, & qui ſequebántur, clamábant, dicéntes: Hosánna: benedíctus qui venit in nómine Dómini. *Marc.* 11. 9. 10.

CAPITULUM. *Iſ.* 55. 12. 13.

MOntes & colles cantábunt coram vobis laudem, & ómnia ligna regiónis plaudent manu. Pro ſaliúnca aſcéndet ábies, & pro urtíca creſcet myrtus.

℟. *breve.* Ex ore infántium, Dómine, & lacténtium, * Perfecíſti laudem. ℟. Ex ore. ℣. Propter inimícos tuos. * Perfecíſti. *Reſumitur* ℟. Ex ore. *Pſ.* 8. 3.

℣. Laudáte, púeri, Dóminum; ℟. Laudáte nomen Dómini. *Pſ.* 112. 1.

AD NONAM.

Ant. 8. G. Benedíctum quod venit regnum patris noſtri David: Hosánna in excélſis. *Marc.* 11. 10.

CAPITULUM. 2. *Mach.* 10. 7.

THyrſos, & ramos vírides, & palmas præferébant ei qui proſperávit mundári locum ſuum.

℟. *breve.* Hic eſt Deus, * Deus noſter in ætérnum. ℟. Hic eſt. ℣. Et in séculum séculi. * Deus. *Reſumitur* ℟. Hic eſt. *Pſ.* 45. 15.

℣. Conſtitúite diem ſolémnem in condénſis, ℟. Uſque ad cornu altáris. *Pſ.* 117. 27.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Dominica in Paſſione, p. 225.

CAPITULUM. *Coloſſ.* 2. 14. 15.

CHriſtus delens quod advérſùs nos erat chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, & ipſum tulit de médio, affigens illud cruci: & expólians Principátus & Poteſtátes, tradúxit confidénter, palàm triúmphans illos in ſemetípſo.

Hymnus. Vexílla Regis pródeunt, *p.* 229.

℣. Captábunt in ánimam Juſti; ℟. Et sánguinem innocéntem condemnábunt. *Pſ.* 93. 21.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Benedíctus qui venit Rex in nómine Dómini: pax in cœlo, & glória in excélſis. *Luc.* 19. 38.

COMPLETORIUM, *ut ſuprà, p.* 230. *demptis Precibus.*

FERIA SECUNDA.

Omnia ut in Feriis Paſſionis, p. 226. *exceptis quæ ſequuntur: & ſic duobus diebus ſequentibus.*

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *c.* 18. *v.* 18. *ad finem.*

DIxérunt: Veníte, & cogitémus contra Jeremíam cogitatiónes: non enim períbit lex à ſacerdóte, neque consílium à ſapiénte, nec ſermo à prophéta. Veníte, & percutiámus eum linguâ, & non attendámus ád univérſos ſermónes ejus. Atténde, Dómine, ad me, & audi vocem adverſariórum meórum. Nunquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ? Recordáre quòd ſtéterim in conſpéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, & avérterem indignatiónem tuam ab eis. Proptéreà da filios eórum in famem, & deduc eos in manus gládii. Fiant uxóres eórum abſque liberis & víduæ: & viri eárum interficiántur morte: júvenes eórum confodiántur gládio in prælio. Audiátur clamor de dómibus eórum: addúces enim ſuper eos latrónem repéntè: quia fodérunt fóveam, ut cáperent me, & láqueos abſcondérunt pédibus meis. Tu autem, Dómine, ſcis omne consílium eórum advérsùm me in mortem: ne propitiéris iniquitáti eórum, & peccátum eórum à fácie tua non deleátur. Fiant corruéntes in conſpéctu tuo, in témpore furóris tui abútere eis. Jerúſalem, &c.

℟. *j.* Exténdit, *p.* 250.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Philippénſes.

LECTIO II. *c.* 2. *v.* 5. *ad* 11.

HOc ſentíte in vobis, quod & in Chriſto Jeſu: qui cùm in forma Dei eſſet, non rapínam arbitrátus eſt eſſe ſe æquálem Deo: ſed ſemetípſum exinanívit formam ſervi accí-

piens, in ſimilitúdinem hóminum factus, & hábitu invéntus ut homo. Humiliávit ſemetípſum, factus obédiens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltávit illum, & donávit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: ut in nómine Jeſu omne genu flectátur, cœléſtium, terréſtrium, & infernórum: & omnis lingua confiteátur quia Dóminus Jeſus Chriſtus in glória eſt Dei Patris.

℟. *ij*. Ait rex, *p.* 250.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio III. *c.* 12. *v.* 1. *ad* 9.

Profuſio nardi piſtici.

JEſus ante ſex dies Paſchæ venit Bethániam, ubi Lázarus fúerat mórtuus, quem ſuſcitávit Jeſus. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 50. n. 5. 6.

NE putárent hómines phantáſma eſſe factum, quia mórtuus reſurréxit, Lázarus unus erat ex recumbéntibus. Vivébat, loquebátur, epulabátur. Véritas oſtendebátur, infidélitas Judæórum confundebátur. Diſcumbébat ergo Dóminus cum Lázaro & cœteris: miniſtrábat Martha una ex ſoróribus Lázari. María verò áltera ſoror Lázari accépit libram unguénti nardi piſtici pretióſi, unxit pedes Jeſu, & extérſit capíllis ſuis pedes ejus; & domus impléta eſt ex odóre unguénti. Factum audívimus, myſtérium requirámus. Quæcúmque ánima fidélis vis eſſe, cum María unge pedes Dómini pretióſo unguénto. Unge pedes Jeſu, benè vivéndo Domínica ſectáre veſtígia. Capíllis terge: ſi habes ſupérflua, da paupéribus, & Dómini pedes tersíſti: capílli enim ſupérflua córporis vidéntur. Habes quod agas de ſupérfluis tuis: tibi ſupérflua ſunt, ſed Dómini pédibus neceſſária.

℟. *iij*. Non déerunt páuperes in terra habitatiónis tuæ; * Idcírcò ego præcípio tibi, ut apérias manum fratri tuo egéno & páuperi. *Deut.* 15. 11. ℣. Páuperes ſemper habétis vobíſcum. *Joan.* 12. 8. * Idcírcò. *Reſumitur* ℟. Non déerunt.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*. Laudans invocábo Dóminum; ℟. Et ab inimícis meis ſalvus ero. *Pſ.* 17. 4.

Ant. 8. *g.* Atténde, Dómine, ad me; & audi vocem adverſariórum meórum. *Jer.* 18. 19.

Ant. 7. G. Inundavérunt aquæ ſuper caput meum: dixi, Périi. Invocávi nomen tuum, Dómine. *Thren.* 3. 54. 55.

Ant. 4. a. Recordáre meî, & víſita me, & tuére me

ab his qui perſequúntur me. *Jer.* 15. 15.

In Canticum, Non eſt ſpécies ei, *p.* 227.

Ant. 1. a. Eradicatiónem & abjectiónem poſuíſti me, in médio populórum. *Thr.* 3. 45.

Ant. 3. *a.* Vocem meam audíſti; ne avértas aurem tuam à ſingúltu meo & clamóribus. *Thren.* 3. 56.

Capitulum, *Hymnus* & ℣. *ut ſuprà*, *p.* 227.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. b. Dum eſſet Rex in accúbitu ſuo, nardus mea dedit odórem ſuum. *Cant.* 1. 11.

Preces flexis genibus; & ſic in aliis Horis, & duobus diebus ſequentibus.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, te ſupplíciter exorámus, ut ſic noſtra ſanctificéntur jejúnia, quaténus appropinquánte Unigéniti tui Paſſióne, bonórum óperum exhibitióne tibi placére valeámus; Per eúmdem Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. María accépit libram unguénti nardi píſtici pretióſi, & unxit pedes Jeſu, & extérſit pedes ejus capíllis ſuis. *Joan.* 12. 3.

Oratio.

MAjeſtátem tuam, Dómine, propénſiùs implorámus; ut quantò própiùs dies ſalutíferæ Feſtivitátis accédit, tantò devótiùs ad dignè celebrándum proficiámus Paſchále myſtérium; Per Dóminum noſtrum Jeſum, &c.

FERIA TERTIA.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *c.* 20. *v.* 10. *ad* 12.

AUdívi contumélias multórum, & terrórem in circúitu: Perſequímini, & perſequámur eum, ab ómnibus viris qui erant pacífici mei & cuſtodiéntes latus meum: ſi quo modo decipiátur, & prævaleámus advérsùs eum, & conſequámur ultiónem ex eo. Dóminus autem mecum eſt quaſi bellátor fortis: idcírcò qui perſequúntur me, cadent & infírmi erunt. Confundéntur veheménter, quia non intelléxerunt oppróbrium ſempitérnum, quod nunquam delébitur. Et tu, Dómine exercítuum, probátor juſti, qui vides renes & cor, vídeam, quæſo, ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi cauſam meam. Jerúſalem, &c.

℟. *j.* Loquímini, *p.* 252.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

LECTIO II. *c.* 12. *v.* 1. *ad* 7.

DEponéntes omne pondus & circúmſtans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propóſitum nobis certámen, aſpiciéntes in Autórem fídei & conſummatórem Jeſum, qui propóſito ſibi gaúdio ſuſtínuit crucem, confuſióne contémptâ, atque

ſolúmmodò in cibis, & in pótibus, & váriis baptiſmátibus, & juſtítiis carnis uſque ad tempus correctiónis impóſitis.

℟. ij. Confirmábit, *p.* 254.

Sermo ſancti Irenæi Epiſcopi & Mártyris.

Lib. 4. *cont. Hæreſ.* *Cap.* 34. n. 3.

LECTIO III.

UNde póterant prædícere Prophétæ Regis advéntum, & eam libertátem quæ ab eo dabátur præevangelizáre, & ómnia quæ à Chriſto facta ſunt, & ſermónem, & operatiónem, & paſſiónem ejus prænuntiáre, & novum teſtaméntum prædícere, ſi ab áltero deo prophéticam inſpiratiónem accepérunt? Neque enim caſu quodam hæc eveníſſe potéſtis dícere, tanquam à Prophétis quidem de áltero quodam dicta, ſimíliter autem evenérunt Dómino. Omnes enim Prophétæ hæc éadem prophetavérunt: ſed neque alícui ex vetéribus evenérunt. Si enim eveníſſent alícui ex vetéribus iſta, non útique qui póſteà fuérunt, prophetáſſent in noviſſimis tempóribus futúra hæc. Adhuc étiam nemo eſt, neque Patrum, neque Prophetárum, neque antiquórum regum, circa quem próprié ac ſpeciáliter factum ſit áliquid horum. Nam omnes quidem Chriſti paſſiónes prophetavérunt: ipſi autem ad patiéndum ſimíliter, ut ipſa prædícta ſunt, longè erant. Arguménta autem quæ prædícta ſunt Domínicæ Paſſiónis, in nullo áltero facta ſunt. Neque enim ſol médiâ die óccidit, áliquo de vetéribus mórtuo, neque ſciſſum eſt velum Templi, neque terra mota eſt, neque petræ diſrúptæ ſunt, neque mórtui reſurrexérunt.

℟. iij. Appendérunt mercédem meam trigínta argénteos; & dixit Dóminus ad me: Prójice illud ad ſtatuárium. * Decórum prétium quo appretiátus ſum ab eis! *Zach.* 11, 12. 13. ℣. Ait Judas: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituérunt ei trigínta argénteos. *Matt.* 26. 15. * Decórum. *Reſumitur* ℟. Appendérunt.

AD LAUDES, ℣. *Sacerdotalis, Ant. Capitulum, Hymnus &* ℣. *ut in Feria ſecunda, p.* 258.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. c. Quærébat Judas opportunitátem, ut tráderet Jeſum ſinè turbis. *Luc.* 22. 6.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui pro noſtris excéſſibus inceſſánter affligimur, per unigéniti Fílii tui Paſſiónem liberémur; Qui tecum vivit & regnat, &c.

Officium deinceps uſque ad Paſcha dicitur ſinè Deus, in adjutórium, *ſinè* Glória Patri, *ſinè* Dóminus

vobíſcum, *ſinè* Orémus, & *ſinè* Benedicámus.

Neque etiam dicuntur Capitula, ℟℟. brevia & Hymni.

Veſperæ inchoantur abſolutè ab impoſitione primæ Antiphonæ.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Ant. 8. G. Conclúſit me Deus apud iníquum, & mánibus impiórum me trádidit. *Job.* 16. 12.

Ant. 3. b. Inſidiáti ſunt mihi & prævaluérunt, & non fuit qui ferret auxílium. *Job.* 30. 13.

Ant. 7. *d.* Quaſi rupto muro, & apértâ jánuâ, irruérunt ſuper me, & ad meas misérias devolúti ſunt. *Job.* 30. 14.

Ant. 6. F. Quem máxime diligébam, aversátus eſt me. *Job.* 19. 19.

Ant. 1. *g.* In ore ſuo pacem cum amíco ſuo lóquitur, & occúltè ponit ei inſidias. *Jer.* 9. 8.

Continuò imponitur Antiphona in Canticum.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. d. Qui mandúcat mecum panem, levábit contra me calcáneum ſuum. Amodò dico vobis, priúſquàm fiat; ut cùm factum fúerit, credátis quia ego ſum. *Joan.* 13. 18. 19.

Finitâ Antiphonâ, ſinè Dóminus vobíſcum, & *ſinè* Orémus *dicitur.*

Oratio.

RESpice, quǽſumus, Dómine, ſuper hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noſter Jeſus Chriſtus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & crucis ſubíre torméntum; *ſub ſilentio dicitur,* Qui tecum vivit & regnat, in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia ſécula ſeculórum. Amen.

Et nihil additur. Sícque terminantur Horæ uſque ad Veſperas Sabbati Sancti.

COMPLETORIUM *incipitur abſolutè à Pſalmo,* Cùm invocárem, *ut in Completorio Dominicæ; & poſt ultimum Pſalmum, continuò dicitur Canticum,* Nunc dimíttis. *Deinde Oratio,* Réſpice, *ut ſuprà.*

Tribus Feriis ſequentibus, dictis ſecretò, Pater, Ave, Credo, *Officium incipitur abſolutè ab impoſitione Antiphonæ in primum Pſalmum. Et in fine cujuſlibet Pſalmi Nocturnorum & Laudum, extinguitur unus è quindecim cereis, in loco conſpicuo ante vel retro altare poſitis.*

FERIA QUINTA, IN CŒNA DOMINI.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

IN I. NOCTURNO.

In Pſal. 39. Expéctans expectávi, *p.* 97.

Ant. 1. f. Sciens Jeſus quia venit hora ejus ut tránſeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexíſſet ſuos qui erant in mundo, in finem diléxit eos. *Joan.* 13. 1.

In diviſ. Pſal. 39. Annuntiávi juſtítiã tuam, *p.* 97.

Ant. 2. D. Cœpit laváre pedes diſcipulórum, & extérgere línteo quo erat præcínctus. *Joan.* 13. 5.

In Pſal. 40. Beátus qui intélligit, *p.* 108.

Ant. 3. *a.* Dixit Jeſus: Mandátum novum do vobis, ut diligátis ínvicem, ſicut diléxi vos. *Joan.* 13. 34.

℣. Lavábis me, Dómine: ℟. Et ſuper nivem dealbábor. *Pſ.* 50. 9.

Hoc triduo, poſt ℣. *cujuſque Nocturni, dicitur* Pater *ſecretò. Non datur Benedictio ante Lectiones. Quæ dicuntur de Jeremia, habent clauſulam:* Jerúſalem, Jerúſalem, convértere, &c. *alia autem abſolutè terminantur per ſolam vocis intercidentiam, omiſſis,* Tu autem, *&* Deo grátias.

Sic autem legitur prima Lectio.

Lector abſolutè incipit hâc die, in tono ordinario Lectionum.

LECTIO I. *Thren.* 1.

ET factum eſt, poſtquàm in captivitátem redáctus eſt Iſraël, & Jerúſalem desérta eſt, ſedit Jeremías Prophéta flens: & planxit lamentatióne hâc in Jerúſalem; & amáro ánimo ſuſpírans & éjulans, dixit:

Cap. 1. *v.* 1. *ad* 5.

QUómodo ſedet ſola cívitas plena pópulo! Facta eſt quaſi vídua dómina géntium: princeps provinciárum facta eſt ſub tribúto. Plorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxíllis ejus; non eſt qui conſolétur eam, ex ómnibus caris ejus: omnes amíci ejus ſprevérunt eam, & facti ſunt ei inimíci. Migrávit Judas, propter afflictiónem & multitúdinem ſervitútis; habitávit inter gentes, nec invénit réquiē: omnes perſecutóres ejus apprehendérunt eam, inter angúſtias. Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint qui véniant ad ſolemnitátem: omnes portæ ejus deſtrúctæ: ſacerdótes ejus geméntes: vírgines ejus ſquálidæ: & ipſa oppréſſa amaritúdine. Facti ſunt hoſtes ejus in cápite, inimíci ejus

ejus locupletári ſunt; quia Dóminus locútus eſt ſuper eam, propter multitúdinem iniquitátum ejus: párvuli ejus ducti ſunt in captivitátem, ante fáciem tribulántis. Jerúſalem, Jerúſalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. *j.* Jánuas cœli apéruit Dóminus, & pluit illis manna ad manducándum, & * Panem cœli dedit eis; panem Angelórum manducávit homo. *Pſ.* 77. 23. 24. 25. ℣. Accépit Jeſus panem, & benedíxit, ac fregit, deditque diſcípulis ſuis, & ait: Accípite & comédite; hoc eſt Corpus meum. *Matt.* 26. 26. * Panem cœli.

Lectio II. *v. 6. ad 9.*

Et egréſſus eſt à filia Sion omnis decor ejus, facti ſun príncipes ejus, velut aríetes non inveniéntes páſcua: & abiérunt abſque fortitúdine, ante fáciē ſubſequéntis. Recordáta eſt Jerúſalem diérum afflictiónis ſuæ, & prævaricatiónis ómnium deſiderabílium ſuórū, quæ habúerat à diébus antíquis, cùm cáderet pópulus ejus in manu hoſtíli, & non eſſet auxiliátor: vidérunt eam hoſtes, & deriſérunt Sábbata ejus. Peccátum peccávit Jerúſalem, proptéreà inſtábilis facta eſt: omnes qui glorificábant eam, ſprevérunt illam; quia vidérunt ignomíniam ejus: ipſa autem gemens convérſa eſt retrórsùm. Sordes ejus in pédibus ejus, nec recordáta eſt finis ſui; depóſita eſt vehemén-ter, non habens conſolatórem. Vide, Dómine, afflictiónem meam, quóniam eréctus eſt inimícus. Jerúſalem, &c.

℟. *ij.* Móyſes ſumptum ſánguinem reſpérſit in pópulum, & ait: * Hic eſt ſanguis fœ́deris quod pépigit Dóminus vobíſcum. *Exod.* 24. 8. ℣. Accípiens Jeſus cálicem grátias egit, & dedit illis, dicens: Bíbite ex hoc omnes. *Matt.* 26. 27. * Hic eſt.

Lectio III. *v. 10. ad 14.*

Manum ſuam miſit hoſtis ad ómnia deſiderabília ejus; quia vidit gentes ingréſſas ſanctuárium ſuum, de quibus præcéperas ne intrárent in eccléſiam tuam. Omnis pópulus ejus gemens & quærens panem; dedérunt pretióſa quæque pro cibo, ad refocillándam ánimam. Vide, Dómine, & consídera, quóniam facta ſum vilis. O vos omnes, qui transítis per viam! atténdite, & vidéte ſi eſt dolor ſicut dolor meus: quóniam vindemiávit me, ut locútus eſt Dóminus, in die iræ furóris ſui. De excélſo miſit ignem in óſſibus meis, & erudívit me: expándit rete pédibus meis; convértit me retrórsùm: póſuit me deſolátam, totâ die mœróre

conféctam. Vigilávit jugum iniquitátum meárum, in manu ejus convolútæ ſunt, & impóſitæ collo meo: infirmáta eſt virtus mea; dedit me Dóminus in manu, de qua non pótero súrgere. Jerúſalem, &c.

℟. *iij.* Homo pacis meæ in quo ſperávi, * Qui edébat panes meos, magnificávit ſuper me ſupplantatiónem. *Pſ.* 40. 10. ℣. Ecce manus tradéntis me, mecum eſt in menſa. *Luc.* 22. 21. * Qui edébat. *Reſumitur* ℟. Homo.

IN II. NOCTURNO.

In Pſal. 54. Exaúdi, Deus, *p.* 89.

Ant. 4. a. Ait Dóminus: Simon, Simon, ecce Sátanas expetívit vos, ut cribráret ſicut tríticum. *Luc.* 22. 31.

In diviſ. Pſal. 54. Véſpere & manè, *p.* 89.

Ant. 5. a. Qui habet sácculum, tollat; ſimíliter & peram: & qui non habet, vendat túnicam ſuam, & emat gládium. *Luc.* 22. 36.

In Pſal. 57. Si verè útique, *p.* 105.

Ant. 6. F. Véniunt in prædium, cui nomen Gethsémani; & ait diſcípulis ſuis Jeſus: Sedéte hîc, donec orem. *Marc.* 14. 32.

℣. In cápite libri ſcriptum eſt de me, ℟. Ut fácerem voluntáté tuam, Deus. *Pſ.* 39. 8. 9.

Sermo ſancti Leónis Papæ.
Serm. 56. *de Paſſ. Dom.* 7. *Cap.* 1. & 2.

LECTIO IV.

INcipiéntes, dilectíſſimi, Evangélicam de Paſſióne Dómini hiſtóriam retractáre, divíno intellígimus diſpóſitum fuiſſe consílio, ut ſacrílegi Judæórum Príncipes, & ímpii Sacerdótes, non nisi in Solemnitáte Paſcháli, exercéndi furóris ſui accíperent poteſtáté. Oportébat enim, ut maniféſto impleréntur efféctu, quæ diu fúerant ſiguráto promíſſa myſtério, ut ovem ſignificatívam Ovis vera removéret, & ut uno expletur ſacrifício, variárum differéntia victimárum. Ut ergo umbræ céderent córpori, & ceſsárent imágines ſub preséntia veritátis, antíqua obſervántia novo exclúditur ſacraménto, hóſtia in hóſtiam tranſit, ſánguine ſanguis aufértur, & legális Feſtívitas, dum mutátur, implétur. Incipiénte enim Feſtivitáte Paſcháli, qui ornáre templum, mundáre vaſa, víctimas providére debúerant, parricidális ódii furóre concépto, ad unum opus vacant, & in unum fácinus símili crudelitáte conjúrant. Quid aſſecutúri ſupplício innocéntiæ, condemnatióne juſtítiæ, nisi ut & nova myſtéria non apprehénderent, & antíqua violárent?

℟. iv. Frámea, ſuſcitáre

ſuper Paſtórem meum, & ſuper Virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum; * Pércute Paſtórem, & diſpergéntur oves. *Zach.* 13. 7. ℣. Ait Jeſus: Omnes ſcandalizabímini in me, in nocte iſta: quia ſcriptum eſt. *Marc.* 14. 27. * Pércute.

LECTIO V. *c.* 2. 3.

PRovidéntibus ergo Princípibus, ne in die ſancto tumúltus orirétur, non devotióni, ſed facínori ſtudebátur; nec religióni ſerviébat hæc cura, ſed crímini. Seditiónes turbárum fieri in præcípua Solemnitáte metuébant: non ut pópulus non peccáret, ſed ne Chriſtus eváderet. At Jeſus consílii ſui certus, & in ópere Patérnæ diſpoſitiónis intrépidus, vetus Teſtaméntum conſummábat, & novum Paſcha condébat. Diſcumbéntibus enim diſcípulis ad edéndam mýſticam Cœnam, cùm in Cáiphæ átrio tractarétur quómodo Chriſtus poſſet occídi; ille córporis & sánguinis ſui órdinans Sacraméntum, docébat qualis Deo hóſtia debéret offérri, ne ab hoc quidem myſtério traditóre ſubmóto: ut oſtenderétur nullâ injúriâ exaſperátus, qui in voluntária erat impietáte præſcítus. Dicens ítaque Dóminus: Amen dico vobis, quòd unus veſtrûm me traditúrus eſt, notam *ſibi proditóris ſui conſciéntiam* demonſtrávit, non áſperâ nec apértâ ímpium increpatióne confúndens, ſed leni ac tácitâ admonitióne convéniens: ut facíliùs corrígeret pœnitúdo, quem nulla deformáſſet abjéctio.

℟. *v*. Laudábilem invocábo Dóminum, & ab inimícis meis ſalvus ero: * Quia circumdedérunt me contritiónes mortis. 2. *Reg.* 22. 4. 5. ℣. Ait diſcípulis Jeſus: Triſtis eſt ánima mea uſque ad mortem. *Marc.* 14. 34. * Quia.

LECTIO VI. *c.* 3. 4.

CUr, infélix Juda, tantâ benignitáte non úteris? Ecce parcit aúſibus tuis Dóminus, & nulli te, nisì tibi, índicat Chriſtus: nec nomen tuum, nec persóna detégitur, ſed veritátis & miſericórdiæ verbo, cordis tantùm tui arcána tangúntur. Non Apoſtólici órdinis honor, non ſacramentórũ tibi commúnio denegátur. Redi in íntegrum; & depóſito furóre, reſipíſce. Cleméntia invítat, Salus pulſat, ad vitam Vita te révocat. Ecce immaculáti & innocéntes condiſcípuli tui ad ſignificatiónem facínoris expavéſcunt, & omnes ſibi, non édito impietátis autóre, formídant, timéntes ne minùs verum eſſet quod in ſe quiſque nóverat, quàm quod ipſa Véritas prævidébat. Tu autem in hac trepidatióne ſanctórum, abúteris Dómini patiéntiâ, & abſcóndis te-

tuâ credis audáciâ. Dénique videns Dóminus cui flagítio Judas eſſet inténtus: Quod facis, inquit, fac citiùs. Vox hæc non jubéntis eſt, ſed ſinéntis; nec trépidi, ſed paráti, qui habens ómnium témporum poteſtátem, oſténdit ſe, & moram non fácere traditóri, & ſic ad redemptiónem mundi, Patérnam éxequi voluntátem; ut fácinus quod à perſequéntibus parabátur, nec impélleret, nec timéret.

℞. *vj*. Impropérium expectávit cor meum & misériam: & * Suſtínui qui ſimul contriſtarétur, & non fuit; & qui conſolarétur, & non invéni. *Pſ.* 68. 21. ℣. Venit Jeſus ad diſcípulos ſuos, & invénit eos dormiéntes, & dicit Petro: Sic non potuíſtis unâ horâ vigiláre mecum! *Matt.* 26. 40. * Suſtínui. *Reſumitur* ℞. Impropérium.

IN III. NOCTURNO.

In Pſal. 69. Deus, in adjutórium, *p.* 93.

Ant. 7. c. Póſitis génibus orábat Jeſus, dicens: Pater, ſi vis, transfer cálicem iſtum à me. *Luc.* 22. 41. 42.

In Pſal. 70. In te, Dómine, ſperávi, non confúndar, *p.* 93.

Ant. 8. c. Appáruit illi Angelus de cœlo, confórtans eum; & factus in agónia, prolíxiùs orábat. *Luc.* 22. 43.

In diviſ. Pſal. 70. Os meum annuntiábit, *p.* 94.

Ant. 3. c. Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſánguinis decurréntis in terram. *Luc.* 22. 44.

℣. Anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus; ℞. In me turbátum eſt cor meum. *Pſ.* 142. 4.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

LECTIO VII. *c.* 11. *v.* 17. *ad* 22.

HOc præcípio, non laudans quòd non in méliùs, ſed in detériùs convenítis. Primùm quidem conveniéntibus vobis in Eccléſiam, aúdio ſciſſúras eſſe inter vos, & ex parte credo. Nam opórtet & hæréſes eſſe, ut & qui probáti ſunt, maniféſti fiant in vobis. Conveniéntibus ergo vobis in unum, jam non eſt Domínicam Cœnam manducáre. Unuſquíſque enim ſuam cœnam præſúmit ad manducándum: & álius quidem éſurit, álius autem ébrius eſt. Nunquid domos non habétis ad manducándum & bibéndum? Aut Eccléſiam Dei contémnitis, & confúnditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.

℞. *vij*. Noti mei, quaſi aliéni, receſſérunt à me; * Dereliquérunt me propínqui mei; & qui me nóverant, oblíti ſunt meî. *Job.* 19. 14. ℣. Jeſus dixit Judæ: Juda, óſculo Fílium

hóminis tradis? *Luc.* 22. 48. * Dereliquérunt.

LECTIO VIII. *v.* 23. *ad* 26.

EGo enim accépi à Dómino quod & trádidi vobis: Quóniam Dóminus Jeſus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, & grátias agens fregit, & dixit: Accípite, & manducáte; Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradétur; hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter & cálicem, poſtquàm cœnávit, dicens: Hic calix novum Teſtaméntum eſt in meo ſánguine: hoc fácite, quotieſcúmque bibétis, in meá commemoratiónem. Quotieſcúmque enim manducábitis panem hunc & cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat.

℟. *viij*. Ego ecce in mánibus veſtris ſum; * Fácite mihi quod bonum & rectum eſt in óculis veſtris. *Jer.* 26. 14. ℣. Dixit Jeſus: Quem quæritis? Reſpondérunt ei: Jeſum Nazarénum. Dicit eis Jeſus: Ego ſum. *Joan.* 18. 4. 5. * Fácite.

LECTIO. IX. *v.* 27. *ad finem.*

ITaque quicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígnè, reus erit córporis & sánguinis Dómini. Probet autem ſeípſum homo: & ſic de pane illo edat, & de cálice bibat. Qui enim mandúcat & bibit indígnè, judícium ſibi mandúcat & bibit, non dijúdicans Corpus Dómini. Ideò inter vos multi infírmi & imbecílles, & dórmiunt multi. Quòd ſi noſmetípſos dijudicarémus, non útique judicarémur: dum judicámur autem, à Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur. Itaque, fratres mei, cùm convenítis ad manducándum, ínvicem expectáte. Si quis éſurit, domi mandúcet; ut non in judícium conveniátis. Cǽtera autem, cùm vénero, diſpónam.

℟. *ix*. Scitóte & cognóſcite quòd ſi occidéritis me, sánguinem innocéntem tradétis contra voſmetípſos, & contra civitátem iſtam & habitatóres ejus: * In veritáte enim miſit me Dóminus ad vos. *Jer.* 26. 15. ℣. Quotídie eram apud vos in Templo docens. *Marc.* 14. 49. * In veritáte. *Reſumitur* ℟. Scitóte.

AD LAUDES MATUTINAS.

In Pſal. 108. Deus, laudem meam, *p.* 112.

Ant. 1. *g.* Solus ſedébam, Dómine, quóniam comminatióne repléſti me. *Jer.* 15. 17.

In diviſ. Pſal. 108. Et tu, Dómine, *p.* 113.

Ant. 2. D. Uſquequò, Dómine, clamábo, & non exáudies? vociferábor ad te vim pátiens, & non ſalvábis? Habac. 1. 2.

In Pſal. 141. Voce meâ ad Dóminum, *p.* 101.

Ant. 3. *a.* Pater, ómnia tibi poſſibília ſunt; transfer cálicem hunc à me. *Marc.* 14. 36.

Ant. 4. a. Líbera.

CANTICUM DAVIDIS.

2. *Reg. c.* 22. *v.* 2. *ad* 7.

Chriſtum præfigurans, opem divinam contra inimicos expoſtulat.

DOminus petra mea, & robur meum, * & ſalvátor meus.

Deus fortis meus, ſperábo in eum, * ſcutum meum, & cornu ſalútis meæ.

Elevátor meus, & refúgium meum; * ſalvátor meus, de iniquitáte liberábis me.

Laudábilem invocábo Dóminum; * & ab inimícis meis ſalvus ero.

Quia circumdedérunt me contritiónes mortis; * torréntes Bélial terruérunt me.

Funes inférni circumdedérunt me; * prævenérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocábo Dóminum, * & ad Deum meum clamábo:

Et exaúdiet de templo ſuo vocem meam, * & clamor meus véniet ad aures ejus.

Ant. Líbera me, Dómine, & pone me juxta te, & cujúſvis manus pugnet contra me. *Job.* 17. 3.

In Pſal. 146. Laudáte Dóminum, quóniam, *p.* 64.

Ant. 5. C. Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat volúntas tua. *Matt.* 26. 42.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. d. Quare, Dómine, oſtendíſti mihi iniquitátem & labórem, vidére prædam & injuſtítiam contra me? *Habac.* 1. 3.

Dum dicitur Canticum Benedíctus, *extinguuntur reliqui cerei & lampades; & dum cantatur Antiphona, amovetur à cuſpide ſummus cereus ardens, & abſconditur accenſus retro altare, ità ut lumen non appareat.*

Finitâ Antiphonâ, omnes genua flectunt. Deinde cantatur, hâc nocte à duobus Presbyteris, ſi ſint; ſecundâ nocte, à duobus Diaconis; tertiâ verò, à duobus Subdiaconis, retro altare, flexis genibus. Kýrie, *cum Tropis; ipſíſque reſpondetur, ut notatur infrà.*

Clerici. Kýrie, eléiſon.

Primus Chorus. Kýrie, eléiſon.

Secundus Chorus. Kýrie, eléiſon.

Clerici. Qui dedíſti redemptiónem temetípſum pro ómnibus. 1. *Tim.* 2. 6.

Uterque Chorus. Dómine, miſerére noſtrî. *Iſ.* 33. 2.

Clerici. Chriſte, eléiſon.

Primus Chorus. Chriſte, eléiſon.

Secundus Chorus. Chriſte, eléiſon.

Clerici. Qui exaltátus à terra, ómnia traxíſti ad teìpſum. *Joan.* 12. 32.

Uterque Chorus. Dómine, miſerére noſtrî. *Iſ.* 33. 2.

Clerici. Kýrie, eléiſon.

Primus Chorus. Kýrie, eléiſon.

Secundus Chorus. Kýrie, eléiſon.

Clerici. Qui per mortem deſtruxíſti eum qui habébat mortis inpérium. *Hebr.* 2. 14.

Uterque Chorus. Dómine, miſerére noſtrî. *Iſ.* 33. 2.

Deinde, inchoante Celebrante, uterque Chorus cantat menſurâ graviſſimâ.

Chriſtus factus eſt obédiens uſque ad mortem. *Philip.* 2. 8.

Tum inchoatur abſolutè à Celebrante genuflexo Pſal. 50. Miſerére meî, Deus, p. 117. *Quem omnes, flexis genibus, alternis choris, proſequuntur voce mediocri.*

Quo abſoluto, Celebrans, flexis genibus, ſimili voce dicit abſolutè ſequentem Orationem.

Oratio.

RESpice, quæſumus, Dómine, ſuper hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noſter Jeſus Chriſtus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & crucis ſubíre torméntum; *ſub ſilentio dicitur*, Qui tecum vivit & regnat, &c.

Et ſtatim fit ſtrepitus à Celebrante. Mox profertur cereus accenſus, & omnes ſurgunt, & cum ſilentio diſcedunt.

AD HORAS.

Dictis ſecretò Pater *&* Ave, *abſolutè inchoatur à Pſalmis de Dominica, qui dicuntur demiſsâ voce.*

AD PRIMAM, *loco Pſalmi*, Confitémini, *Pſalmus* 53. Deus, in nómine tuo ſalvum me fac, *p.* 85. *Omittitur Symbolum*, Quicúmque.

His finitis, dicitur ſimili voce & ritu Oratio, Réſpice, *ſuprà.*

AD VESPERAS.

In Pſal. 114. Diléxi, quóniam, *p.* 115.

Ant. 8. G. Occidétur Chriſtus; & non erit ejus pópulus qui eum negatúrus eſt. *Dan.* 9. 26.

In Pſal. 115. Crédidi; propter quòd, *p.* 85.

Ant. 2. D. Ad malum currunt, & feſtínant, ut effúndant ſánguinem innocéntem. *Iſ.* 59. 7.

In Pſal. 119. Ad Dóminum, cùm tribulárer, *p.* 55.

Ant. 4. f. Diſciplína pacis noſtræ ſuper eum, & livóre ejus ſanáti ſumus. *Iſ.* 53. 5.

In Pſal. 120. Levávi óculos meos, *p.* 55.

Ant. 3. *g.* De anguſtia & de judício ſublátus eſt; generatiónem ejus quis enarrábit? *Iſ.* 53. 8.

In Pſal. 127. Beáti omnes, *p.* 86.

Ant. 2. *D.* Dedit ſe, ut liberáret pópulum ſuum,

& acquíreret ſibi nomen ætérnum. 1. *Mach.* 6. 44.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Dicit diſcípulis Jeſus: Omnes vos ſcándalum patiémini in me in iſta nocte: ſcriptum eſt enim: Percútiam Paſtórem, & diſpergéntur oves gregis. *Matt.* 26. 31.

Oratio, Réſpice, *ut ſuprà.*

In Choro, finitâ Antiphonâ, Celebrans converſus ad populum, dicit: Dóminus vobíſcum, *deinde Poſtcommunionem, ut in Miſſali; & ſic Miſſa & Veſpera ſimul terminantur.*

COMPLETORIUM, *ut in die præcedenti, & ſic duobus diebus ſequentibus.*

FERIA SEXTA,

IN PARASCEVE.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

IN I. NOCTURNO.

In Pſal. 34. Júdica, Dómine, *p.* 95.

Ant. 7. b. Cohors, & Tribúnus, & miníſtri Judæórum comprehendérunt Jeſum, & ligavérunt eum. *Joan.* 18. 12.

In diviſ. Pſal. 34. Surgéntes teſtes iníqui, *p.* 95.

Ant. 8. G. Adduxérunt Jeſum ad ſummum Sacerdótem; & convenérunt omnes Sacerdótes, & Scribæ, & Senióres. *Marc.* 14. 53.

In alter. diviſ. Pſal. 34. Exúrge & inténde judício meo, *p.* 96.

Ant. 7. G. Unus aſsíſtens miniſtrórum dedit álapam Jeſu. *Joan.* 18. 22.

℣. Propter te, Dómine, ſuſtínui oppróbrium; ℟. Opéruit confúſio fáciem meam. *Pſ.* 68. 8.

De Lamentatióne Jeremíæ Prophétæ.

LECTIO I. *c.* 2. *v.* 8. *ad* 11.

COgitávit Dóminus diſſipáre murum fíliæ Sion; teténdit funículum ſuum, & non avértit manum ſuam à perditióne: luxítque antemurále; & murus páriter diſſipátus eſt. Defixæ ſunt in terra portæ ejus; pérdidit & contrívit vectes ejus, regem ejus & príncipes ejus in Géntibus: non eſt lex, & prophétæ ejus non invenérunt viſiónem à Dómino. Sedérunt in terra, conticuérunt ſenes fíliæ Sion: conſpersérunt cínere cápita ſua, accíncti ſunt cilíciis, abjecérunt in terram cápita ſua vírgines Jerúſalem. Defecérunt præ lácrymis óculi mei, conturbáta ſunt víſcera mea: effúſum eſt in terra jecur meum, ſuper contritióne fíliæ pópuli mei, cùm defi-

t párvulus & lactens,
ılatéis óppidi. Jerúſa-
, &c.
. *j.* Ne tradíderis me,
nine, in ánimas tribu-
um me; quóniam * In-
xérunt in me teſtes iní-
& mentíta eſt íniqui-
bi. *Pſ.* 26. 12. ℣. Mul-
ſtimónium falſum di-
nt advérsùs Jeſum, &
eniéntia teſtimónia non
t. *Marc.* 14. 56. * In-
xérunt.
TIO II. *v.* 12. *ad* 15.
'Atribus ſuis dixérunt:
Ubi eſt tríticum & vi-
? cùm defícerent, quaſi
eráti, in platéis civitá-
cùm exhalárent ánimas
, in ſinu matrum ſuá-
: Cui comparábo te?
cui aſſimilábo te, filia
ſalem? cui exæquábo
t conſolábor te, vir-
ília Sion? magna eſt
ı velut mare contrítio
quis medébitur tuî?
hétæ tui vidérunt tibi
& ſtulta, nec aperié-
iniquitátem tuam, ut
l pœniténtiam provo-
ıt: vidérunt autem tibi
aptiónes falſas, & eje-
ıes. Plauſérunt ſuper
nánibus omnes tran-
es per viam; ſibila-
ıt, & movérunt caput
ı ſuper filiam Jerúſa-
Hæccine eſt urbs, di-
s, perfécti decóris,
ium univérſæ terræ?
álem, &c.
. *ij.* Locúti ſunt Sacer-
; & Prophétæ ad Prín-
cipes, & ad omnem pópu-
lum, * Dicéntes: Judí-
cium mortis eſt viro huic.
Jer. 26. 11. ℣. Omnes
condemnavérunt eum eſſe
reum mortis. *Marc.* 14. 64.
* Dicéntes.

LECTIO III. *c.* 3. *v.* 1. *ad* 9.

EGo vir videns pauper-
tátem meam, in virga
indignatiónis ejus. Me mi-
návit, & addúxit in téne-
bras, & non in lucem.
Tantùm in me vertit, &
convértit manum ſuam totâ
die. Vetúſtam fecit pellem
meam & carnem meam:
contrívit oſſa mea. Ædificá-
vit in gyro meo; & circúm-
dedit me felle & labóre.
In tenebróſis collocávit me,
quaſi mórtuos ſempitérnos.
Circumædificávit advérsùm
me, ut non egrédiar: aggra-
vávit cómpedem meũ. Sed
& cùm clamávero & rogá-
vero, exclúſit oratiónem
meam. Conclúſit vias meas
lapídibus quadris; sémitas
meas ſubvértit. Jerúſalem,
&c.

℟. *iij.* Corpus meum de-
di percutiéntibus, & genas
meas velléntibus: * Fá-
ciem meam non avérti ab
increpántibus & conſpuén-
tibus in me. *Iſ.* 50. 6. ℣.
Expuérunt in fáciem Jeſu,
& cólaphis eum cecidérunt.
Matt. 26. 67. * Fáciem.
Reſumitur ℟. Corpus.

IN II. NOCTURNO.

In Pſal. 37. Dómine,
ne in furóre tuo, p. 102.

Ant. 1. D. Vinctum adduxérunt Jeſum, & tradidérunt Póntio Piláto Præſidi. *Matt.* 27. 2.

In diviſ. Pſal. 37. Amíci mei & próximi mei, *p.* 102.

Ant. 6. F. Pilátus interrogávit Jeſum, dicens: Tu es Rex Judæórum? At ille reſpóndens, ait: Tu dicis. *Luc.* 23. 3.

In Pſal. 63. Exaúdi, Deus, oratiónē meam, *p.* 90.

Ant. 2. D. Pilátus remíſit Jeſum ad Heródem, qui & ipſe Jeroſólymis erat illis diébus. *Luc.* 23. 7.

℣. Ego ſum oppróbrium hóminum & abjéctio plebis: ℞. Omnes vidéntes me, deriſérunt me. *Pſ.* 21. 7. 8.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. in Cruc. & in Latr. n. 1.

LECTIO IV.

HOdie Paſcha noſtrum pro nobis immolátus eſt Chriſtus. Ubi, quæſo, immolátus? In excélſo patíbulo. Novum altáre hujus Sacrificii, quia ipſum Sacrificium novum ſtupendúmque eſt. Idem quippe & Sacrificium & Sacérdos erat: Sacrificium ſecúndùm carnem, Sacérdos ſecúndùm ſpíritum. Idem & offerébat, & ſecúndùm carnem offerebátur. Et crux fuit altáre. Et cur, inquies, non in templo hóſtia offértur, ſed extra urbem & mœnia? *Ut impleretur* illud: Cum iníquis reputátus eſt. Cur autem in ſublími patíbulo jugulátur, non ſub tecto? Ut áeris natúram purgáret, cùm ovis in ſublími immolarétur. Purgabátur item & terra; fluébat enim è látere ſanguis in ipſam. Ideò non ſub tecto, ideò non in Templo Judáico, ne ſibi Judæi hóſtiam ſequeſtrárent, néve putáres pro illa gente tantùm hanc offérri. Idcircò extra urbem & mœnia, ut diſcas universále Sacrificium eſſe, quia pro univérſa terra erat oblátio; & purgatiónem itèm eſſe commúnem, non peculiárem, quemádmodum apud Judæos.

℞. iv. Oppróbriū inſipiénti dedíſti me, Dómine: * Obmútui, & non apérui os meum, quóniam tu feciſti. *Pſ.* 38. 9. 10. ℣. Sprevit Jeſum Heródes cum exércitu ſuo; & illúſit indútum veſte albâ. *Luc.* 23. 11. * Obmútui.

LECTIO V. n. 2.

VIs diſcere áliud ejus insígne opus? Paradíſum clauſum hódie nobis apéruit. Hâc quippe die, hâc ipsâ horâ, latrónem eò introdúxit Deus. Hódie antíquam pátriam nobis réddidit: hódie in pátriam civitátem nos redúxit: nam, Hódie, inquit, mecum eris in paradíſo. Quid dicis? Crucifixus es & clavis affíxus, & paradíſum pollicéris? Etiam, inquit, ut in

cruce virtútem meam edíſcas. Quia enim res erat triſtis; ne natúræ crucis atténderes, ſed crucifixi virtútem ediſceres, in cruce hoc pérpetrat miráculum, quod ejus máximè virtútem demónſtrat. Non enim, cùm mórtuum ſuſcitáret; non cùm ventos ac mare increpáret; non cùm dæmones fugáret: ſed crucifixus, clavis perforátus, contuméliis, ſputis, convíciis, oppróbriis onerátus, ímprobum latrónis ánimum mutáre pótuit, ut ex omni parte virtútem ejus vídeas. Creatúram quippe totam commóvit: petras ſcidit, ſed petrâ duriórem latrónis ánimam attráxit.

℞. v. Dedi diléctam ánimam meam in manu inimicórum ejus. * Facta eſt mihi hæréditas mea, quaſi leo in ſylva, dedit contra me vocem. *Jer.* 12. 7. 8. ℣. Præſes ait illis: Quem vultis vobis de duóbus dimítti? At illi dixérunt: Barábbam. *Matt.* 27. 21. * Facta.

LECTIO VI. n. 2. 3.

SEd quid tantum fecit latro, ínquies, ut poſt crucem paradíſum ſit adéptus? Víſne ut virtútem ejus bréviter demónſtrem? Cùm Petrus negábat infrà, tunc ille ſuprà confitebátur. Diſcípulus viliſſimæ puéllæ minas non tulit: latro autem videns pópulum totum circumſtántem, clamántem, blaſphémias & dictéria jaculántem, non atténdit illis, non cogitávit præséntem crucifixi vilitátem: ſed fidei óculis hæc ómnia prætergrédiens, miſſis illis vílibus impediméntis, agnóvit cœlórum Dóminum, & ad ipſum ánimo procúmbens, dicébat: Meménto meî, Dómine, cùm véneris in regnum tuum. Vides quantórum bonórum crux cauſa fúerit? Dic mihi: Regnum commémoras? quid vides hujúſmodi? Clavi & crux in conſpéctu ſunt: verùm ea ipſa crux, inquit, eſt ſýmbolum regni. Ideò ipſum Regem voco, quia vídeo crucifixum. Regis enim eſt pro súbditis mori. Hic ipſe dixit: Bonus paſtor ánimam ſuam ponit pro óvibus: ergo & bonus rex ánimam ſuam ponit pro súbditis. Quóniam ígitur ánimam ſuam póſuit, ideò Regem eum voco. Meménto meî, Dómine, in regno tuo.

℞. vj. Non eſt ſpécies ei neque decor; & * Vídimus eum, & non erat aſpéctus. *Iſ.* 53 2. ℣. Exívit Jeſus portans corónam ſpíneam, & purpúreum veſtiméntum. *Joan.* 19. 5. * Vídimus. *Reſumitur* ℞. Non eſt.

IN III. NOCTURNO.

In Pſal. 68. Salvum me fac, Deus, *p.* 91.

Ant. 1. D. Pilátus dicit Judǽis: Ecce Rex ve-

utem clamábant :
ile, crucifige eum.
. 14. 15.
iſ. *Pſal.* 68. Exaú-
Dómine, *p.* 92.
3. c. Univérſus pó-
dixit : Sanguis ejus
nos, & ſuper filios
s. *Matt.* 27. 25.
alter. diviſ. Pſal. 68.
ſum pauper & dolens,
..
nt. 4. a. Pilátus Jeſum
ellátum trádidit eis, ut
cifigerétur. *Matt.* 27.
.
℣. Super me, Dómine,
nfirmátus eſt furor tuus :
℟. Et omnes fluctus tuos
nduxíſti ſuper me. *Pſ.* 87.
8.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Románes.

LECTIO VII. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 7.

JUſtificáti ex fide, pacem habeámus ad Deum, per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem & habémus accéſſum per fidem in grátiam iſtam in qua ſtamus, & gloriámur in ſpe glóriæ filiórum Dei. Non ſolùm autem, ſed & gloriámur in tribulatiónibus, ſciéntes quòd tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio verò ſpem, ſpes autem non confúndit : quia cáritas Dei diffúſa eſt in córdibus noſtris, per Spíritum ſanctum qui datus eſt nobis. Ut quid enim Chriſtus, cùm adhuc infirmi eſſémus, ſecúndùm tempus pro ímpiis mórtuus eſt ? vix enim pro juſto quis móritur : nam pro bono fórſitàn quis aúdeat mori ?

℟. vij. Trádidit in mortem ánimam ſuam ; & * Cum ſcelerátis reputátus eſt ; & ipſe peccáta multórum tulit, & pro tranſgreſſóribus rogávit. *Iſ.* 53. 12. ℣. Crucifixérunt Jeſum, & latrónes, unum à dextris, & álterum à ſiníſtris. Jeſus autem dicébat : Pater, dimítte illis. *Luc.* 23. 33. 34. * Cum ſcelerátis.

LECTIO VIII. *v.* 8. *ad* 11.

COmméndat autem caritátem ſuam Deus in nobis : quóniam cùm adhuc peccatóres eſſémus, ſecúndùm tempus Chriſtus pro nobis mórtuus eſt. Multò ígitur magìs nunc juſtificáti in ſánguine ipsíus, ſalvi érimus ab ira per ipſum. Si enim, cùm inimíci eſſémus, reconciliáti ſumus Deo per mortem Fílii ejus, multò magìs reconciliáti ſalvi érimus in vita ipsíu
Non ſolùm autem : ſed
gloriámur in Deo, per D
minum noſtrum Jeſū Ch
ſtum, per quem nunc
conciliatiónem accépin

℟. viij. Clama, ne
ſes ; * Quaſi tuba, e
vocem tuam, & ann
pópulo meo ſcélera eó
Iſ. 58. 1. ℣. Cùm ac
ſet Jeſus acétum,
Conſummátum eſt ;

clináto cápite, trádidit ſpíritum. *Joan.* 19. 30. * Quaſi tuba.

LECTIO IX. *v.* 12. *ad finem.*

PRoptéreà ſicut per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, & per peccátum mors, & ità in omnes hómines mors pertránſiit, in quo omnes peccavérunt. Uſque ad legem enim peccátum erat in mundo: peccátum autem non imputabátur, cùm lex non eſſet. Sed regnávit mors ab Adam uſque ad Móyſen, étiam in eos qui non peccavérunt in ſimilitúdinem prævaricatiónis Adæ, qui eſt forma futúri. Sed non ſicut delíctum, ità & donum: ſi enim unius delícto multi mórtui ſunt, multò magìs grátia Dei, & donum in grátia unius hóminis Jeſu Chriſti in plures abundávit. Et non ſicut per unum, peccátum, ità & donum: nam judícium quidem ex uno in condemnatiónem; grátia autem ex multis delíctis in juſtificatiónem. Si enim unius delícto mors regnávit per unum: multò magìs abundántiam grátiæ, & donatiónis, & juſtítiæ accipiéntes, in vita regnábunt, per unum Jeſum Chriſtum. Igitur ſicut per unius delíctum, in omnes hómines in condemnatiónem: ſic & per unius juſtítiam, in omnes hómines in juſtificatiónem vitæ. Sicut enim per inobediéntiam unius hóminis, peccatóres conſtitúti ſunt multi: ità & per unius obeditiónem, juſti conſtituéntur multi. Lex autem ſubintrávit, ut abundáret delíctum: ubi autem abundávit delíctum, ſuperabundávit grátia. Ut ſicut regnávit peccátum in mortem, ità & grátia regnet per juſtítiam in vitam ætérnam, per Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. *ix.* Erit in die illa, dicit Dóminus Deus: Occidet ſol in merídie; & * Tenebréſcere fáciam terram in die lúminis. *Amos.* 8. 9. ℣. A ſexta hora, ténebræ factæ ſunt ſuper univérſam terram, uſque ad hóram nonam. *Matt.* 27. 45. * Tenebréſcere. *Reſumitur* ℟. Erit.

AD LAUDES MATUTINAS.

In Pſal. 21. Deus, Deus meus, réſpice in me, quare me dereliquíſti? *p.* 98.

Ant. 1. D. Aperi, Dómine, óculos tuos, & vide deſolatiónem noſtram. *Dan.* 9. 18.

In diviſ. Pſal. 21. Ne diſcéſſeris à me, *p.* 98.

Ant. 6. F. Defécit, Dómine, gaúdium cordis noſtri; verſus eſt in luctum chorus noſter. *Thren.* 5. 15.

In alter. diviſ. Pſal. 21. Apud te laus mea, in eccléſia magna, *p.* 99.

Ant. 1. a. Interfecíſti in

die furóris tui: percuſſiſti, nec misértus es. *Thren.* 2. 21.

Ant. 2. *D.* Occidiſti.

CANTICUM ISAIÆ. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 6.

Sub figura vineæ ſterilis in direptionem traditæ, prænuntiatur judicium & deſertio Judæorum.

CAntábo dilécto meo * cánticum patruélis mei víneæ ſuæ.

Vínea facta eſt dilécto meo * in cornu filio ólei.

Et ſepívit eam, & lápides elégit ex illa, * & plantávit eam eléctam.

Et ædificávit turrim in médio ejus, * & tórcular extrúxit in ea.

Et expectávit ut fáceret uvas; * & fecit labrúſcas.

Nunc ergo, habitatóres Jerúſalem & viri Juda, * judicáte inter me & víneam meam.

Quid eſt quod débui ultrà fácere víneæ meæ, & non feci ei? * An quòd expectávi ut fáceret uvas, & fecit labrúſcas?

Et nunc oſténdam vobis quid ego fáciam víneæ meæ: * auféram ſepem ejus, & erit in direptiónem:

Diruam macériam ejus, * & erit in conculcatiónem.

Et ponam eam deſértam; non putábitur, & non fodiétur: * & aſcéndent vepres & ſpinæ:

Et núbibus mandábo * ne pluant ſuper eam imbrem.

Ant Occidiſti, nec pepercíſti; oppoſuiſti nubem tibi, ne tránſeat orátio. *Thren.* 3. 43. 44.

In Pſal. 145. Lauda, ánima mea, Dóminum, *p.* 94.

Ant. 4. a. Vide, Dómine, & conſidera, quem vindemiáveris ità. *Thren.* 2. 20.

Ad Benedictus, *Ant.* 6. *F.* Juſtus perit; & non eſt qui recógitet in corde ſuo. *Iſ.* 57. 1.

Finitâ Antiphonâ, cantantur Tropi; & reliqua fiunt ut heri, p. 270.

AD HORAS, *omnia ut in die præcedenti.*

Hodie, factâ Communione, Veſperæ in Choro dicuntur privatim & ſecretò. Interim Celebrans eas recitat ad ſedem ſuam, cum Miniſtris, ità ut à Choro non audiatur.

Super Pſalmos nullæ dicuntur Antiphonæ.

Pſalmus 123. Niſi quia Dóminus, *p.* 56.

Pſalmus 128. Sæpè expugnavérunt me, *p.* 100.

Pſalmus 139. Eripe me, Dómine, *cum ſua diviſione, p.* 101.

Pſalmus 140. Dómine, clamávi ad te, *p.* 117.

Pſalmus 141. Voce meâ ad Dóminum, *p.* 101.

Canticum, Magníficat: *deinde Antiphona,* Jeſus íterùm clamans voce magnâ, emíſit ſpíritū. *Matt.* 27. 50.

Oratio, Réſpice, *ſuprà, p.* 271.

Finitâ Oratione, omnes diſcedunt in ſilentio.

COMPLETORIUM, *ut heri.*

SABBATO SANCTO.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

IN I. NOCTURNO.

In Pſal. 14. Dómine, quis habitábit, *p.* 73.

Ant. 8. G. Velum Templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deórsùm. *Matt.* 27. 51.

In Pſal. 23. Dómini eſt terra & plenitúdo ejus, *p.* 87.

Ant. 3. *à.* Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monuménta apérta ſunt. *Matt.* 27. 51. 52.

In Pſal. 27. Ad te, Dómine, clamábo, Deus meus, *p.* 6.

Ant. 8. c. Videns Centúrio quod factum fúerat, glorificávit Deum, dicens: Verè hic homo juſtus erat. *Luc.* 23. 47.

℣. Ipſi vidéntes ſic admiráti ſunt, conturbáti ſunt, commóti ſunt; ℟. Tremor apprehéndit eos. *Pſ.* 47. 6. 7.

De Lamentatióne Jeremíæ Prophétæ.

LECTIO I. *c.* 3. *v.* 22. *ad* 30.

MIſericórdiæ Dómini, quia non ſumus conſúmpti, quia non defecérunt miſeratiónes ejus. Novi dilúculo, multa eſt fides tua. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea; proptéreà expectábo eum. Bonus eſt Dóminus ſperántibus in eum, ánimæ quærénti illum. Bonum eſt præſtolári cum ſiléntio ſalutáre Dei. Bonum eſt viro, cùm portáverit jugum, ab adoleſcéntia ſua. Sedébit ſolitárius, & tacébit: quia levávit ſuper ſe. Ponet in púlvere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes. Dabit percutiénti ſe maxíllam, ſaturábitur oppróbriis. Jerúſalem, &c.

℟. j. De manu mortis liberábo eos; de morte rédimam eos: * Ero mors tua, ô mors! morſus tuus ero, inférne. *Oſee.* 13. 14. ℣. Multa córpora Sanctórum qui dormíerant, ſurrexérunt. *Matt.* 27. 52. * Ero.

LECTIO II. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 6.

QUómodo obſcurátum eſt aurum, mutátus eſt color óptimus, diſpérſi ſunt lápides ſanctuárii in cápite ómnium plateárum? Fílii Sion ínclyti, & amícti auro primo: quómodo reputáti ſunt in vaſa téſtea, opus mánuum fíguli? Sed & lámiæ nudavérunt mammam, lactavérunt cátulos ſuos: fília pópuli mei crudélis, quaſi ſtrúthio in deſérto. Adhǽſit lingua lacténtis ad palátum ejus in ſiti: párvuli petiérunt panem, & non erat qui frángeret eis. Qui veſcebántur voluptuóſè, interiérunt in viis: qui nutriebántur in cróceis, am-

plexáti ſunt ſtércora. Et major efféćta eſt iníquitas fíliæ pópuli mei peccáto Sodomórum, quæ ſubvérſa eſt in moménto, & non cepérunt in ea manus. Jerúſalem, Jerúſalem, &c.

℟. *ij*. Aſpícient ad me quem confixérunt; & * Plangent eum planćtu, quaſi ſuper unigénitum: & dolébunt ſuper eum, ut doléri ſolet in morte primogéniti. *Zach*. 12. 10. ℣. Omnis turba eórum qui ſimul ádérant ad ſpećtáculum iſtud, & vidébant quæ fiébant, percutiéntes péćtora ſua, revertebántur. *Luc*. 23. 48. * Plangent.

Incipit Orátio Jeremíæ Prophétæ.

LECTIO III. *v.* 1. *ad* 11.

RECordáre, Dómine, quid accíderit nobis: intuére, & réſpice oppróbrium noſtrum. Hæréditas noſtra verſa eſt ad aliénos, domus noſtræ ad extráneos. Pupílli fáćti ſumus abſque patre: matres noſtræ quaſi víduæ. Aquam noſtram pecúniâ bíbimus: ligna noſtra prétio comparávimus. Cervícibus noſtris minabámur: laſſis non dabátur réquies. Ægýpto dédimus manum & Aſsýriis: ut ſaturarémur pane. Patres noſtri peccavérunt, & non ſunt: & nos iniquitátes eórum portávimus. Servi domináti ſunt noſtrî: non fuit qui redímeret de manu eórum. In animábus noſtris afferebámus panem nobis, à fácie gládii in desérto. Pellis noſtra quaſi clíbanus exúſta eſt, à fácie tempeſtátum famis. Mulíeres in Sion humiliavérunt, & vírgines in civitátibus Juda. Jerúſalem, &c.

℟. *iij*. Exclamántes ploravérunt; * Sciſsisque véſtibus, ſparsérunt púlverem ſuper caput ſuum in cœlum. *Job*. 2. 12. ℣. Timuérunt valde, dicéntes: Verè Fílius Dei erat iſte. *Matt*. 27. 54. * Sciſsíſque. *Reſumitur* ℟. Exclamántes.

IN II. NOCTURNO.

In Pſal. 42. Júdica me, Deus, *p.* 81.

Ant. 7. G. Judǽi rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, & tolleréntur. *Joan*. 19. 31.

In Pſal. 55. Miſerére meî, Deus, quóniam conculcávit, *p.* 103.

Ant. 8. *g*. Venérunt mílites; & primi quidem fregérunt crura, & altérius qui crucifixus eſt cum Jeſu. *Joan*. 19 32.

In Pſal. 56. Miſerére meî, Deus, miſerére meî, *p.* 53.

Ant. 3. *a*. Stabant omnes noti Jeſu à longè, & mulíeres quæ ſecútæ eum erant à Galilǽa. *Luc*. 23. 49.

℣. Ecce cepérunt ánimam meam; ℟. Irruérunt in me fortes. *Pſ*. 58. 4.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. de Cœmeter. & Cruce. n. 2.

LECTIO IV.

HOdie, dilectíſſimi, ómnia inferórum loca círcuit Dóminus noſter. Hódie portas æreas confrégit: hódie vectes férreos contrívit. Vide in Prophéta dicti accuratiónem. Non dixit, Apéruit portas æreas; ſed, Confrégit: ut inútilis deínceps carcer fiat. Non ábſtulit vectes, ſed contrívit: ut cuſtódia deínceps frágilis & infirma reddátur, ubi neque jánua, neque vectis, & licèt quis intret, non tenétur. Quando ígitur Chriſtus confrégit, quis álius reparáre póterit? Reges, cùm vinctos dimíttere volunt, miſſis epíſtolis, non ità agunt: ſed tam fores quàm cuſtódes relínquunt, ut oſténdant eò denuò ingrediéndum eſſe, vel illis qui jam líberi abiérunt, vel eórum loco, áliis. Non ità Chriſtus: ſed demonſtráre volens mortem jam ad finem metámque perveniſſe, æreas ejus portas confrégit, hoc eſt, immítem illam & inexorábilem mortis neceſſitátem.

℟. *iv.* In una domo comedétur agnus: * Nec efferétis de cárnibus ejus foràs, nec os illíus confringétis. *Exod.* 12. 46. ℣. Ut vidérunt Jeſum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura. *Joan.* 19. 33. * Nec efféritis.

LECTIO V.

POrrò, quod admiratióne digníſſimum eſt, Rex ipſe ad vinctos venit. Atqui nullus rex unquam hoc dignarétur fácere: ſed miníſtri vinctos dimíttunt. Secùs hîc: ípſemet Rex ad vinctos venit. Non erúbuit cárcerem neque deténtos in cárcere, de eo enim quem finxerat erubéſcere non pótuit: & confrégit fores, & vectes contrívit. Superáſtitit inférno, & desértam fecit totam illíus cuſtódiam: carceríſque cuſtóde in víncula conjécto, ad nos remeávit. Tyránnus captívus ducebátur, fortis vinctus, ipſa mors, abjéctis armis, nuda ad pedes Regis cucúrrit.

℟. *v.* In die illa erit fons patens dómui David & habitántibus Jerúſalem, * In ablutiónem peccatóris. *Zach.* 13. 1. ℣. Unus mílitum lánceâ latus Jeſu apéruit; & contínuò exivit ſanguis & aqua. *Joan.* 19. 24.* In ablutiónem.

LECTIO VI.

VIdíſti mirándam victóriam; vidíſti crucis beneficia. De morte immortáles facti ſumus: hæc præclára crucis facínora. Intellexíſti victóriam: intellexíſti modum victóriæ: diſce nunc quómodo ſinè labóre & ſudóre noſtro, victória hæc fúerit parta. Nos arma

non cruentávimus, non ſtétimus in ácie, non accépimus vúlnera, neque vídimus bellum : & tamen victóriam obtinúimus. Certámen Dómini fuit coróna noſtra. Cùm ergo & noſtra ſit victória, mílites imitémur : lætíſque vócibus, victóriæ laudes & cármina hódie decantémus. Dicámus Dóminũ laudántes ; Absórpta eſt mors in victória. Ubi eſt, mors, victória tua ? Ubi ſtímulus tuus, inférne ? Hæc ómnia præclára facta crux nobis péperit. Crux trophǽum contra dǽmones eréctum, gládius contra peccátum, gládius quo ſerpéntem confódit Chriſtus. Crux Patris volúntas, Unigéniti glória, Spíritûs exultátio, Angelórum decus, Eccléſiæ ſecúritas, gloriátio Pauli, Sanctórum murus, totíus orbis lumen.

℟. *vj.* Abſcíſſus eſt de terra vivéntium : * Propter ſcelus pópuli mei, percúſſi eum. *Iſ.* 53 8. ℣. Facta ſunt hæc, ut Scriptúra impleréturr. *Joan.* 19. 36. * Propter. *Reſumitur* ℟. Abſcíſſus eſt.

IN III NOCTURNO.

In Pſal. 60. Exaúdi, Deus, deprecatiónẽ meam, *p.* 82.

Ant. 4. f. Vir nómine Joſeph accéſſit ad Pilátum, & pétiit corpus Jeſu. *Luc.* 23. 52.

In Pſal. 87. Dómine, Deus ſalútis meæ, *p.* 90.

Ant. 3. c. Venit & Nicodémus, qui venérat ad Jeſum nocte primùm, ferens mixtúram myrrhæ & áloës, quaſi libras centum. *Joan.* 19. 39.

In diviſ. Pſal. 87. Clamávi ad te, Dómine, *p.* 91.

Ant. 7. c. Accepérunt ergo corpus Jeſu, & ligavérunt illud líntcis, cum aromátibus. *Joan.* 19. 40.

℣. Credo vidére bona Dómini, ℟. In terra vivéntium. *Pſ.* 26. 13.

De Epiſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebrǽos.

LECTIO VII. *c.* 9. *v.* 11. *ad* 14.

CHriſtus aſsiſtens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius & perféctius tabernáculum non manufáctum, id eſt, non hujus creatiónis : neque per ſánguinem hircórum aut vitulórum, ſed per próprium ſánguinem, introívit ſemel in Sancta, ætérnâ redemptióne invéntâ. Si enim ſanguis hircórũ & taurórum, & cinis vítulæ aſpérſus inquinátos ſanctíficat ad emundatiónẽ carnis, quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spíritum ſanctum ſemetípſum óbtulit immaculátum Deo, emundábit conſciéntiam noſtram ab opéribus mórtuis, ad ſerviéndum Deo vivénti ?

℟. *vij.* Ne lætéris, inimíca mea, ſuper me, quia cécidi : * Conſúrgam, cùm

ſédero in ténebris; Dóminus lux mea eſt. *Mich.* 7. 8. ℣. Joſeph póſuit corpus Jeſu in monuménto exciſo, in quo nondùm quiſquam póſitus fúerat. *Luc.* 23. 53. * Consurgam.

Lectio VIII. *v.* 15. *ad* 22.

ET ídeò novi Teſtaménti Mediátor eſt: ut morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónum quæ erant ſub prióri Teſtaménto, repromiſſiónem accípiant qui vocati ſunt, ætérnæ hæreditátis. Ubi enim teſtaméntum eſt, mors necéſſe eſt intercédat teſtatóris. Teſtaméntum enim in mórtuis confirmátum eſt: alióquin nondùm valet, dum vivit qui teſtátus eſt. Unde nec primum quidem ſinè sánguine dedicátum eſt. Lecto enim omni mandáto Legis à Móyſe univérſo pópulo, accípiens sánguinem vitulórum & hircórum, cum aqua, & lana coccínea, & hyſsópo, ipſum quoque librum & omnem pópulum aſpérſit, dicens: Hic ſanguis Teſtaménti quod mandávit ad vos Deus. Etiam tabernáculū & ómnia vaſa miniſtérii sánguine ſimíliter aſpérſit. Et ómnia penè in sánguine ſecúndùm Legem mundántur: & ſinè sánguinis effuſióne non fit remíſſio.

℟. *viij.* Venatióne cepérunt me, quaſi avem, inimíci mei gratìs. * Lapſa eſt *in lacum vita mea*, & poſuérunt lápidem ſuper me. *Thren.* 3. 52. 53. ℣. Joſeph advólvit ſaxum magnum ad óſtium monuménti, & ábiit. *Matt.* 27. 60. * Lapſa eſt.

Lectio IX. *v.* 23. *ad finem.*

NEcéſſe eſt ergo exemplária quidem cœléſtium his mundári; ipſa autem cœléſtia, melióribus hóſtiis quàm iſtis. Non enim in manufácta Sancta Jeſus introívit, exemplária verórum, ſed in ipſum cœlum, ut appáreat nunc vúltui Dei pro nobis. Neque ut ſæpè ófferat ſemetípſum, quemádmodum Póntifex intrat in Sancta per síngulos annos in sánguine alièno: alióquin oportébat eum frequénter pati ab orígine mundi. Nunc autem ſemel in conſummatióne ſeculórum, ad deſtitutiónem peccáti, per hóſtiam ſuam appáruit. Et quemádmodum ſtatútum eſt homínibus ſemel mori, poſt hoc autem judícium, ſic & Chriſtus ſemel oblátus eſt, ad multórum exhauriénda peccáta: ſecúndò ſinè peccáto apparébit expectántibus ſe, in ſalútem.

℟. *ix.* Caro mea requiéſcet in ſpe: quóniam * Non derelínques ánimam meam in inférno, nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem. *Pſ.* 15. 9. 10. ℣. Muniérunt ſepúlcrum, ſignántes lápidem cum cuſtó-

dibus. *Matt.* 27. 66. * Non. *Reſumitur* ℟. Caro mea.

ADLAUDES MATUTINAS.

In Pſal. 12. Uſquequò, Dómine, oblivíſcéris me, *p.* 57.

Ant. 2. D. Pater, venit hora; clarífica Fílium tuum, ut Fílius tuus claríficet te. *Joan.* 17. 1.

In Pſal. 142. Dómine, exaúdi oratiónem meam, aúribus pércipe obſecratiónem, *p.* 105.

Ant. 5. C. Ego te clarificávi ſuper terram: opus conſummávi quod dedíſti mihi ut fáciam. *Joan.* 17. 4.

In diviſ. Pſal. 142. Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam, [Dómine,] *p.* 106.

Ant. 4. A. Nunc clarífica me, tu Pater, apud temetípſum, claritáte quam hábui, priúſquàm mundus eſſet, apud te. *Joan.* 15. 5.

Ant. 2. *D*. Manifeſtávi.

CANTICUM JONÆ. *c.* 2. *v.* 3. *ad* 10.

Propheta, Chriſtum in ventre terræ concluſum præſignans, è ventre cete clamat ad Dominum.

CLamávi de tribulatióne mea ad Dóminum; * & exaudívit me.

De ventre ínferi clamávi; * & exaudíſti vocem meam.

Et projecíſti me in profúndum in corde maris; * & flumen circúmdedit me.

Omnes gúrgites tui & fluctus tui * ſuper me tranſiérunt.

Et ego dixi: Abjéctus ſum à conſpéctu oculórum tuórum: * verúmtamen rursùs vidébo Templum ſanctum tuum.

Circumdedérunt me aquæ, * uſque ad ánimam.

Abýſſus vallávit me; * pélagus opéruit caput meum.

Ad extréma móntium deſcéndi: * terræ vectes concluſérunt me in ætérnum.

Et ſublevábis de corruptióne vitam meam, * Dómine Deus meus.

Cùm anguſtiarétur in me ánima mea, * Dómini recordátus ſum;

Ut véniet ad te orátio mea, * ad Templum ſanctum tuum.

Qui cuſtódiunt vanitátes fruſtrà, * miſericórdiam ſuam derelínquunt.

Ego autem in voce laudis immolábo tibi; * quæcúmque vovi reddam, pro ſalúte, Dómino.

Ant. Manifeſtávi nomen tuum homínibus quos dedíſti mihi de mundo. *Joan.* 17. 6.

In Pſal. 150. Laudáte Dóminum in ſanctis ejus, *p.* 10.

Ant. 8. *g*. Pater, ſalvífica me ex hac hora. *Joan.* 12. 27.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. *d.* Penetrábo omnes inferióres

partes terræ, & inſpíciam omnes dormiéntes, & illuminábo omnes ſperántes in Dómino. *Eccli.* 24. 45.

Finitâ Antiphonâ, cantantur Tropi, & reliqua fiunt ut ſuprà, p. 270.

AD HORAS, *omnia ut in Feria V. in Cœna Domini, ſuprà, p.* 271.

AD VESPERAS.

Factâ Communione in Miſſa, Veſpera abſolutè incipiuntur ab impoſitione Antiphonæ 5. *toni in* C. Allelúia.

PSALMUS 116.

Miſericordia & veritas Dei in populum ſuum à gentibus laudanda.

LAudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli;

Quóniã confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia ejus; * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Non additur, Glória Patri.

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Ad Magníficat. *Ant.* 6. C. Cùm tranſiſſet Sábbatum, María Magdaléne, & María Jacóbi, & Salóme emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jeſum, allelúia. *Marc.* 16. 1.

Non dicitur, Glória Patri.

Sacerdos ad altare dicit:

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

QUos in hac Paſchális noctis celebritáte córpore ac ſánguine ſuo Chriſtus vita noſtra réficit, fac, Deus, ut peccáto mórtui, cum illo consúrgant & vivant; Per eúmdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia ſécula ſeculórum. Amen.

Reliqua ut in Miſſali.

Extra Chorum, dictis, Pater. Ave. *Veſperæ dicuntur ut ſuprà, omiſſo* Allelúia *ante Pſalmum,* Laudáte.

Poſt Orationem, loco, Ite, Miſſa eſt, *dicitur* ℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias.

AD COMPLETORIUM.

Omiſſis, Convérte nos, Deus, in adjutórium, *&* Glória Patri, *abſolutè inchoatur Completorium à Pſalmis de Dominica,* 5. *tono in* C. *qui ſinguli dicuntur ſinè* Glória Patri, *& ſinè Antiphona. His finitis, dicitur ſemel,* Allelúia.

Deinde, Nunc dimíttis, *ſinè* Glória Patri, *ſub Antiphona ſequente.*

Ant. 8. G. Véſpere Sábbati, quæ lucéſcit in prima Sábbati, venit María Magdaléne, & áltera María vidére ſepúlcrum, allelúia. *Matt.* 28. 1.

Statim ſequitur Oratio, ante quam non dicitur, Dóminus vobíſcum, *nec* Orémus.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut Reſurrectiónis Dómini noſtri Jeſu Chriſti mereámur eſſe partícipes; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia ſécula ſeculórum. Amen.

Non dicitur ℣. Dóminus vobíſcum.

Nec Benedicámus Dómino.

Deinde dicitur, Pater. Ave. Credo.

Hodie nulla dicitur Antiphona ad beatam Mariam Virginem.

IN DIE SANCTO
PASCHÆ.
ANNUALE.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Pater. Ave. Credo.

DOmine, lábia mea apéries, &c. *ut in Pſalterio, cum* Allelúia.

Invitatorium. Allelúia, Jeſus qui crucifixus eſt, ſurréxit; * Veníte, adorémus, allelúia. *Matt.* 28. 5. 6.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſolemni.*

Non dicitur Hymnus: quod obſervatur etiam ad alias Horas, uſque ad Nonam Sabbati ſequentis incluſivè.

In Pſal. 2. Quare fremuérunt gentes, *p.* 3.

Ant. 1. J. Repromiſſiónem Deus adimplévit reſúſcitans Jeſum; ſicut & in Pſalmo ſecúndo ſcriptum eſt: Fílius meus es tu; ego hódie génui te, allelúia. *Act.* 13. 33.

In Pſal. 15. Consérva me, Dómine, *p.* 87.

Ant. 4. D. Quòd ſuſcitávit eum à mórtuis, ámpliùs jam non reversúrum in corruptiónem, ità dixit: Quia dabo vobis Sancta David fidélia: ideóque & áliàs dicit: Non dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem, allelúia. *Act.* 13. 34. 35.

In Pſal. 29. Exaltábo te, Dómine, *p.* 7.

Ant. 8. G. Jeſum Deus ſuſcitávit, ſolútis dolóribus inférni, juxta quòd impoſsíbile erat teneri illum ab eo, allelúia. *Act.* 2. 24.

℣. Illuxérunt, Dómine, coruſcatiónes tuæ orbi terræ; ℟. Commóta eſt, & contrémuit terra. *Pſ.* 76. 19.

Pater noſter, *ſecretò, uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Benedictiones pro Tempore Paſchali habentur poſt Pſalterium, p. 122.

De Epiſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

LECTIO I. *c.* 6. *v.* 3. *ad* 12.

AN ignorátis quia quicúmque baptizáti ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipsíus baptizáti ſumus? Conſepúlti enim ſumus cum illo per Baptíſmum in mortem: ut quómodo Chriſtus ſurréxit à mórtuis per glóriam Patris, ità & nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti ſumus ſimilitúdini mortis ejus, ſimul & re-

ſurrectiónis érimus. Hoc ſciéntes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruátur corpus peccáti, & ultrà non ſerviámus peccáto. Qui enim mórtuus eſt, juſtificátus eſt à peccáto. Si autem mórtui ſumus cum Chriſto, crédimus quia ſimul étiam vivémus cum Chriſto: ſciéntes quòd Chriſtus resúrgens ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultrà non dominábitur. Quòd enim mórtuus eſt peccáto, mórtuus eſt ſemel: quòd autem vivit, vivit Deo. Ità & vos exiſtimáte vos mórtuos quidem eſſe peccáto, vivéntes autem Deo, in Chriſto Jeſu Dómino noſtro. Non ergo regnet peccátum in veſtro mortáli córpore, ut obediátis concupiſcéntiis ejus.

℟. *j.* Ecce ego creo Jerúſalem exultatiónem, & pópulum ejus gáudium: & exultábo in Jerúſalem, & * Gaudébo in pópulo meo; & non audiétur in eo ultrà vox fletûs, allelúia. *Iſ.* 65. 18. 19. ℣. Angelus Dómini deſcéndit de cœlo, & accédens revólvit lápidem, & ſedébat ſuper eum. *Matt.* 28. 2. * Gaudébo. Glória. * Gaudébo.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 231. n. 2.

LECTIO II.

RESurréctio Dómini noſtri Jeſu Chriſti nova *vita eſt credéntium in Je*ſum, & hoc eſt ſacraméntum Paſſiónis & Reſurrectiónis ejus, quod valde noſſe & ágere debétis. Non enim légibus mortis venit obſtríctus. Ideò dícitur in Pſalmo, Inter mórtuos liber: quem ſinè concupiſcéntia Virgo concépit, quem & Virgo péperit, & Virgo permánſit: qui vixit ſinè culpa, qui non eſt mórtuus propter culpam: commúnicans nobíſcum pœnam, non commúnicans culpam. Pœna culpæ, mors: Dóminus Jeſus Chriſtus mori venit, peccáre non venit, Communicándo nobíſcum ſinè culpa pœnam, & culpam ſolvit & pœnã. Quam pœnam ſolvit? Quæ nobis debebátur poſt iſtam vitam. Ergo crucifixus eſt, ut in cruce oſténderet véteris hóminis noſtri occáſum: & reſurréxit, ut in ſua vita oſténderet noſtræ vitæ novitátem. Sic enim doctrína docet Apoſtólica: Tráditus eſt, inquit, propter peccáta noſtra, & reſurréxit propter juſtificatiónem noſtram.

℟. *ij.* Exúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus, & * Fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus: ſicut déficit fumus, deficiant, allelúia. *Pſ.* 67. 2. 3. ℣. Extérriti ſunt cuſtódes, & facti ſunt velut mórtui. *Matt.* 28. 4. * Fúgiant qui odérunt eum. Glória. * Fúgiant qui odérunt eum.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Marcum.

LECTIO III. *c.* 16. *v.* 1. *ad* 7.

Reſurrectio Chriſti.

CUm tranſiſſet Sábbatum, María Magdaléne, & María Jacóbi, & Salóme emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jeſum. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 21. *in Evang. habita. in Baſil. S. Mariæ Maj. Die ſancto Paſcha.* n. 2. 3.

AUdiſtis, fratres cariſſimi, quòd ſanctæ mulieres quæ Dóminum fúerant ſecútæ, cum aromátibus ad monuméntum venérunt: & ei quem vivéntem dilèxerant, étiam mórtuo, ſtúdio humanitátis obſequúntur. Sed res geſta áliquid in ſancta Eccléſia ſignat geréndum. Sic quippe necéſſe eſt ut audiámus quæ facta ſunt, quátenùs cogitémus étiam quæ nobis ſint ex eórum imitatióne faciénda. Et nos ergo in eum qui eſt mórtuus credéntes, ſi odóre virtútum reférti cum opinióne bonórum óperum Dóminum quærimus, ad monuméntum profécto illíus cum aromátibus venímus. Illæ autem mulíeres Angelos vident, quæ cum aromátibus venérunt: quia vidélicet illæ mentes, ſupérnos cives aſpíciunt, quæ cum virtútum odoribus ad Dóminum per ſancta deſidéria proficiſcúntur. Notándum verò nobis eſt quidnam ſit quòd in dextris ſedére Angelus cérnitur, qui ſtolâ cándidâ coopértus appáruit. Sed quid adveniéntes féminas affátur, audiámus. Nolíte expavéſcere: ac ſi apértè dicat: Páveant illi qui non amant advéntum ſupernórum cívium: vos cur pertiméſcitis, quæ veſtros concíves vidétis? Unde & Matthæus Angelum apparuiſſe deſcríbens, ait: Erat aſpéctus ejus ſicut fulgur, & veſtiménta ejus ſicut nix. In fúlgure étenim terror timóris eſt, in nive autem blandiméntum candóris. Quia verò omnípotens Deus, & terríbilis peccatóribus, & blandus eſt juſtis, rectè teſtis reſurrectiónis ejus Angelus, & in fúlgure vultûs, & in candóre hábitûs demonſtrátur: ut de ipſa ſua ſpécie, & terréret réprobos, & mulcéret pios.

℟. *iij.* Súmite pſalmum, & date týmpanum, pſaltérium jucúndum cum cýthara; * Buccináte in neoménia tubâ, in insígni die Solemnitátis veſtræ, allelúia. *Pſ.* 80. 3. 4. ℣. Jeſum quæritis Nazarénum crucifixum: ſurréxit, non eſt hîc. *Marc.* 16. 6. * Buccináte. Glória. *Reſumitur* ℟. Súmite.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Dóminus regnávit, decórem indútus eſt; ℟. Indútus eſt Dóminus fortitúdinem. *Pſ.* 92. 1.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 8. G. Surge, Dómine, & diſſipéntur inimíci tui, & fúgiant qui odérunt te, à fácie tua, allelúia. *Num.* 10. 35.

Ant. 1. D. Exaltétur manus tua, & non vídeant; vídeant, & confundántur, allelúia. *Iſ.* 26. 11.

Ant. 5. a. Sciant omnes pópuli terræ nomen tuum, & tímeant te, allelúia. 2. *Par.* 6. 33.

Ant. 2. D. Accepíſti.

CANTICUM. *Apoc. c.* 5. *v.* 9. *ad* 10.

Chriſti reſurgentis triumphus.

DIgnus es, Dómine, accípere librum, * & aperíre ſignácula ejus:

Quóniam occíſus es, & redemíſti nos Deo in sánguine tuo, * ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natióne:

Et fecíſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdótes: * & regnábimus ſuper terram....

Sedénti in throno, * & Agno, benedíctio,

Et honor, & glória, & potéſtas, * in sécula ſeculórum. Amen.

Non dicitur, Glória Patri.

Ant. Accepíſti, Dómine, virtútem tuam magnam, & regnáſti, allelúia. *Apoc.* 11. 17.

Ant. 3. a. In sánguine teſtaménti tui, emiſíſti vinctos tuos, allelúia. *Zach.* 9. 11.

Loco Capituli, Hymni & ℣. dicitur:

Hæc eſt dies quam fecit Dóminus: exultémus, & lætémur in ea. *Pſ.* 117. 24.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. C. Ego ſum primus & noviſſimus, & vivus; & fui mórtuus, & ecce ſum vivens in sécula ſeculórum, allelúia. *Apoc.* 1. 17. 18.

Oratio.

DEus, qui hodiérnâ die per Unigénitum tuum, æternitátis nobis áditum devíctâ morte reſeráſti; vota noſtra, quæ præveniéndo aſpíras, étiam adjuvándo proſéquere; Per eúmdem Dóminum.

℣. Dóminus vobíſcum, &c. ℣. Benedicámus Dómino, &c.

AD HORAS, *Pſalmi cantantur de* 5. *tono in* C.

AD PRIMAM.

Poſt Deus, in adjutórium, &c. *omiſſo Hymno, dicuntur Pſalmi de Dominica abſque Symbolo, & in fine ultimi dicitur:* Allelúia.

Loco Capituli & ℟. brevis dicitur:

Hæc eſt dies quam fecit Dóminus: exultémus, & lætémur in ea. *Pſ.* 117. 24.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DOmine, Deus omnípotens, &c.

℣. Pretióſa, &c. *ut ſuprà, p.* 129. *&* 130.

Ad Tertiam, Sextam et Nonam, *Poſt* Deus, in adjutórium, *omiſſo Hymno, dicuntur Pſalmi de Dominica, quibus finitis, dicitur:* Allelúia.

Loco Capituli & ℟. *brevis dicitur:* Hæc eſt dies, *ut ſuprà, ad Primam.*

Oratio, Deus, qui hodiérnâ die, *de Laudibus.*

Sic dicuntur Horæ Minores, uſque ad Sabbatum ſequens incluſivè, cum Oratione cujuſque diei.

AD VESPERAS.

In Pſal. 109. Dixit Dóminus, *p.* 22.

Ant. 1. J. Abſórpta eſt mors in victória. Ubi eſt, mors, victória tua? Ubi eſt, mors, ſtímulus tuus? allelúia. 1. *Cor.* 15. 54. 55.

In Pſal. 110. Confitébor tibi, Dómine, *p.* 22.

Ant. 3. a. In hoc Chriſtus mórtuus eſt & reſurréxit, ut & mortuórum & vivórum dominétur, allelúia. *Rom.* 14. 9.

In Pſal. 111. Beátus vir qui timet Dóminum, *p.* 23.

Ant. 7. G. Deſtrúxit quidem mortem; illuminávit autem vitam & incorruptiónem, allelúia. 2. *Tim.* 1. 10.

℟. Hæc eſt dies quam fecit Dóminus: exultémus, & lætémur in ea, * Allelúia, allelúia. *Pſ.* 117. 24.

℣. Jeſum Deus ſuſcitávit tértiâ die, & dedit eum maniféſtum fieri. *Act.* 10. 40. * Allelúia, allelúia.

℣. Salvávit ſibi déxtera ejus, ℟. Et bráchium ſanctum ejus. *Pſ.* 97. 1.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Cùm ſerò eſſet die illo unâ Sabbatórum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcípuli congregáti propter metum Judæórum, venit Jeſus, & ſtetit in médio, & dixit eis: Pax vobis, allelúia. *Joan.* 20. 19.

Oratio, Deus, qui hodiérnâ die, *ſuprà, in Laudibus.*

Dicto ℣. Benedicámus Dómino, *&* ℟. Deo grátias, *fit Proceſſio ad Baptiſterium. Eundo cantatur Pſalm.* 112. Laudáte, púeri, *p.* 23.

Ant. 5. a. Quicúmque baptizáti ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipsíus baptizáti ſumus; conſepúlti enim ſumus cum illo per Baptíſmum in mortem, allelúia. *Rom.* 6. 3. 4.

℣. Dícite in Géntibus: ℟. Quia Dóminus regnávit. *Pſ.* 95. 10.

Orémus.

DEus, qui renátis ex aqua & Spíritu ſancto, cœléſtis regni pandis introítum; pérfice in ſanctificátis grátiam quam dediſti; ut qui ab ómnibus ſunt purgáti peccátis, nullis privéntur promíſſis; Per Dóminum..... ejuſdem.

℣. Dóminus vobiſcum, &c. ℣. Benedicámus Dómino, &c.

Dicto Deo grátias, *è Baptiſterio proceditur in Navim Eccleſiæ ad Stationem ante Crucifixum. Eundo cantatur Pſal.* 113. In éxitu Iſraël de Ægýpto, *p.* 24. *ſub Antiphona ſequenti.*

Ant. 1. A. Beáti qui lavant ſtolas ſuas in ſánguine Agni, ut ſit potéſtas eórum in ligno vitæ, allelúia. *Apoc.* 22. 14.

℣. Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, ℟. Hic factus eſt in caput ánguli. *Pſ.* 117. 22.

Orémus.

FAc, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui Paſchálibus remédiis innováti, ſimilitúdinem terréni paréntis eváſimus, ad formam cœléſtis transferámur Autóris; Qui tecum vivit & regnat.

℣. Dóminus vobíſcum, &c. ℣. Benedicámus Dómino, &c.

Dicto Deo grátias, *ſtatim imponitur ſequens*

℟. Præcipitábit mortem in ſempitérnum; & aúferet Dóminus Deus lácrymam ab omni fácie; * Et oppróbrium pópuli ſui aúferet de univérſa terra, allelúia. *Iſ.* 25. 8. ℣. Chriſtus resúrgens ex mórtuis, jam non móritur: mors illi ultrà non dominábitur. *Rom.* 6. 9. * Et oppróbrium.

Dum ſit Reclamatio, redeunt omnes in Chorum, & finito Reſponſorio, inchoatur Completorium.

Ubi non ſunt Fontes, in Veſperis dicuntur tres primi Pſalmi cum ſuis Antiphonis. Deinde Pſalmi, Laudáte, *&* In éxitu, *ſub Antiphonis notatis pro Stationibus. Tum* ℟. Hæc eſt dies, *ut ſuprà,* ℣. Salvávit, *Cant.* Magníficat, *Antiphona*, Cùm ſerò, *& Oratio*, Deus, qui hodiérnâ die. *Et ſic per Hebdomadam dicuntur Veſperæ, tum in Choro, tum à privatim recitantibus.*

AD COMPLETORIUM.

Convérte nos, &c. Deus, in adjutórium, &c.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 1. *g.* Allelúia, allelúia, allelúia.

Canticum, Nunc dimíttis, *de* 2. *tono in* A.

Hæc eſt dies quam fecit Dóminus: exultémus, & lætémur in ea. *Pſ.* 117. 24.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

SAlva nos, quæſumus, omnípotens Deus; & ut in novitáte ſpíritûs ambulémus, Lucem tuam nobis concéde perpétuam, Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

Dóminus vobíſcum, &c. Benedicámus, &c. Grátia Dómini noſtri, &c. *cum Antiphona*, Regína cœli, *ad devotionem*, p. 119.

DIEBUS INTRA HEBDOMADAM PASCHÆ.

Omnia ut in die, exceptis quæ ſequuntur.

Invitatorium. Surréxit Dóminus verè, * Veníte, adorémus, allelúia. *Luc.* 24. 34.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Tres Pſalmi pro unaquaque Feria infrà notati.

Ant. ſola 2. *D.* Chriſtus reſurréxit à mórtuis, primítiæ dormiéntium, quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem reſurréctio mortuórum, allelúia. 1. *Cor.* 15. 20 21.

℣. Dómine, eduxíſti ab inférno ánimam meam; ℟. Salváſti me à deſcendéntibus in lacum. *Pſ.* 29. 4.

Lectiones & ℟℟. ut infrà, in qualibet Feria.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Dóminus regnávit, decórem indútus eſt. ℟. Indútus eſt Dóminus fortitúdinem. *Pſ.* 92. 1.

Pſalmi de Dominica, & Canticum de die Paſcha, ſub ſola Antiphona ſequenti.

Ant. 7. d. Fecíſti nobíſcum miſericórdiam tuam, Dómine, & excluſíſti à nobis inimícum, allelúia. *Tob.* 8. 18.

Loco Capituli, Hymni & ℣. dicitur:

Hæc eſt dies quam fecit Dóminus: exultémus, & lætémur in ea. *Pſ.* 117. 24.

Antiphona ad Benedíctus *& Oratio ſunt propria cuilibet Feriæ.*

AD HORAS, *Pſalmi de Dominica; cæteráque omnia ut in die ſancto Paſcha, excepto Canone, qui proprius eſt ſingulis Feriis, & habetur ad calcem Breviar.*

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM, *Oratio propria cuilibet Feriæ, ut in Laudibus.*

AD VESPERAS ET COMPLETORIUM, *Omnia ſunt ut in die ſancto Paſcha, exceptis quæ apponuntur infrà in ſingulis Feriis.*

FERIA SECUNDA.

Pſalmi è I. Nocturno Dominicæ, in Pſalterio, p. 2.

Incípiunt Actus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 5.

PRimùm quidem ſermónem feci de ómnibus, ô Theóphile, quæ cœpit Jeſus fácere & docére, uſque in diem, quâ præcípiens Apóſtolis per Spíritum ſanctum quos elégit, aſsúmptus eſt: quibus & præbuit ſeípſum vivum poſt Paſſiónem ſuam in multis arguméntis, per dies quadragínta appárens eis, & loquens de regno Dei: & convéſcens, præcépit eis ab Jeroſólymis ne diſcéderent, ſed expectárent promiſſiónem Patris, quam audíſtis, (inquit,) per os meum: quia Joánnes quidem baptizávit aquâ, vos autem baptizabímini Spíri-

tu ſancto, non poſt multos hos dies.

℟. j. Déxtera Dómini exaltávit me, déxtera Dómini fecit virtútem; * Non móriar, ſed vivam, & narrábo ópera Dómini, allelúia. *Pſ.* 117. 16. 17. ℣. Ego ſum radix & genus David, ſtella ſpléndida & matutína. *Apoc.* 22. 16. * Non.

Ex Hiſtória Eccleſiáſtica Eusébii Cæſariénſis Epíſcopi.

LECTIO II. *Lib.* 1. *c.* 11.

JOséphus in octávo décimo Antiquitátum libro, Servatóris noſtri mentiónem facit his verbis. Iíſdem tempóribus Jeſus quidam fuit, vir ſápiens, ſi tamen virum eum appelláre fas eſt: erat quippe admirabílium óperum efféctor, doctórque eórum qui veritátem libénti ánimo complectebántur. Multos ille, partim ex Judǽis, partim ex Gentílibus, ſectatóres ſibi adjúnxit. Hic erat Chriſtus. Quem à gentis noſtræ Primóribus delátum, cùm Pilátus crucis ſupplício addixíſſet, hi tamen qui illum diléxerant, eum deínceps cólere non deſtitérunt. Tértio enim die, vivus ac ſpirans eis appáruit, próut divíni Prophétæ hæc & ália quamplúrima de illo miríſica prædíxerant. Abhinc porrò Chriſtianórum genus qui ab eo nomen ſumpſére, *ad noſtram* uſque ætátem continuátum manet. Hæc ígitur cum ſcriptor ille ex Hebrǽis oriúndus de Servatóre noſtro in libris ſuis commemoráverit, quod jam effúgium relínquitur his, qui advérsùs eos acta illa confinxérunt, quóminùs impudentíſſimi eſſe convincántur?

℟. ij. Ego dormívi & ſoporátus ſum: & * Exurréxi, quia Dóminus ſuſcépit me, allelúia. *Pſ.* 3. 6. ℣. Confídite, ego vici mundum. *Joan.* 16. 33. * Exurréxi.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

LECTIO III. *c.* 24. *v.* 13. *ad* 35.

Apparitio in via Emmaüs.

DUo ex diſcípulis Jeſu ibant ipsâ die in caſtéllum quod erat in ſpátio ſtadiórum ſexagínta ab Jerúſalem, nómine Emmaüs. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 23. *in Evang.* n. 1.

AUdíſtis, fratres caríſſimi, quia duóbus diſcípulis ambulántibus in via, non quidem credéntibus, ſed tamen de ſe loquéntibus, Dóminus appáruit: ſed eis ſpéciem quam recognóſcerent non oſténdit. Hoc ergo egit foris Dóminus in óculis córporis, quod apud ipſos agebátur intùs in óculis cordis. Ipſi namque apud ſemetípſos intùs & amábant, & dubitábant: eis autem Dóminus foris & præſens áderat, &

quis eſſet non oſtendébat. De ſe ergo loquéntibus præſéntiam exhíbuit : ſed de ſe dubitántibus cognitiónis ſuæ ſpéciem abſcóndit. Verba quidem cóntulit, durítiam intelléctûs increpávit, ſacræ Scriptúræ myſtéria quæ de ſeípſo erant, apéruit : & tamen quia eórum córdibus peregrínus erat à fide, ſe ire lóngiùs finxit. Fíngere namque compónere dícimus : unde & compoſitóres luti, fígulos vocámus. Nihil ergo ſimplex Véritas per duplicitátem fecit : ſed talem ſe exhíbuit in córpore, qualis apud illos erat in mente. Probándi autem erant, ſi hi qui eum etſi necdùm ut Deum dilígerent, ſaltèm ut peregrínum amáre potuíſſent.

℟. *iij.* Volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. * Pro eò quòd laborávit ánima ejus, vidébit & ſaturábitur, allelúia. *Iſ.* 53. 10. 11. ℣. Nónne hæc opórtuit pati Chriſtum, & itâ intráre in glóriã ſuam? *Luc.* 24. 26. * Pro eò. Glória. * Pro eò.

Te Deum : *& dicitur toto Tempore Paſchali.*

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. *a.* Incípiens Jeſus à Móyſe & ómnibus Prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris quæ de ipſo erant, allelúia. *Luc.* 24. 27.

Oratio.

DEus, qui Solemnitáte Paſcháli mundo remédia contuliſti, pópulum tuum, quæſumus, cœléſti dono proſéquere; ut & perféctam libertátem cónſequi mereátur, & ad vitam profíciat ſempitérnam ; Per Dóminum.

AD VESPERAS.

℟. Hæc eſt dies quam fecit Dóminus : exultémus, & lætémur in ea, * Allelúia, allelúia. *Pſ.* 117. 24. ℣. Accépit Jeſus panem, & benedíxit, ac fregit, & porrigébat illis : & apérti ſunt óculi eórum, & cognovérunt eum. *Luc.* 24. 30. 31. * Allelúia, allelúia.

℣. Salvávit, *p.* 291.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Ipſi narrábant quæ geſta erant in via, & quómodo cognovérunt eum in fractióne panis, allelúia. *Luc.* 24. 35.

Oratio, Deus, qui, *ut ſuprà ad Laudes.*

Poſt ℣. Benedicámus, *fit Proceſſio ad Baptiſterium ut herì, p.* 291.

COMPLETORIUM, *ut in Die ſancto Paſchæ.*

FERIA TERTIA.

Pſalmi è II. Nocturno Dominicæ, in Pſal. p. 4.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 2. *v.* 22. *ad* 33.

VIri Iſraëlítæ, audíte verba hæc: Jeſum Nazarénum, virum approbátum à Deo in vobis, virtútibus, & prodígiis, & ſignis quæ fecit Deus per illum in médio veſtrî, ſicut & vos ſcitis, hunc de-

finíto consílio & præſciéntiâ Dei tráditum, per manus iniquórum affigéntes, interemíſtis: quem Deus ſuſcitávit, ſolútis dolóribus inférni, juxta quòd impoſsíbile erat tenéri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providébam Dóminum in conſpéctu meo ſemper, quóniam à dextris eſt mihi, ne commóvear: propter hoc lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea, inſuper & caro mea requiéſcet in ſpe: quóniam non derelínques ánimam meam in inférno, nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem. Notas mihi fecíſti vias vitæ: & replébis me jucunditáte cum fácie tua. Viri fratres, líceat audénter dicere ad vos de Patriárcha David, quóniam defúnctus eſt, & ſepúltus, & ſepúlcrum ejus eſt apud nos uſque in hodiérnum diem. Prophéta ígitur cùm eſſet, & ſciret quia jurejurándo juráſſet illi Deus, de fructu lumbi ejus ſedére ſuper ſedem ejus, próvidens locútus eſt de Reſurrectióne Chriſti: Quia neque derelíctus eſt in inférno, neque caro ejus vidit corruptiónem. Hunc Jeſum reſuſcitávit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus. Déxterâ ígitur Dei exaltátus, & promiſſióne Spíritûs ſancti accéptâ à Patre, effúdit hunc quem *vos vidétis*, & audítis.

℟. *j.* Nunc cognóvi, * Quóniam ſalvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum, allelúia. *Pſ.* 19. 7. ℣. Crucifíxus eſt ex infirmitáte; ſed vivit ex virtúte Dei. 2. *Cor.* 13. 4. * Quóniam.

Ex Hiſtória Eccleſiáſticâ Eusébii Cæſariénſis Epíſcopi.

Lib. 2. *Cap.* 2.

LECTIO II.

QUóniam vetus hæc erat conſuetúdo Provinciárum Rectóribus, ut quidquid novi apud ipſos contigíſſet, Imperatóri nuntiárent, ne quid ipſum latéret, Pilátus de Reſurrectióne Servatóris noſtri Jeſu Chriſti, cujus per univérſam Palæſtínam célebris erat fama, ad Tibérium Príncipem rétulit, multa quoque ália ejúſdem mirácula ſe audítu accepíſſe ſigníficans, & quáliter ad vitam dénuò revocátus, à pleríſque jam Deus haberétur. Ac Tibérium quidem rem ad Senátum detulíſſe pérhibent, ſed Senátum ejúſmodi relatiónem aſpernátum eſſe: ſpécie quidem, eò quòd Senátûs autóritas ad id non expectáta videbátur, cùm tamen vetus lex eſſet apud Romános, ne quis abſque decréto Senátûs pro deo haberétur: re autem ipsâ, eò quòd ſalutáris divínæ doctrínæ prædicátio autoritáte & auxílio hóminum mínimè indigéret. Cùm ígitur Senátus relatiónem de Ser-

vatóre noſtro, ità ut dictum eſt, repudiáſſet, Tibérius tamen in priſtina ſenténtia perſevérans, nihil advérſùs doctrínam Chriſti dúriùs molítus eſſe dícitur. Hæc Tertulliánus, vir legum Romanárum peritiſſimus, & inter Latínos Scriptóres celebérrimus, in Apológia ab ipſo quidem Latínè conſcrípta, póſteà verò in Græcum ſermónem tranſláta, prodit.

℟. *ij*. Sapiéntia invenítur ab his qui quærunt illam, * Præóccupat qui ſe concupíſcunt, ut illis ſe prior oſténdat, allel. *Sap.* 6. 13. 14. ℣. Viſus eſt Cephæ: & poſt hoc Undecim. 1. *Cor.* 15. 5. * Præóccupat.

Léctio ſancti Evangélii ſecùndùm Lucam.

Lectio III. *c.* 24. *v.* 36. *ad* 47.

Jeſus apparet decem diſcipulis.

STetit Jeſus in médio diſcipulórum ſuórum, & dicit eis: Pax vobis: Ego ſum: nolíte timére. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Expoſ. Evang. ſecund. Luc. n. 168. 169. 170.

MIrum quómodo ſe natúra corpórea per impenetrábile corpus infúderit, inviſíbili áditu, viſíbili conſpéctu; tangi fácilis, difficilis æſtimári. Dénique conturbáti diſcípuli æſtimábant ſe ſpíritum vidére: & ídeò Dóminus, ut ſpéciem nobis reſurrectiónis oſténderet: Palpáte, inquit, & vidéte, quia ſpíritus carnem & oſſa non habet, ſicut me vidétis habére. Non ergo per incorpóream natúram, ſed per reſurrectiónis corpóreæ qualitátem, impérvia uſu clauſtra penetrávit. Nam quod tángitur, corpus eſt: quod palpátur, corpus eſt: in córpore autem reſurgémus. Seminátur enim corpus animále, ſurgit corpus ſpiritále: ſed illud ſubtílius, hoc cráſſius, útpotè adhuc terrénæ labis qualitáte concrétum. Nam quómodo non corpus, in quo manébant inſígnia vúlnerum, veſtígia cicatrícum, quæ Dóminus palpánda óbtulit? in quo non ſolùm fidem firmat, ſed étiam devotiónem ácuit, quòd vúlnera ſuſcépta pro nobis cœlo inférre máluit, abolére nóluit, ut Deo Patri noſtræ prétia libertátis oſténderet. Talem ſibi Pater ad déxteram locat, trophǽa noſtræ ſalútis ampléctens: tales illic Mártyres nobis cicatrícis ſuæ coróna monſtrábit.

℟. *iij*. Sciet pópulus meus nomen meum in die illa: quia * Ego ipſe qui loquébar, ecce adſum, allelúia. *Iſ.* 52. 6. ℣. Vidéte manus

meas & pedes, quia ego ipſe ſum. *Luc.* 24. 39. * Ego. Glória. * Ego.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Dixit Jeſus ad diſcípulos: Hæc ſunt verba quæ locútus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum; quóniam necéſſe eſt impléri ómnia quæ ſcripta ſunt in Lege Móyſi, & Prophétis, & Pſalmis, de me, allelúia. *Luc.* 24. 44.

Oratio.

DEus, qui Eccléſiam tuam novo ſemper fœtu multíplicas; concéde fámulis tuis, ut ſacraméntum vivéndo téneant, quod fide percepérunt; Per Dóminum.

AD VESPERAS.

℟. Hæc eſt dies quam fecit Dóminus: exultémus, & lætémur in ea, * Allelúia, allelúia. *Pſ.* 117. 24.

℣. Apéruit Jeſus diſcípulis ſenſum ut intellígerent Scriptúras. *Luc.* 24. 45. * Allelúia, allelúia.

℣. Salvávit, *p.* 291.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. * Oportébat Chriſtum pati, & resúrgere à mórtuis tértiâ die, & prædicári in nómine ejus pœniténtiam & remiſſiónem peccatórum, allelúia. *Luc.* 24. 46. 47.

Oratio, Deus, qui Eccléſiam, *ſuprà, ad Laudes. Proceſſio & cætera, ut in Die ſancto Paſchæ.*

FERIA QUARTA.

Pſalmi è III. Nocturno Dominicæ, in Pſalterio, p. 6.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 2. *v.* 36. *ad fin.*

CErtiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël, quia & Dóminum eum & Chriſtum fecit Deus, hunc Jeſum quem vos crucifixíſtis. His autem audítis, compúncti ſunt corde, & dixérunt ad Petrum & ad réliquos Apóſtolos: Quid faciémus, viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœniténtiam, inquit, ágite, & baptizétur unuſquíſque veſtrûm in nómine Jeſu Chriſti, in remiſſiónem peccatórum veſtrórum: & accipiétis donum Spiritûs ſancti. Vobis enim eſt repromíſſio, & fíliis veſtris, & ómnibus qui longè ſunt, quoſcúmque advocáverit Dóminus Deus noſter. Aliis étiam verbis plúrimis teſtificátus eſt, & exhortabátur eos, dicens: Salvámini à generatióne iſta prava. Qui ergo recepérunt ſermónem ejus, baptizáti ſunt: & appóſitæ ſunt in die illa ánimæ círciter tria míllia. Erant autem perſeverántes in doctrína Apoſtolórum, & communicatióne fractiónis panis, & oratiónibus. Fiébat autem omni ánimæ timor: multa quoque prodígia & ſigna per Apóſtolos in Jeruſalem fiébant, & metus erat magnus in univérſis. Omnes étiam qui credébant,

erant páriter, & habébant ómnia commúnia. Poſſeſſiónes & ſubſtántias vendébant, & dividébant illa ómnibus próut cuíque opus erat. Quotídie quoque perdurántes unanímiter in templo, & frangéntes circa domos panem, ſumébant cibum cum exultatióne & ſimplicitáte cordis, collaudántes Deum, & habéntes grátiam ad omnem plebem. Dóminus autem augébat qui ſalvi fierent quotídie in idípſum.

℟. *j.* Antíquus diérum dedit ei poteſtátem, & honórem, & regnum: * Et omnes pópuli, tribus, & linguæ ipſi sérvient, allelúia. *Dan.* 7. 14. ℣. Ipſe eſt qui conſtitútus eſt à Deo Judex vivórum & mortuórum. *Act.* 10. 42. * Et omnes.

De Epíſtola beáti Ignátii Antiochéni Epíſcopi & Mártyris ad Smyrnæos.

LECTIO II.

COgnóvi vos perféctos in fide immóta, ut affixos cruci Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & carne & ſpíritu, & firmátos in caritáte, in sánguine Chriſti; plenè perſuáſos in Dóminum noſtrum, verè exiſténtem de génere Davidis ſecúndùm carnem, Fílium Dei ſecúndùm voluntátem & poténtiam Dei, natum verè ex Vírgine, baptizátum à Joánne, ut implerétur omnis juſtítia, verè ſub Póntio Piláto & Heróde Tetrárcha clavis confixum pro nobis in carne; ex quo fructu nos ſumus, per divínè beátam paſſiónem ejus. Omnia hæc paſſus eſt propter nos, ut ſalútem conſequámur. Et verè paſſus eſt, ſicut & verè ſeípſum reſuſcitávit: non, ut quidam infidéles dicunt, ſecúndùm opiniónem ipſum paſſum eſſe, ipſi ſecúndùm opiniónem exiſténtes: & quemádmodum ſápiunt, ſic & contíngit eis qui phantáſtici ſunt & dæmoníaci. Ego enim, & poſt Reſurrectiónem in carne, ipſum novi & credo eſſe.

℟. *ij.* Dominábitur * A mari uſque ad mare, & à flúmine uſque ad términos orbis terrárum, allelúia. *Pſ.* 71. 8. ℣. Ipſi glória & impérium in sécula ſeculórum. 1. *Petr.* 5. 11. * A mari.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 21. *v.* 1. *ad* 14.

Apparitio ad mare Tiberiadis.

MAnifeſtávit ſe íterùm Jeſus diſcípulis ad mare Tiberíadis. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 24. *in Evang.* n. 1.

LEctio ſancti Evangélii, quæ modò in áuribus veſtris lecta eſt, fratres mei, quæſtióne ánimum pulſat: ſed pulſatióne ſuâ vim diſcretiónis índicat. Quæri étenim poteſt, cur Petrus, qui piſcátor ante

converſiónem fuit, poſt converſiónem ad piſcatiónem rédiit: & cùm Véritas dicat: Nemo mittens manum ſuam ad arátrum & aſpíciens retrò, aptus eſt regno Dei, cur repétiit quod derelíquit. Sed ſi virtus diſcretiónis inſpícitur, citiùs vidétur, quia nimírùm negótium quod ante converſiónem ſinè peccáto éxtitit, hoc étiam poſt converſiónem repétere culpa non fuit. Nam piſcatórem Petrum, Matthǽum verò teloneárium ſcimus: & poſt converſiónem ſuam, ad piſcatiónem Petrus rédiit; Matthǽus verò ad telónei negótium non resédit: quia áliud eſt victum per piſcatiónem quǽrere, áliud autem telónei lucris pecúnias augére. Sunt enim pléraque negótia, quæ ſinè peccátis exhibéri, aut vix, aut nullátenùs poſſunt. Quæ ergo ad peccátum ímplicant, ad hæc necéſſe eſt, ut poſt converſiónem ánimus non recúrrat.

℟. *iij*. Deus noſter præ ómnibus diis: * Omnia quæcúmque vóluit Dóminus fecit, in cœlo, in terra, in mari, & in ómnibus abýſſis, allelúia. *Pſ.* 134. 5. 6. ℣. Aſcéndit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis píſcibus centum quinquagínta tribus. *Joan.* 21. 11. * Omnia. Glória. * Omnia.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 5. F. Nemo audébat diſcumbéntium interrogáre Jeſum: Tu quis es? ſciéntes quia Dóminus eſt, allelúia. *Joan.* 21. 12.

Oratio.

Deus, qui nos Reſurrectiónis Domínicæ ánnuâ Solemnitáte lætíficas; concéde propítius, ut per temporália Feſta quæ ágimus, pervenire ad gáudia ætérna mereámur; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

AD VESPERAS.

℟. Hæc eſt dies quam fecit Dóminus: exultémus, & lætémur in ea, * Allelúia, allelúia. *Pſ.* 117. 24. ℣. Manducávimus & bíbimus cum illo, poſtquàm reſurréxit à mórtuis. *Act.* 10. 41. * Allelúia, allelúia.

℣. Salvávit, *p.* 291.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. C. Hoc jam tértiò manifeſtátus eſt Jeſus diſcípulis ſuis, cùm reſurrexíſſet à mórtuis, allelúia. *Joan.* 21. 14.

Oratio, Deus, qui nos, *ſuprà, ad Laudes. Proceſſio & cætera, ut in Die ſancto Paſchæ.*

FERIA QUINTA.

Pſalmi è I. Nocturno Dominicæ, in Pſalterio, p. 2.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 3. *v.* 1. *ad* 10.

Petrus & Joánnes aſcendébant in Templum, ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir qui erat claudus ex útero matris ſuæ, ba-

julabátur : quem ponébant quotídie ad portam Templi quæ dícitur Speciósa , ut péteret eleemóſynam ab introeúntibus in Templum. Is , cùm vidiſſet Petrum & Joánnem incipiéntes introíre in Templum, rogábat ut eleemóſynam accíperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joánne, dixit: Réſpice in nos. At ille intendébat in eos, ſperans ſe áliquid acceptúrum ab eis. Petrus autem dixit : Argéntum & aurum non eſt mihi : quod autem hábeo, hoc tibi do : In nómine Jeſu Chriſti Nazaréni, ſurge & ámbula. Et apprehénsâ manu ejus dérterâ, allevávit eum : & prótinùs conſolidátæ ſunt baſes ejus & plantæ. Et exíliens ſtetit, & ambulábat : & intrávit cum illis in Templum ámbulans, & exíliens, & laudans Deum. Et vidit omnis pópulus eum ambulántē, & laudántem Deum. Cognoſcébant autem illum, quòd ipſe erat qui ad eleemóſynam ſedébat ad Speciósam portam Templi : & impléti ſunt ſtupóre & éxſtaſi, in eo quod contígerat illi.

℟. *j.* Déxtera, *p.* 294.

De Epíſtola beáti Ignátii Antiochéni Epíſcopi & Mártyris ad Smyrnæos.

LECTIO II.

QUando ad eos qui cum Petro erant venit Jeſus, inquit ipſis : Apprehéndite, palpáte & vidére, quòd non ſum dæmónium incorporále. Et conféſtim ipſum tetigérunt, atque credidérunt, convícti carne ipsíus & ſpíritu : propter hoc étiam mortem contempsérunt : ſupra mortem verò invénti ſunt. Poſt Reſurrectiónem autem, cum illis comédit & bibit ut carnális, quamvis ſpirituáliter unítus Patri. Si enim opinióne ſolâ hæc à Dómino noſtro ſunt peráċta, & ego opinióne ſolùm vinctus ſum : quid verò ? & meípſum morti trádidi, ad ignem, ad gládium, ad béſtias. Tantùm in nómine Jeſu Chriſti, ut ſimul cum illo pátiar, ómnia ſuſtíneo, ipſo roboránte me, qui perféctus homo factus eſt.

℟. *ij.* Ego, *p.* 294.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 20. *v.* 11. *ad* 18.

Apparitio facta Mariæ Magdalenæ.

MAría ſtabat ad monuméntum foris plorans. Et réliqua.

Homilia ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 25. *in Evang.* n. 4. 5.

MUlier, quid ploras ? quem quæris? Interrogátur dolóris cauſa, ut augeátur deſidérium : quáтenùs cùm nomináret quem quǽreret, in amóre ejus ardéntiùs æſtuáret. Illa exíſtimans quia hortulánus eſſet, dicit ei: Dómine, ſi tu ſuſtuliſti eum. Quid eſt quòd viſo eo quem hortulánum crédidit, cui nécdùm díxerat quem quærébat, ait :

Dómine, ſi tu ſuſtuliſti eum? quaſi enim jam dixiſſet ex cujus deſidério plángeret, eum dicit quem non dixerat. Sed vis amóris hoc ágere ſolet in ánimo, ut quem ipſe ſemper cógitat, nullum áliumignoráre credat. Rectè & hæc múlier quem quærit non dicit: & tamen dicit: Si tu ſuſtuliſti eum: quia álteri non putat incógnitum, quem ſic ipſa contínuo plangit deſidério.

℟. *iij*. Surgam, & circuíbo civitátem: * Per vicos & platéas quæram quem díligit ánima mea, allelúia. *Cant.* 3. 2. ℣. Dómine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dícito mihi ubi poſuíſti eum. *Joan.* 20. 15. * Per vicos. Glória. * Per vicos.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. *g.* Dicit Jeſus: María. Convérſa illa dicit ei: Rabbóni, quod dícitur, Magíſter, allelúia. *Joan.* 20. 16.

Oratio.

DEus, qui diverſitátem Géntium in confeſſióne tui nóminis adunáſti; da, ut renátis fonte Baptíſmatis una ſit fides méntium, & píetas actiónum; Per Dóminum.

AD VESPERAS.

℟. Hæc eſt dies quam fecit Dóminus: exultémus, & lætémur in ea, * Allelúia, allelúia. *Pſ.* 117. 24. ℣. Dicit Maríæ Jeſus: Noli me tángere, nondùm enim aſcéndi ad Patrem meum. *Joan.* 20. 17. * Allel. allel.

℣. Salvávit, *p.* 291.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Venit María Magdaléne annúntians diſcípulis: Quia vidi Dóminum, allelúia. *Joan.* 20. 18.

Oratio, Deus, qui diverſitátem, *ſuprà, ad Laudes. Proceſſio & cætera, ut in Die ſancto Paſchæ.*

FERIA SEXTA.

Pſalmi è II. Nocturno Dominicæ, in Pſalterio, p. 4.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 3. *v.* 11. *ad* 24.

CUm tenéret claudus ſanátus Petrum & Joánnem, cucúrrit omnis pópulus ad eos, ad pórticum quæ appellátur Salomónis, ſtupéntes. Videns autem Petrus, reſpóndit ad pópulum: Viri Iſraëlítæ, quid mirámini in hoc, aut nos quid intuémini, quaſi noſtrâ virtúte aut poteſtáte fecérimus hunc ambuláre? Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus patrum noſtrórum, glorificávit Fílium ſuum Jeſum, quem vos quidem tradidíſtis & negáſtis ante fáciem Piláti, judicánte illo dimítti. Vos autem Sanctum & Juſtum negáſtis, & petíſtis virum homicídam donári vobis: Autórem verò vitæ interfecíſtis, quem Deus ſuſcitávit à mórtuis, cujus nos teſtes ſumus. Et in fide nóminis ejus, hunc quem vos vidíſtis & noſtis, confirmávit nomen ejus: & fides quæ per eum

eſt, dedit íntegram ſanitátem iſtam in conſpéctu ómnium veſtrûm. Et nunc, fratres, ſcio quia per ignorántiam fecíſtis, ſicut & Príncipes veſtri. Deus autem, quæ prænuntiávit per os ómnium Prophetárum, pati Chriſtum ſuum, ſic implévit. Pœnitémini ígitur & convertímini, ut deleántur peccáta veſtra: ut cùm vénerint témpora refrigérii à conſpéctu Dómini, & míſerit eum qui prædicátus eſt vobis Jeſum Chriſtum, quem opórtet quidem cœlum ſuſcípere, uſque in témpora reſtitutiónis ómnium, quæ locútus eſt Deus per os ſanctórum ſuórum à ſéculo prophetárum. Móyſes quidem dixit: Quóniam Prophétam ſuſcitábit vobis Dóminus Deus veſter de frátribus veſtris, tanquam me: ipſum audiétis juxta ómnia quæcúmque locútus fúerit vobis. Erit autem: Omnis ánima quæ non audíerit Prophétam illum, exterminábitur de plebe. Et omnes Prophétæ à Sámuel & deínceps qui locúti ſunt, annuntiáverunt dies iſtos.

℟. *j*. Nunc, *p*. 296.

Ex Apológia prima ſancti Juſtíni Mártyris ad Antonínum Pium Imperatórem.

Anno 150. n. 67. 68.

LECTIO II.

DIe Solis, omnes ſimul convenímus: tum quia prima hæc dies eſt, quâ Deus, cùm ténebras & matériam vertíſſet, mundum creávit: tum quia Jeſus Chriſtus Salvátor noſter eádem die ex mórtuis reſurréxit. Prídie enim Satúrni eum crucifixérunt, & poſtrídie ejúſdem diéi, id eſt, Solis die, Apóſtolis ſuis & diſcípulis viſus, ea dócuit quæ vobis quoque conſideránda tradídimus. Atque hæc quidem, ſi vobis ratióni & veritáti conſentánea videntur, in prétio habéte: ſin autem nugæ vobis vidéntur, ut nugas contémnite: nec, ut advérsùs hoſtes, ità advérsùs hómines innócuos mortem decérnite. Vobis enim prædícimus, vos Dei judícium non evitatúros, ſi in injuſtítia permaneátis. Ac nos exclamábimus: Quod Deo placet, id fiat.

℟. *ij*. Sapiéntia, *p*. 297.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

LECTIO III. *c*. 28. *v*. 16. *ad finem.*

Apparet Jeſus diſcipulis in Galilæa.

UNdecim diſcípuli abiérunt in Galilæam, in montem ubi conſtitúerat illis Jeſus. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 4. *Comm. in Cap.* 28. *Matt.*

POſt reſurrectiónem, Jeſus in monte Galilææ conſpícitur, ibíque adorátur: licèt quidam dúbitent, & dubitátio eórum no-

ſtram aúgeat fidem. Tunc maniféſtiùs oſténditur Thomæ; & latus lánceâ vulnerátum, & manus fixas demónſtrat clavis. Et accédens Jeſus locútus eſt eis, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Illi potéſtas data eſt, qui paulò antè crucifixus, qui ſepúltus in túmulo, qui mórtuus jacúerat, qui póſteà reſurréxit. In cœlo autem & in terra potéſtas data eſt: ut qui antè regnábat in cœlo, per fidem credéntium regnet in terris.

℟. *iij.* Conſtitútus ſum Rex à Dómino ſuper Sion montem ſanctum ejus, prædicans præcéptum ejus. * Dóminus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hódie génui te, allelúia. *Pſ.* 2. 6. 7. ℣. Data eſt mihi omnis potéſtas in cœlo & in terra. *Matt.* 28. 18. * Dóminus. Glória. * Dóminus.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. f. Diſcípuli vidéntes Jeſum, adoravérunt, allelúia. *Matt.* 28. 17.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui Paſchále ſacraméntum in reconciliatiónis humánæ fœdere contuliſti; da méntibus noſtris, ut quod profeſſióne celebrámus, imitémur efféctu; Per Dóminum.

AD VESPERAS.

℟. Hæc eſt dies quam fecit Dóminus: exultémus & lætémur in ea, * Allelúia, allelúia. *Pſ.* 117. 24. ℣. Deus ſuſcitávit Jeſum à mórtuis, & dedit ei glóriam, ut fides veſtra & ſpes eſſet in Deo. 1. *Petr.* 1. 21.* Allelúia, allelúia.

℣. Salvávit, *p.* 291.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. *D.* Ecce ego vobiſcum ſum, ómnibus diébus, uſque ad conſummatiónem séculi, allelúia. *Matt.* 28. 20.

Oratio, Omnípotens, *ſuprà, ad Laudes. Proceſſio & cætera, ut in Die ſancto Paſchæ.*

SABBATO

IN ALBIS DEPONENDIS.

Pſalmi è III. Nocturno Dominicæ, in Pſalterio, p. 6.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 7.

LOquéntibus Apóſtolis ad pópulum, ſupervenérunt Sacerdótes, & Magiſtrátus templi, & Sadducæi, doléntes quòd docérent pópulum, & annuntiárent in Jeſu reſurrectiónem ex mórtuis: & injecérunt in eos manus, & poſuérunt eos in cuſtódiam in cráſtinum: erat enim jam véſpera. Multi autem eórum qui audíerant verbum, credidérunt: & factus eſt númerus virórum quinque míllia. Factum eſt autem in cráſtinum, ut congregaréntur Príncipes eórum, & Senióres, & Scribæ in Jeruſalem, & Anna princeps Sacerdótum, & Cáiphas, & Joán-

t Alexánder, & quot-
:rant de génere ſacer-
. Et ſtatuéntes eos in
, interrogábant: In
irtúte, aut in quo
ie, fecíſtis hoc vos?
j. Antíquus, *p.* 299.
pológia prima ſancti
n Mártyris ad Anto-
n Pium Imperatórem.
ino 150. n. 61. 65.

ECTIO II.

'ómodo nos Deo con-
ecravérimus per Chri-
renovári, id quoque
iémus: ne quid ím-
, ſi hoc prætermittá-
in enarrándis rebus
videámur. Quicúm-
erſuáſum habúerint &
lerint vera eſſe quæ à
docéntur & dicúntur,
irà vívere poſſe pro-
int, ii precári & jeju-
s priórum peccatórum
m à Deo pétere docén-
nobis unâ precántibus
unántibus. Deínde eò
itur à nobis ubi aqua
& eódem regeneratió-
nodo regenerántur,
& ipſi ſumus regene-
Nam in nómine Parén-
iversórum, ac Dómini
c Salvatóris noſtri Jeſu
ti, & Spíritûs ſancti,
rum in aqua tunc ſuſ-
it. Dixit enim Chri-
Nisì regenerári fuéri-
non intrábitis in reg-
cœlórum. Nos autem,
uàm eum qui fidem
& aſsénſum doctrínæ
æ teſtátus eſt, ſic ablúi-
, ad eos qui dicúntur
fratres dedúcimus; ubi illi
congregáti ſunt, commúnes
preces & pro nobiſmetipſis,
& pro eo qui illuminátus
eſt, & pro áliis ubique óm-
nibus, inténto ánimo factú-
ri, ut veritátis cognitió-
nem adépti, hâc étiam grá-
tiâ dignémur, ut rectam
opéribus vitam agéntes, &
præceptórum cuſtódes inve-
niámur, quò ſalútem ætér-
nam aſſequámur. Invicem
ósculo ſalutámus, ubi de-
ſiimus precári.

℟. *ij.* Dominábitur, *p.* 299.

Léctio ſancti Evangélii
ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 20. *v.* 1. *ad* 9.
*Maria Magdalene ad
Sepulcrum.*

UNâ Sábbati, María
Magdaléne venit ma-
nè, cùm adhuc ténebræ
eſſent, ad monuméntum.
Et réliqua.

Homilia ſancti Gregórii
Papæ.

Homil. 22. *in Evang.* n. 2.

LEctio ſancti Evangélii,
quam modò, fratres,
audíſtis, valde in ſuperficie
hiſtórica eſt apérta, ſed ejus
nobis ſunt myſtéria ſub bre-
vitáte requirénda. María
Magdaléne, cùm adhuc té-
nebræ eſſent, venit ad mo-
numéntum. Juxta hiſtóriã,
notátur hora: juxta intellé-
ctum verò mýſticum, re-
quiréntis ſignátur intelligén-
tia. María étenim Autórem
ómnium quem carne víde-
rat mórtuum, quærébat in

monuménto: & quia hunc mínimè invénit, furátum crédidit. Adhuc ergo erant ténebræ, cùm venit ad monuméntum. Cucúrrit citiùs, diſcipulíſque nuntiávit. Sed illi præ cœ́teris cucurrérunt, qui præ cœ́teris amavérunt, vidélicet Petrus & Joánnes.

℞. *iij*. Fortis eſt ut mors diléctio: dura ſicut inférnus æmulátio. * Lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum, allelúia. *Cant.* 8. 6. ℣. María Magdaléne venit manè, cùm adhuc ténebræ eſſent, ad monuméntum. *Joan.* 20. 1. * Lámpades. Glória. * Lámpades.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. c. María Magdaléne venit ad Simónem Petrum, & ad álium diſcípulum quem amábat Jeſus, & dicit illis: Tulérunt Dóminum de monuménto, & neſcímus ubi poſuérunt eum, allelúia. *Joan.* 20. 2.

Oratio.

DEus, humáni géneris Reparátor & Rector, fac Eccléſiam tuam de nova prole gaudére, & devotióne cunctórum créſcere fidélium; Per Dóminum.

DOMINICA
IN ALBIS DEPOSITIS.
IN I. VESPERIS.

Pſalmi de Sabbato.

Antiphona 1. *toni* D.

REgenerávit nos Deus in ſpem vivam, per Reſurrectiónem Jeſu Chriſti ex mórtuis, in hæreditátem incorruptíbilem, allelúia. 1. *Petr.* 1. 3. 4.

Ant. 2. D. Tráditus eſt Chriſtus propter delícta noſtra, & reſurréxit propter juſtificatiónem noſtram, allelúia. *Rom.* 4. 25.

Ant. 3. *a*. Si mórtui ſumus cum Chriſto, crédimus quia ſimul étiam vivémus cum Chriſto, allelúia. *Rom.* 6. 8.

Ant. 4. A. Vetus homo noſter ſimul crucifíxus eſt, ut deſtruátur corpus peccáti, & ultrà non ſerviámus peccáto, allelúia. *Rom.* 6. 6.

Ant. 5. a. Solúti ſumus à lege mortis, in qua detinebámur; ità ut ſerviámus in novitáte ſpíritûs, & non in vetuſtáte lítteræ, allelúia. *Rom.* 7. 6.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 5. 7. 8.

PAſcha noſtrum immolátus eſt Chriſtus: ítaque epulémur, non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ & nequítiæ, ſed in ázymis ſinceritátis & veritátis.

℞. Sanctus dies Dómini eſt; & nolíte contriſtári; * Gaúdium étenim Dómini eſt fortitúdo noſtra, allelúia. 2. *Eſdr.* 8. 10. ℣. Sicut modò géniti infántes, rationábile ſinè dolo lac concupíſcite, ut in eo creſcátis in ſalútem. 1. *Petr.* 2. 2. * Gaúdium. Glória. * Gaúdium.

Hymnus.

FORTI tegénte bráchio,
Evádimus rubrum mare;
Tandémque durum pérfidi
Jugum tyránni frégimus.

NUNC ergo lætas víndici
Grates rependámus Deo;
Agníque menſam cándidis
Cingámus ornáti ſtolis.

HUJUS ſacráto córpore,
Amóris igne férvidi,
Veſcámur atque ſánguine:
Veſcéndo, vívimus Deo.

JAM Paſcha noſtrum Chriſtus eſt:
Hic agnus, hæc eſt Víctima,
Cruóre cujus íllitos
Pertránſit ultor Angelus.

O DIGNA cœlo Víctima,
Mors ipſa per quam víncitur,
Per quam, refráctis ínferi
Prædam reláxant póſtibus!

CHRISTUS ſepúlcri faúcibus
Emérſus ad lucem redit;
Hoſtem retrúdit tártaro,
Cœlíque pandit íntima.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Beáta gens cujus eſt Dóminus Deus ejus, ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi. *Pſ.* 32. 12.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Secúndùm ſuam miſericórdiam ſalvos nos fecit Deus, per lavácrum regeneratiónis, allelúia. *Tit.* 3. 5.

Oratio, Præſta, quǽſumus, *infrà*, *ad Laudes*, *p.* 310.

COMPLETORIUM, *ut infrà*, *pro Tempore Paſchali*, *p.* 318.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Chriſtum, qui reſurréxit propter juſtificatiónem noſtram, * Veníte, adorémus, allelúia. *Rom.* 4. 25.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus. Adéſte, Cœlitûm chori, *infrà*, *p.* 312.

Pſalmi è I. Nocturno Dominica, *in Pſalterio*, *p.* 2.

Ant. 1. a. Juſtificáti in ſánguine Chriſti, ſalvi érimus ab ira per ipſum, allelúia. *Rom.* 5. 9.

Ant. 3. c. Chriſtus dedit ſemetípſum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, allelúia. *Tit.* 2. 14.

Ant. 7. d. Si qua ergo in Chriſto nova creatúra, vétera tranſiérunt; ecce facta ſunt ómnia nova, allelúia. 2. *Cor.* 5. 17.

℣. Notam feciſti, Dómine, in pópulis virtútem tuam: ℟. Redemíſti in bráchio tuo pópulum tuum. *Pſ.* 76. 15. 16.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 4. *v.* 8. *ad* 17.

REplétus Spíritu ſancto Petrus, dixit ad eos: Príncipes pópuli, & Senióres, audíte: Si nos hódie

dijudicámur in benefácto hóminis infirmi, in quo iſte ſalvus factus eſt, notum ſit ómnibus vobis & omni plebi Iſraël, quia in nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti Nazaréni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitávit à mórtuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis, qui reprobátus eſt à vobis ædificántibus, qui factus eſt in caput ánguli: & non eſt in álio áliquo ſalus. Nec enim áliud nomen eſt ſub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos ſalvos fieri. Vidéntes autem Petri conſtántiam & Joánnis, compérto quòd hómines eſſent ſinè lìtteris & idiótæ, admirabántur, & cognoſcébant eos, quóniam cum Jeſu fúerant. Hóminem quoque vidéntes ſtantem cum eis, qui curátus fúerat, nihil póterant contradícere. Juſſérunt autem eos forâs extra concílium ſecédere: & conferébant ad ínvicem, dicéntes: Quid faciémus homínibus iſtis? quóniam quidem notum ſignum factum eſt per eos ómnibus habitántibus Jerúſalem: maniféſtum eſt, & non póſſumus negáre. Sed ne ampliùs divulgétur in pópulum, comminémur eis ne ultrà loquántur in nómine hoc ulli hóminum.

℟. *j*. Diléxit vos Dóminus, & cuſtodívit juraméntum quod jurávit pátribus veſtris; * Eduxítque vos in manu forti, & redémit de domo ſervitútis, allelúia. *Deut* 7. 8. ℣. Reſurrexíſtis per fidem operatiónis Dei, qui ſuſcitávit Jeſum à mórtuis. *Coloſſ.* 2. 12. * Eduxítque.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 259. n. 1.

LECTIO II.

HOdiérnus dies magno ſacraménto perpétuæ felicitátis eſt nobis. Non enim ſicut iſte dies tranſitúrus eſt, ſic tranſitúra eſt vita quam dies iſte ſígnificat. Itaque, fratres, exhortámur & obſecrámus vos in nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti, per quem nobis peccáta dimiſſa ſunt, qui vóluit prétium noſtrum eſſe ſánguinem ſuum, qui nos indígnos qui vel ſervi ejus dicerémur, fratres fácere dignátus eſt, ut omnis inténtio veſtra, quare Chriſtiáni eſtis & nomen ejus in fronte & in corde portátis, non dirigátur niſì ad illam vitam quæ nobis cum Angelis eſt futúra: ubi perpétua quies, ſempitérna lætítia, indeficiens beatitúdo, nulla perturbátio, nulla triſtítia, nulla mors. Quam vitam noſſe non poſſunt, niſì qui experiúntur: experíri autem non póterunt, niſì qui credunt. Si enim exigátis, ut quod vobis promíttit Deus, demonſtrémus vobis, non

póſſumus. Sed conclúſit Evangélium Joánnis: Beáti qui non vident, & credunt. Et vidére vultis? & ego. Páriter credámus, & ſimul vidébimus.

℟. *ij.* Teſtes vos eſtis, quia ipſi elegéritis vobis Dóminum, * Ut ſerviátis ei, allelúia. *Joſ.* 24. 22. ℣. Eſtis in illo repléti qui eſt Caput omnis Principátûs & Poteſtátis. *Coloſſ.* 2. 10. * Ut ſerviátis.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 20. *v.* 19. *ad finem.*

Videt Thomas & credit.

CUm ſerò eſſet die illo unâ Sabbatórum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcípuli congregáti propter metum Judæórum, venit Jeſus, & ſtetit in médio, & dixit eis: Pax vobis. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 26. *in Evang.* n. 2.

DIxit eis: Pax vobis. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Id eſt, Sicut miſit me Pater Deus, Deum, & ego mitto vos homo, hómines. Pater Fílium miſit, qui hunc pro redemptióne géneris humáni incarnári conſtítuit: quem vidélicet in mundum veníre ad paſſiónem vóluit: ſed tamen amávit Fílium quem ad paſſiónem miſit. Eléctos verò Apóſtolos *Dóminus* non ad mundi gaúdia, ſed ſicut ipſe miſſus eſt, ad paſſiónes in mundum mittit. Quia ergo & Fílius amátur à Patre, & tamen ad paſſiónem míttitur: ità & diſcípuli à Dómino amántur, qui tamen ad paſſiónem mittúntur in mundum. Itaque dícitur: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: id eſt, Eâ vos caritáte díligo, cùm inter ſcándala perſecutórum mitto, quâ me caritáte Pater díligit, quem veníre ad tolerándas paſſiónes fecit.

℟. *iij.* Vos Sacerdótes Dómini vocabímini; * Miníſtri Dei noſtri dicétur vobis, allelúia. *Iſ.* 61. 6. ℣. Accípite Spíritum ſanctum: quorum remiséritis peccáta, remittúntur eis, & quorum retinuéritis, reténta ſunt. *Joan.* 20. 22. 23. * Miníſtri. Glória. * Miníſtri.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Exaltábo te, Dómine, quóniam ſuſcepíſti me; ℟. Nec delectáſti inimícos meos ſuper me. *Pſ.* 29. 2.

Ant. 1. *g.* Déxtera tua, Dómine, magnificáta eſt in fortitúdine; déxtera tua, Dómine, percúſſit inimícum, allelúia. *Exod.* 15. 6.

Ant. 2. D. In multitúdine glóriæ tuæ, Dómine, depoſuíſti adversários tuos, allelúia. *Exod.* 15. 7.

Ant. 3. a. Flavit Spíritus

tuus, & opéruit eos mare; ſubmérſi ſunt quaſi plumbum, in aquis veheméntibus, allelúia. *Exod.* 15. 10.

In Canticum, Quis eſt iſte, *infrà*, *p.* 314.

Ant. 4. a. Montes à fundaméntis movebúntur cum aquis: petræ ſicut cera liquéſcent ante fáciem tuam, allelúia. *Judith.* 16. 18.

Ant. 5. a. Flúvios ſcindes terræ; vidérunt te, & doluérunt montes; gurges aquárum tránſiit, allelúia. *Hab.* 3. 9. 10.

CAPITULUM. *Rom.* 7. 4.

MOrtificáti eſtis legi per corpus Chriſti: ut ſitis altérius qui ex mórtuis reſurréxit, ut fructificémus Deo.

Hymnus. Auróra lucis dum novæ, *infrà*, *p.* 314.

℣. Déxtera Dómini fecit virtútem; ℟. Déxtera Dómini exaltávit me. *Pſ.* 117. 16.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. G. Diléxit nos Chriſtus, & lavit nos à peccátis noſtris in ſánguine ſuo, & fecit nos regnum & ſacerdótes Deo & Patri ſuo, allelúia. *Apoc.* 1. 5. 6.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui Paſchália Feſta perégimus, hæc, te largiénte, móribus & vitâ teneámus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit, & regnat in *unitáte Spíritûs* ſancti, &c.

AD PRIMAM.

Ant. 1. *g.* Si commórtui ſumus, & convivémus; ſi ſuſtinébimus, & conregnábimus, allelúia. 2. *Tim.* 2. 11. 12.

CAPITULUM. *Eph.* 5. 8.

ERátis aliquándo ténebræ; nunc autem lux in Dómino: ut filii lucis ambuláte.

℟. *breve.* Chriſte, Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. ℟. Chriſte, ℣. Qui ſurrexíſti à mórtuis. * Miſerére. Glória. ℟. Chriſte. ℣. Exúrge, Dómine, &c.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Nihil nunc damnatiónis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecúndùm carnem ámbulant, allelúia. *Rom.* 8. 1.

CAPITULUM. *Rom.* 8. 10.

SI Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mórtuum eſt propter peccátum, ſpíritus verò vivit propter juſtificatiónem.

℟. *breve.* Beáti quorum remiſſæ ſunt iniquitátes, * Allelúia, allelúia. ℟. Beáti. ℣. Et quorum tecta ſunt peccáta. * Allelúia. Glória. ℟. Beáti. *Pſ.* 31. 1.

℣. Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, ℟. Nec eſt in ſpíritu ejus dolus. *Pſ.* 31. 2.

AD SEXTAM.

Ant. 3. *a.* Quod natum eſt ex Deo, vincit mundum; & hæc eſt victória quæ vincit mundum, fides noſtra, allelúia. 1. Joan. 5. 4.

CAPITULUM. *Act.* 13. 37. 38.

QUem Deus ſuſcitávit à mórtuis, non vidit corruptiónem. Notum ígitur ſit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remíſſio peccatórum annuntiátur.

℟. *breve.* Salvávit eos propter nomen ſuum, * Allelúia, allelúia. ℟. Salvávit. ℣. Ut notam fáceret poténtiam ſuam. * Allelúia. Glória. ℟. Salvávit. *Pſ.* 105. 8.

℣. Salvávit eos de manu odiéntium; ℟. Et redémit eos de manu inimíci. *Pſ.* 105. 10.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Sicut in Adam omnes moriúntur, ità & in Chriſto omnes vivificabúntur, allelúia. 1. *Cor.* 15. 22.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 15. 47. 48. 49.

PRimus homo de terra terrénus; ſecúndus homo de cœlo cœléſtis. Qualis terrénus, tales & terréni; & qualis cœléſtis, tales & cœléſtes. Igitur ſicut portávimus imáginem terréni, portémus & imáginem cœléſtis.

℟. *breve.* Non diſcédimus à te, Dómine, vivificábis nos, * Allelúia, allelúia. ℟. Non. ℣. Et nomen tuum invocábimus. * Allelúia. Glória. ℟. Non. *Pſ.* 79. 19.

℣. Nos pópulus tuus, ℟. Et oves páſcuæ tuæ. *Pſ.* 78. 13.

AD VESPERAS.

Ant. 2. D. Allelúia: ſalus, & glória, & virtus Deo noſtro eſt, allelúia. *Apoc.* 19. 1.

Ant. 5. C. Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & potéſtas Chriſti ejus, allelúia. *Apoc.* 12. 10.

Ant. 3. *à.* Ecce vicit Leo de tribu Juda, Radix David, allelúia. *Apoc.* 5. 5.

Ant. 4. A. Allelúia: quóniam regnávit Dóminus Deus noſter omnípotens; gaudeámus, & exultémus, allelúia. *Apoc.* 19. 6. 7.

Ant. 1. A. Venérunt núptiæ Agni, & uxor ejus præparávit ſe, allelúia. *Apoc.* 19. 7.

CAPITULUM. *Apoc.* 1. 4. 5.

GRátia vobis, & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui ventúrus eſt; & à ſeptem ſpirítibus qui in conſpéctu throni ejus ſunt; & à Jeſu Chriſto, qui eſt Teſtis fidélis, Primogénitus mortuórum, & Princeps regum terræ.

Hymnus. Nunc novis Chriſtus, *infrà*, *p.* 317.

℣. Impúlſus evérſus ſum ut cáderem; ℟. Et Dóminus ſuſcépit me. *Pſ.* 117. 13.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Dixit Thomæ Jeſus: Quia vidíſti me, Thoma, credidíſti: beáti qui non vidérunt, & credidérunt, allelúia. *Joan.* 20. 29.

COMPLETORIUM, *ut infrà*, *p.* 318.

IN FERIIS TEMPORIS PASCHALIS,

Uſque ad Aſcenſionem Domini.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Chriſtus reſurréxit à mórtuis ; * Veníte, adorémus, allelúia. 1. *Cor.* 15. 20.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſimplici.*

HYMNUS.

ADESTE, Cœlitûm chori,
Lætum ſonántes cánticum,
Dum liber inter mórtuos
Chriſtus ſepúlcrum déſerit.

FRUSTRA ſepúlcro mílites
Appónit insánus furor :
Fruſtrà ſpecûs gens pérfida
Firmat ſigíllis óſtium.

INANIS absíſtat metus :
Nemo cadáver aúferet :
Sed vi reviviſcet ſuâ,
Qui ſpontè mortem pértulit.

CLAUSA, ſigíllis íntegris,
Exíre ſpelúncâ poteſt,
Quem matris alvo Vírginis
Effúdit illǽſus pudor.

RIDEBAT hunc turpi trabe
Veſána pendéntem cohors :
Deſcéndat, inquit, & Deum
Illi Patrem fatébimur.

AT tu, Patérnis óbſequens
Ad uſque mortem légibus,
Orbem, Sacérdos, Víctima,
Toto piábas ſánguine.

NON ille deſcéndit cruce ;
Plus fecit : ecce mórtuus
Se reddit ipſe lúmini.
Deo ſatum jam crédite.

DA, Chriſte, nos tecum mori :
Tecum ſimul da ſúrgere :
Terréna da contémnere :
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat ;
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Pſalmi tres infrà notati pro unaquaque Feria.

FERIIS II. ET V.

Ant. ſola. 1. a. Chriſtus Apóſtolis prǽbuit ſeípſum vivum, poſt Paſſiónem ſuam, in multis arguméntis, allelúia. *Act.* 1. 3.

℣. Salvávit ſibi déxtera ejus, ℟. Et bráchium ſanctum ejus. *Pſ.* 97. 1.

Lectiones, ut in quálibet Feria.

℟. *j.* De angúſtia, & de judício ſublátus eſt : * Generatiónem ejus quis enarrábit ! allelúia. *Iſ.* 53. 8. ℣. Deus ſuſcitávit eum à mórtuis, tértiâ die. *Act.* 13. 30. * Generatiónem.

℟. *ij.* Sapiéntia dignos ſeipsâ círcuit quærens, & in viis * Oſténdit ſe illis hiláriter, allelúia. *Sap.* 6. 17. ℣. Viſus eſt Jeſus per dies multos his qui ſimul aſcénderant cum eo de Galilǽa in Jerúſalem. *Act.* 13. 30. 31. * Oſténdit.

℟. *iij.* Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, * Hic factus eſt in caput anguli,

guli, allelúia. *Pſ.* 117. 22. ℣. Hic eſt lapis qui reprobátus eſt à vobis ædificántibus. *Act.* 4. 11. * Hic factus eſt. Glória. * Hic factus eſt.

Te Deum.

FERIIS III. ET VI.

Ant. ſola. 6. F. Jeſum reſuſcitávit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus, allelúia. *Act.* 2. 32.

℣. Salvávit ſibi déxtera ejus, ℟. Et bráchium ſanctum ejus. *Pſ.* 97. 1.

Lectiones, ut in qualibet Feria.

℟. *j.* Dóminus * Adimplévit miſericórdiam ſuam, quam promíſit dómui Iſraël, allelúia. *Judith.* 13. 18. ℣. Vobis annuntiámus eam quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt, quóniam hanc Deus adimplévit. *Act.* 13. 32. 33. * Adimplévit miſericórdiam ſuam.

℟. *ij.* Ecce intélliget Servus meus: * Exaltábitur, & elevábitur, & ſublímis erit valde, allelúia. *Iſ.* 52. 13. ℣. Autórem vitæ interfecíſtis, quem Deus ſuſcitávit à mórtuis. *Act.* 3. 15. * Exaltábitur, & elevábitur.

℟. *iij.* Mendáces oſténdit Deus qui maculavérunt illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúia. *Sap.* 10. 14. ℣. Chriſtum fecit Deus hunc Jeſum quem vos crucifixíſtis. *Act.* 2. 36. * Et dedit. Glória. * Et dedit.

Te Deum.

FERIA QUARTA.

Ant. ſola. 2. D. Virtúte magnâ reddébant Apóſtoli teſtimónium Reſurrectiónis Jeſu Chriſti Dómini noſtri, allelúia. *Act.* 4. 33.

℣. Salvávit ſibi déxtera ejus, ℟. Et bráchium ſanctum ejus. *Pſ.* 97. 1.

Lectiones ut in qualibet Feria.

℟. *j.* Non cum pátribus noſtris íniit pactum, ſed nobíſcum, qui inpræſentiárùm ſumus & vívimus. * Fácie ad fáciem locútus eſt nobis, allelúia. *Deut.* 5. 3. 4. ℣. Omnes Prophétæ à Sámuel & deinceps, qui locúti ſunt, annuntiavérunt dies iſtos. *Act.* 3. 24. * Fácie.

℟. *ij.* Scitóte, * Quóniam mirificávit Dóminus Sanctum ſuum, allelúia. *Pſ.* 4. 4. ℣. Nos ſumus teſtes horum verbórum. *Act.* 5. 32. * Quóniam.

℟. *iij.* Deus det vobis cor ómnibus, * Ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem corde magno, & ánimo volénti, allelúia. 2. *Mach.* 1. 3. ℣. Deus pacis qui edúxit de mórtuis Paſtórem magnum óvium in ſánguine teſtaménti ætérni, Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, aptet vos in omni bono. *Hebr.* 13. 20. 21. * Ut. Glória. * Ut.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Cor meum & caro mea exultavérunt, ℟. In Deum vivum. *Pſ.* 83. 3.

Ant. ſola. 3. *a.* Tua eſt. *Pſalmi de Feria : & ſic in aliis Horis.*

CANTICUM ISAIÆ. *c.* 63. *v.* 1. *ad* 5.

Chriſti Triumphantis Canticum.

QUis eſt iſte qui venit de Edom, * tinctis véſtibus de Boſra?

Iſte formóſus in ſtola ſua, * grádiens in multitúdine fortitúdinis ſuæ.

Ego qui loquor juſtítiam, * & propugnátor ſum ad ſalvándum.

Quare ergo rubrum eſt induméntum tuum? * & veſtiménta tua ſicut calcántium in torculári?

Tórcular calcávi ſolus, * & de géntibus non eſt vir mecum.

Calcávi eos in furóre meo, * & conculcávi eos in ira mea.

Et aſpérſus eſt ſanguis eórum ſuper veſtiménta mea, * & ómnia induménta mea inquinávi.

Dies enim ultiónis in corde meo, * annus redemptiónis meæ venit.

Circumſpéxi, & non erat auxiliátor: * quæſívi, & non fuit qui adjuváret.

Et ſalvávit mihi bráchium meum; * & indignátio mea ipſa auxiliáta eſt mihi.

Ant. Tua eſt, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória, atque victória, & tibi laus, allelúia. 1. *Par.* 29. 11.

CAPITULUM. *Apoc.* 5. 12.

DIgnus eſt Agnus qui occíſus eſt, accípere virtútem, & divinitátem, & ſapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem.

HYMNUS.

AURORA lucis dum novæ
Spargit polum fulgóribus,
Victóris Agni júbilans
Orbis triúmphos pérſonet.

FUSO Redémptor ſánguine,
Piávit orbis crímina;
Sciſsóque, ſanctuárium
Patére dat, velámine.

GRANUM ſolo recónditum
Iners manére non poteſt;
Vix mórtuū jam gérminat:
Hinc quanta púllulat ſeges!

NON deſtruúntur fúnere,
Sed ſeminántur córpora:
Fecit reſurgéndi viam
Surgens ab ínferis Deus.

AFFIXA cum Chriſto cruci
Chriſto caro commórtua,
Et ipſa ſurget, ſpléndidis
Chriſti decóra dótibus.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,

Ad aſtra ſecum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Dóminus regnávit, decórem indútus eſt: ℟. Indútus eſt Dóminus fortitúdinem. *Pſ.* 92. 1.

Ad Benedíctus, *Antiphonæ dicentur eo ordine quo hîc diſpoſitæ ſunt pro Feriis.*

Oratio Dominicæ præcedentis.

Feria II. 1. D. Deus patrum noſtrórum glorificávit Fílium ſuum Jeſum, allelúia. *Act.* 3. 13.

Feria III. 2. D. Verbum miſit Deus filiis Iſraël, annúntians pacem per Jeſum Chriſtum; hic eſt ómnium Dóminus, allelúia. *Act.* 10. 36.

Feria IV. 3. *à.* Deus, quæ prænuntiávit per os ómnium Prophetárum, pati Chriſtum ſuum, ſic implévit, allelúia. *Act.* 3. 18.

Feria V. 8. *g.* Jeſum Príncipem & Salvatórem Deus exaltávit déxterâ ſuâ, ad dandam pœniténtiam Iſraéli, & remiſſiónem peccatórum, allelúia. *Act.* 5. 31.

Feria VI. 4. E. Primus ex reſurrectióne mortuórum Chriſtus, lumen annuntiatúrus eſt pópulo & Géntibus, allel. *Act.* 26. 23.

Commemoratio de Cruce, quæ fit tantùm in Officio Feriali.

Ant. Crucifixus eſt ex infirmitáte, ſed vivit ex virtúte Dei, allelúia. 2. *Cor.* 13. 4.

℣. Dícite in Géntibus: ℟. Quia Dóminus regnávit. *Pſ.* 95. 10.

Orémus.

SOlitâ nos, quǽſumus, Dómine, pietáte cuſtódi; ut qui Unigéniti tui Paſſióne ſunt redémpti, ejus Reſurrectióne lætén tur; Per eúmdem Dóminum.

Ad Horas, *Doxologia.*

Da, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da ſúrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. *g.* Qui ſuſcitávit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitábit, allelúia. 2. *Cor.* 4. 14.

Capitulum. *Rom.* 10. 9.

SI confiteáris in ore tuo Dóminum Jeſum, & in corde tuo credíderis quòd Deus illum ſuſcitávit à mórtuis, ſalvus eris.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui ſurrexíſti à mórtuis. *Rom.* 6. 4. *ſinè* Allelúia.

Non dicuntur Preces ad Primam, toto tempore Paſchali, nequidem quando Officium fit de Feria.

Oratio, Dómine Deus omnípotens, &c. *p.* 129.

AD TERTIAM.

Ant. 8. c. Factus eſt primus homo Adam in animam viventem; noviſſi-

mus Adam in ſpíritum vivificántem, allelúia. 1. *Cor.* 15. 45.

Capitulum. *Rom.* 6. 11.

EXiſtimáte, fratres, vos mórtuos quidem eſſe peccáto, vivéntes autem Deo, in Chriſto Jeſu Dómino noſtro.

℟. *breve.* Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus, * Allelúia, allelúia. ℟. Vivit. ℣. Et exaltétur Deus ſalútis meæ. * Allelúia. Glória. ℟. Vivit. *Pſ.* 17. 47.

℣. Audítam fácite vocem laudis ejus, ℟. Qui póſuit ánimam meam ad vitam. *Pſ.* 65. 8. 9.

AD SEXTAM.

Ant. 3. *à.* Si complantáti facti ſumus ſimilitúdini mortis Chriſti, ſimul & reſurrectiónis érimus, allelúia. *Rom.* 6. 5.

Capitulum. *Rom.* 8. 11.

SI Spíritus ejus qui ſuſcitávit Jeſum à mórtuis hábitat in vobis, qui ſuſcitávit Jeſum Chriſtum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora veſtra, propter inhabitántem Spíritum ejus in vobis.

℟. *breve.* Reddam, Dómine, laudatiónes tibi, * Allelúia, allelúia. ℟. Reddam. ℣. Quóniam eripuíſti ánimam meam de morte. * Allelúia. Glória. ℟. Reddam. *Pſ.* 55. 12. 13.

℣. Notas mihi feciſti vias vitæ; ℟. Adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo. *Pſ.* 15. 11.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Sicut regnávit peccátum in mortem, ità & grátia regnet per juſtítiam in vitam ætérnam, allelúia. *Rom.* 5. 21.

Capitulum. *Rom.* 8. 16. 17.

IPſe Spíritus teſtimónium reddit ſpirítui noſtro quòd ſumus filii Dei: ſi autem filii, & hærédes; hærédes quidem Dei, cohærédes autem Chriſti; ſi tamen compátimur, ut & conglorificémur.

℟. *breve.* Dóminus pars hæreditátis meæ, * Allelúia, allelúia. ℟. Dóminus. ℣. Et cálicis mei. * Allelúia. Glória. ℟. Dóminus. *Pſ.* 15. 5.

℣. Funes cecidérunt mihi in præcláris; ℟. Etenim hæréditas mea præclára eſt mihi. *Pſ.* 15. 6.

AD VESPERAS.

Ant. ſola. 5. a. Chriſtus eſt Caput córporis Eccléſiæ, qui eſt Princípium, Primogénitus ex mórtuis, ut ſit in ómnibus ipſe primátum tenens, allelúia. *Coloſſ.* 1. 18.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 1. 9. 10.

COnvérſi eſtis ad Deum à ſimulácris, ſervíre Deo vivo & vero, & expectáre Fílium ejus de cœlis quem ſuſcitávit ex mórtuis Jeſum, qui erípuit nos ab ira ventúra.

Hymnus.

NUnc novis Chriſtus celebrétur hymnis:
Victor inſígnes ágitat triúmphos,
Qui ſuo mortem jaculúmque mortis
Fúnere frangit.

Vincit obſtántem lápidem ſepúlcri;
Vincit armátas vígilûm cohórtes;
Vincla perrúmpit, quibus obligátus
Ingemit orbis.

Quem timor clauſum látebris coércet,
Se gregi rursùs fácilem vidéri
Præbet, & certum ſua fert amóris
Vúlnera pignus.

De Dei regno documénta pandit;
Hujus & regni ſtat imágo viva,
Quâ mori mundo docet, & ſupérnas
Quærere ſedes.

Ergo, jam nunquam moritúre, vivis,
Chriſte: quos fuſo rédimis cruóre,
Fac in ætérnum tua vita nobis
Vívere præſtet.
Amen.

℣. Redémit nos Deus ab inimícis noſtris; ℟. Quóniam in ætérnum miſericórdia ejus. *Pſ.* 135. 24.

Ad Magníficat, *Antiphonæ dicuntur eo ordine, quo hîc diſpoſitæ ſunt pro ſingulis Feriis.*

Feria II. 7. d. Deus omnis grátiæ, qui vocávit nos in ætérnam ſuam glóriam in Chriſto Jeſu, módicùm paſſos ipſe perfíciet, allelúia. 1. *Petr.* 5. 10.

Feria III. 4. a. Beátus & ſanctus qui habet partem in reſurrectióne prima! In his ſecúnda mors non habet poteſtátem, allelúia. *Apoc.* 20. 6.

Feria IV. 6. F. Reformábit Chriſtus corpus humilitátis noſtræ, configurátum córpori claritátis ſuæ, allelúia. *Philip.* 3. 21.

Feria V. 8. G. Primítias Spíritûs habéntes, & ipſi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectántes, allelúia. *Rom.* 8. 23.

Commemoratio de Cruce, quæ fit tantùm in Officio Feriali.

Ant. Chriſtus diléxit nos, & trádidit ſemetípſum pro nobis oblatiónem & hóſtiam Deo, in odórem ſuavitátis, allelúia. *Eph.* 5. 2.

℣. Apud Dóminum miſericórdia; ℟. Et copióſa apud eum redémptio. *Pſ.* 129. 7.

Orémus.

SOlitâ nos, quæſumus, Dómine, pietáte cuſtódi; ut qui Unigéniti tui Paſſióne ſunt redémpti, ejus Reſurrectióne læténtur; Per eúmdem Dóminum noſtrũ Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 5. a. Si crédimus quòd Jeſus mórtuus eſt & reſurréxit, ità & Deus eos qui dormiérunt per Jeſum, addúcet cum eo, allelúia. 1. *Theſſ.* 4. 13.

HYMNUS.

JEsu redémptor ſéculi,
Qui, tértio poſt fúnera
Redux ab ínferis die,
Mortem reſurgéndo necas.

Nox atra jam terras premet,
Mergétque ſomno lúmina,
Hoſtis furórem pérfidi,
Artéſque cæcas díſjice.

Ut juſta dum curas levat,
Et corpus inſtaúrat quies,
Sic membra ſomnus óccupet,
Ne corda torpor ópprimat.

Da, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

CAPITULUM. *Tob.* 12. 6.

BEnedícite Deum cœli, & coram ómnibus vivéntibus confitémini ei; quia fecit vobíſcum miſericórdiam ſuam.

In ℟. *brevi.* In manus, *non additur*, Allelúia.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 7. c. Deus & Dóminum ſuſcitávit; & nos ſuſcitábit per virtútem ſuam, allelúia. 1. *Cor.* 6. 14.

Non dicuntur Preces toto tempore Paſchali, nequidem quando Officium fit de Feria.

Oratio.

DEus, qui ómnia vitæ noſtræ témpora moderáris & ſanctíficas; fac ut per hanc noctem mórtui peccátis, vivámus tibi in Chriſto Jeſu Dómino noſtro; Qui tecum.

Dóminus vobíſcum, &c. *p.* 136. *cum Antiphona ad devotionem*, Regína cœli.

Hymnus & Oratio quæ hîc habentur, dicuntur etiam in Feſtis Sanctorum.

FERIA SECUNDA.

Pſalmi notati pro I. Nocturno Feriæ II. in Pſalterio, p. 27.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 4. *v.* 23. *ad* 31.

DImíſſi Apóſtoli venérunt ad ſuos: & annuntiavérunt eis quanta ad eos Príncipes Sacerdótum & Senióres dixíſſent. Qui cùm audíſſent, unanímiter levavérunt vocem ad Deum, & dixérunt: Dómine, tu es qui fecíſti cœlum, & terram, mare, & ómnia quæ in eis ſunt: qui Spíritu ſancto per os patris noſtri David púeri tui, dixíſti: Quare fremuérunt Gentes, & pópuli meditáti ſunt inánia? Aſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum, advérsùs Dóminum, & advérsùs Chriſtum ejus. Convenérunt enim verè in civitáte iſta advérsùs ſanctum Púe-

rum tuum Jeſum quem unxíſti, Heródes & Póntius Pilátus, cum Géntibus & pópulis Iſraël, fácere quæ manus tua & consílium tuum decrevérunt fieri. Et nunc, Dómine, réſpice in minas eórum, & da ſervis tuis cum omni fidúcia loqui verbum tuum, in eò quòd manum tuam exténdas ad ſanitátes, & ſigna, & prodígia fieri per nomen ſancti Fílii tui Jeſu. Et cùm oráſſent, motus eſt locus in quo erant congregáti: & repléti ſunt omnes Spíritu ſancto, & loquebántur verbum Dei cum fidúcia.

℟. *j*. De angúſtia, *p*. 312.

Lectio II. *v*. 32. *ad finem*.

MUltitúdinis autem credéntium erat cor unum & ánima una: nec quiſquam eórum quæ poſſidébat, áliquid ſuum eſſe dicébat, ſed erant illis ómnia commúnia. Et virtúte magnâ reddébant Apóſtoli teſtimónium Reſurrectiónis Jeſu Chriſti Dómini noſtri: & grátia magna erat in ómnibus illis. Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſsóres agrórum aut domórum erant, vendéntes afferébant prétia eórum quæ vendébant, & ponébant ante pedes Apoſtolórum. Dividebátur autem ſingulis próut cuíque opus erat. Joſeph autem, qui cognominátus eſt Bárnabas ab Apóſtolis, (quod eſt interpretátum, Fílius conſolatiónis,) Levítes, Cýprius génere, cùm habéret agrum, véndidit eum, & áttulit prétium, & póſuit ante pedes Apoſtolórum.

℟. *ij*. Sapiéntia, *p*. 312.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio III. *c*. 8. *v*. 7. *ad* 13.

SApiéntia carnis inimíca eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjécta, nec enim poteſt. Qui autem in carne ſunt, Deo placére non poſſunt. Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpíritu, ſi tamen Spíritus Dei hábitat in vobis. Si quis autem Spíritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Si autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mórtuum eſt propter peccátum, ſpíritus verò vivit propter juſtificatiónem. Quòd ſi Spíritus ejus qui ſuſcitávit Jeſum à mórtuis, hábitat in vobis, qui ſuſcitávit Jeſum Chriſtum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora veſtra, propter inhabitántem Spíritum ejus in vobis. Ergo, fratres, debitóres ſumus, non carni, ut ſecúndùm carnem vivámus. Si enim ſecúndùm carnem vixéritis, moriémini: ſi autem ſpíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis.

℟. iij. Lápidem, p. 312.

FERIA TERTIA.

Pſalmi notati pro I. Noct. Feriæ III. in Pſalterio, p. 41.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio I. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 11.

VIr quidam nómine Ananías, cum Saphíra uxóre ſua, véndidit agrum: & fraudávit de prétio agri, cónſciâ uxóre ſuâ: & áfferens partem quamdam, ad pedes Apoſtolórum póſuit. Dixit autem Petrus: Ananía, cur tentávit Sátanas cor tuum, mentíri te Spirítui ſancto, & fraudáre de prétio agri? Nónne manens tibi manébat, & venúmdatum in tua erat poteſtáte? Quare poſuíſti in corde tuo hanc rem? Non es mentítus homínibus, ſed Deo. Aúdiens autem Ananías hæc verba, cécidit & expirávit. Et factus eſt timor magnus ſuper omnes qui audiérunt. Surgéntes autem júvenes amovérunt eum, & efferéntes ſepeliérunt. Factum eſt autem quaſi horárum trium ſpátium; & uxor ipſíus néſciens quod factum fúerat, introívit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, múlier, ſi tanti agrum vendidíſtis? At illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid útique convénit vobis tentáre Spíritum Dómini? Ecce pedes eórum qui ſepeliérunt virum tuum ad óſtium, & éfferent te. Conféſtim cécidit ante pedes ejus, & expirávit. Intrántes autem júvenes invenérunt illam mórtuam, & extulérunt, & ſepeliérunt ad virum ſuum. Et factus eſt timor magnus in univérſa Eccléſia, & in omnes qui audiérunt hæc.

℟. *j.* Dóminus, *p.* 313.

Lectio II. *v.* 12. *ad* 16.

PEr manus autem Apoſtolórum fiébant ſigna & prodígia multa in plebe. Et erant unanímiter omnes in pórticu Salomónis. Cæterórum autem nemo audébat ſe conjúngere illis: ſed magnificábat eos pópulus. Magis autem augebátur credéntium in Dómino multitúdo virórum ac mulíerum, ità ut in platéas ejícerent infirmos, & pónerent in léctulis ac grabátis, ut, veniénte Petro, ſaltèm umbra illíus obumbráret quemquam illórum, & liberaréntur ab infirmitátibus ſuis. Concurrébat autem & multitúdo vicinárum civitátum Jerúſalem, afferéntes ægros & vexátos à ſpirítibus immúndis, qui curabántur omnes.

℟. *ij.* Ecce, *p.* 313.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio III. *c.* 8. *v.* 28. *ad* 34.

SCimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis qui ſecúndùm propóſitum vocáti ſunt ſancti. Nam quos præſcívit, & prædeſtinávit confórmes fieri imáginis Fílii ſui, ut ſit ip-

ſe Primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædeſtinávit, hos & vocávit: & quos vocávit, hos & juſtificávit: quos autem juſtificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio ſuo non pepércit, ſed pro nobis ómnibus trádidit illum, quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit advérsùs eléctos Dei? Deus qui juſtíficat; quis eſt qui condémnet? Chriſtus Jeſus, qui mórtuus eſt, imò qui & reſurréxit, qui eſt ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis.

℟. *iij.* Mendáces, *p.* 313.

FERIA QUARTA.

Pſalmi notati pro I. Noct. Feria IV. in Pſal. p. 58.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 5. *v.* 17. *ad* 24.

EXúrgens Princeps Sacerdótum, & omnes qui cum illo erant, (quæ eſt hǽreſis Sadduceórum,) repléti ſunt zelo: & injecérunt manus in Apóſtolos, & poſuérunt eos in cuſtódia pública. Angelus autem Dómini per noctem apériens jánuas cárceris, & edúcens eos, dixit: Ite, & ſtantes loquímini in Templo plebi ómnia verba vitæ hujus. Qui cùm audiſſent, intravérunt dilúculo in Templum, & docébant. Advéniens autem Princeps Sacerdótum & qui cum eo erant, convocavérunt concílium, & omnes ſenióres filiórum Iſraël, & miſérunt ad cárcerem, ut adduceréntur. Cùm autem veniſſent miníſtri, & apérto cárcere non inveniſſent illos, revérſi nuntiavérunt, dicéntes: Cárcerem quidem invénimus clauſum cum omni diligéntia, & cuſtódes ſtantes ante jánuas: aperiéntes autem, néminem intùs invénimus. Ut autem audiérunt hos ſermónes Magiſtrátus Templi, & Príncipes Sacerdótum, ambigébant de illis quidnam fíeret.

℟. *j.* Non cum pátribus, *p.* 313.

LECTIO II. *v.* 25. *ad* 33.

ADvéniens autem quidam nuntiávit eis: Quia ecce viri quos poſuíſtis in cárcerem, ſunt in Templo ſtantes, & docéntes pópulum. Tunc ábiit Magiſtrátus cum miníſtris, & addúxit illos ſinè vi: timébant enim pópulum ne lapidaréntur. Et cùm adduxiſſent illos, ſtatuérunt in concílio. Et interrogávit eos Princeps Sacerdótum, dicens: Præcipiéndo præcépimus vobis ne docerétis in nómine iſto: & ecce repléſtis Jerúſalem doctrínâ veſtrâ: & vultis indúcere ſuper nos ſánguinem hóminis iſtíus. Reſpóndens autem Petrus & Apóſtoli, dixérunt: Obe-

dire opórtet Deo magìs quàm homínibus. Deus patrum noſtrórum ſuſcitávit Jeſum quem vos interemíſtis ſuſpendéntes in ligno. Hunc Príncipem & Salvatórem Deus exaltávit déxterâ ſuâ, ad dandam pœniténtiam Iſraéli, & remiſſiónem peccatórum. Et nos ſumus teſtes horum verbórum, & Spíritus ſanctus quem dedit Deus ómnibus obediéntibus ſibi. Hæc cùm audíſſent, diſſecabántur, & cogitábant interfícere illos.

℟. *ij.* Scitóte, *p.* 313.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio III. *c.* 15. *v.* 1. *ad* 8.

NOtum vobis fácio, fratres, Evangélium, quod prædicávi vobis, quod & accepíſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſalvámini: quâ ratióne prædicáverim vobis, ſi tenétis, nisì fruſtrà credidíſtis. Trádidi enim vobis in primis quod & accépi: quóniam Chriſtus mórtuus eſt pro peccátis noſtris ſecúndùm Scriptúras: & quia ſepúltus eſt, & quia reſurréxit tértiâ die ſecúndùm Scriptúras: & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc Undecim: deínde viſus eſt pluſquàm quingéntis frátribus ſimul: ex quibus multi manent uſque adhuc, quidam autem dormiérunt: deínde viſus eſt Jacóbo, deínde Apóſtolis ómnibus: noviſſimè autem ómnium tanquam abortívo, viſus eſt & mihi.

℟. *iij.* Deus, *p.* 313.

FERIA QUINTA.

Pſalmi notati pro I. Nocturno Feriæ V. p. 74.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio I. *c.* 5. *v.* 34. *ad finem.*

SUrgens quidam in concílio Phariſæus, nómine Gamáliel, Legis doctor, honorábilis univérſæ plebi, juſſit foràs ad breve hómines fieri. Dixítque ad illos: Viri Iſraëlítæ, atténdite vobis ſuper homínibus iſtis quid actúri ſitis. Ante hos enim dies éxtitit Théodas, dicens ſe eſſe áliquem, cui consénſit númerus virórum círciter quadringentórum: qui occíſus eſt; & omnes qui credébant ei, diſſipáti ſunt & redácti ad níhilum. Poſt hunc éxtitit Judas Galilǽus in diébus profeſſiónis, & avértit pópulum poſt ſe, & ipſe périit: & omnes quotquot conſenſérunt ei, diſpérſi ſunt. Et nunc ítaque dico vobis, diſcédite ab homínibus iſtis, & sínite illos: quóniam ſi eſt ex homínibus consílium hoc, aut opus, diſſolvétur: ſi verò ex Deo eſt, non potéritis diſsólvere illud, ne fortè & Deo repugnáre inveniámini. Conſenſérunt autem illi: & convocántes Apóſtolos, cæſis denuntiavérunt ne omnìnò loqueréntur in nómine Jeſu, & dimisérunt

eos. Et illi quidem ibant gaudéntes à conſpéctu concílii, quóniam digni hábiti ſunt pro nómine Jeſu contuméliam pati. Omni autem die non ceſsábant, in Templo & circa domos docéntes, & evangelizántes Chriſtum Jeſum.

℞. *j.* De angúſtia, *p.* 312.

Lectio II. *c.* 8. *v.* 1. *ad* 9.

FActa eſt autem in illa die perſecútio magna in Eccléſia quæ erat Jerosólymis, & omnes diſpérſi ſunt per regiónes Judææ & Samaríæ, præter Apóſtolos. Curavérunt autem Stéphanum viri timoráti, & fecérunt planctum magnum ſuper eum. Saulus autem devaſtábat Eccléſiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulíeres, tradébat in cuſtódiam. Igitur qui diſpérſi erant, pertransíbant evangelizántes verbũ Dei. Philíppus autem deſcéndens in civitátem Samaríæ, prædicábat illis Chriſtum. Intendébant autem turbæ his quæ à Philíppo dicebántur, unanímiter audiéntes, & vidéntes ſigna quæ faciébat. Multi enim eórum qui habébant ſpíritus immúndos, clamántes voce magnâ exíbant. Multi autẽ paralýtici & claudi curáti ſunt. Factum eſt ergo gaúdium magnum in illa civitáte.

℞. *ij.* *Sapiéntia, p.* 312.

De Epiſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio III. *c.* 15. *v.* 9. *ad* 15.

EGo ſum mínimus Apoſtolórum, qui non ſum dignus vocári Apóſtolus, quóniam perſecútus ſum Eccléſiam Dei. Grátiâ autem Dei ſum id quod ſum, & grátia ejus in me vácua non fuit, ſed abundántiùs illis ómnibus laborávi: non ego autem, ſed grátia Dei mecum: ſive enim ego, ſive illi, ſic prædicámus, & ſic credidíſtis. Si autem Chriſtus prædicátur quòd reſurréxit à mórtuis, quómodo quidam dicunt in vobis: Quóniam reſurréctio mortuórum non eſt? Si autem reſurréctio mortuórum non eſt, neque Chriſtus reſurréxit. Si autem Chriſtus non reſurréxit, inánis eſt ergo prædicátio noſtra, inánis eſt & fides veſtra: invenímur autem & falſi teſtes Dei: quóniam teſtimónium díximus advérsùs Deum, quòd ſuſcitáverit Chriſtum, quem non ſuſcitávit, ſi mórtui non resúrgunt.

℞. *iij.* Lápidem, *p.* 312.

FERIA SEXTA.

Pſalmi notati pro I. Nocturno Feriâ VI. p. 88.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio I. *c.* 8. *v.* 9. *ad* 17.

VIr quidam nómine Simon, qui antè fúerat in civitáte magus, ſedúcens gentem Samaríæ, dicens ſe

eſſe áliquem magnum: cui auſcultábant omnes à mínimo uſque ad máximum, dicéntes: Hic eſt virtus Dei, quæ vocátur magna. Attendébant autem eum, propter quòd multo témpore mágiis ſuis dementáſſet eos. Cùm verò credidíſſent Philíppo evangelizánti de regno Dei, in nómine Jeſu Chriſti baptizabántur viri ac mulíeres. Tunc Simon & ipſe crédidit: & cùm baptizátus eſſet, adhærébat Philíppo. Videns étiam ſigna & virtútes máximas fíeri, ſtupens admirabátur. Cùm autem audíſſent Apóſtoli qui erant Jerosólymis, quòd recepíſſet Samaría verbum Dei, miſérunt ad eos Petrum & Joánnem. Qui cùm veníſſent, oravérunt pro ipſis, ut accíperent Spíritum ſanctum: nondùm enim in quemquam illórum vénerat, ſed baptizáti tantùm erant in nómine Dómini Jeſu. Tunc imponébant manus ſuper illos, & accipiébant Spíritum ſanctum.

℟. *j.* Dóminus, *p.* 313.

Lectio II. *v.* 18. *ad* 25.

Cum vidíſſet autem Simon quia per impoſitiónem manûs Apoſtolórum darétur Spíritus ſanctus, óbtulit eis pecúniam, dicens: Date & mihi hanc poteſtátem, ut cuicúmque impoſúero manus, accípiat Spíritum ſanctum. Petrus *autem dixit* ad eum: Pecúnia *tua tecum* ſit in perditiónem: quóniam donum Dei exiſtimáſti pecúniâ poſſidéri. Non eſt tibi pars neque ſors in ſermóne iſto: cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Pœniténtiam ítaque age ab hac nequítia tua & roga Deum, ſi fortè remittátur tibi hæc cogitátio cordis tui: in felle enim amaritúdinis, & obligatióne iniquitátis vídeo te eſſe. Reſpóndens autem Simon, dixit: Precámini vos pro me ad Dóminum, ut nihil véniat ſuper me horum quæ dixíſtis. Et illi quidem teſtificáti & locúti verbum Dómini, redíbant Jerosólymam, & multis regiónibus Samaritanórum evangelizábant.

℟. *ij.* Ecce, *p.* 312.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio III. *c.* 15. *v.* 16. *ad* 23.

Si mórtui non resúrgunt, neque Chriſtus reſurréxit. Quòd ſi Chriſtus non reſurréxit, vana eſt fides veſtra, adhuc enim eſtis in peccátis veſtris. Ergo & qui dormiérunt in Chriſto, periérunt. Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperántes ſumus, miſerabilióres ſumus ómnibus homínibus. Nunc autem Chriſtus reſurréxit à mórtuis primítiæ dormiéntium: quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem reſurréctio mortuórum. Et ſicut in Adam om-

nes moriúntur, ità & in Chriſto omnes vivificabúntur: unuſquíſque autem in ſuo órdine, primítiæ Chriſtus deínde ii qui ſunt Chriſti, qui in advéntu ejus credidérunt.

℟. iij. Mendáces, *p.* 313.

Ad Vesperas, *fit à Capitulo de Officio B. Mariæ in Sabbato, p.* lxxxviij, *niſi occurrat Feſtum ſimplex, aut ſuprà: & ſic in tribus Sabbatis ſequentibus.*

SABBATO.

Pſalmi notati pro I. Nocturno Sabbati, p. 103.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio I. *c.* 8. *v.* 26. *ad* 31.

Angelus Dómini locútus eſt ad Philíppum, dicens: Surge, & vade contra Meridiánum, ad viam quæ deſcéndit ab Jerúſalem in Gazam: hæc eſt deſérta. Et ſurgens ábiit. Et ecce vir Æthiops, Eunúchus, potens Candácis Regínæ Æthíopum, qui erat ſuper omnes gazas ejus, vénerat adoráre in Jerúſalem. Et revertebátur ſedens ſuper currum ſuum legénſque Iſaíam Prophétam. Dixit autem Spíritus Philíppo: Accéde, & adjúnge te ad currum iſtum. Accúrrens autem Philíppus, audívit eum legéntem Iſaíã Prophétam, & dixit: Putáſne intélligis quæ legis? Qui ait: Et quómodo poſſum, ſi non áliquis oſténderit mihi? Rogavítque Philíppum ut aſcénderet, & ſedéret ſecum.

Lectio II. *v.* 32. *ad finem.*

Locus autem Scriptúræ, quem legébat, erat hic: Tanquam ovis ad occiſiónem ductus eſt; & ſicut agnus coram tondénte ſe, ſinè voce, ſic non apéruit os ſuum. In humilitáte judícium ejus ſublátum eſt: generatiónem ejus quis enarrábit, quóniam tollétur de terra vita ejus? Reſpóndens autem Eunúchus Philíppo, dixit: Obſecro te, de quo Prophéta dicit hoc? de ſe, an de álio áliquo? Apériens autem Philíppus os ſuum, & incípiens à Scriptúra iſta, evangelizávit illi Jeſum. Et dum irent per viam, venérunt ad quandam aquam, & ait Eunúchus: Ecce aqua, quid próhibet me baptizári? Dixit autem Philíppus: Si credis ex toto corde, licet. Et reſpóndens, ait: Credo Fílium Dei eſſe Jeſum Chriſtum; & juſſit ſtare currum. Et deſcendérunt utérque in aquam, Philíppus & Eunúchus, & baptizávit eum. Cùm autem aſcendíſſent de aqua, Spíritus Dómini rápuit Philíppum, & ampliùs non vidit eum Eunúchus. Ibat autem per viam ſuam gaudens. Philíppus autem invéntus eſt in Azóto, & pertránſiens evangelizábat civitátibus cunctis, donec veníret Cæſaréam.

AD VESPERAS.

Omnia ut in I. Veſperis Dominicæ primæ poſt Paſ-

cha, p. 306. omiſſo Reſponſorio.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Obſtupuérunt ex Circumciſióne Fidéles qui vénerant cum Petro, quia & in Natiónes grátia Spíritûs ſancti effúſa eſt, allelúia. *Act.* 10. 45.

Oratio, Deus, qui, *infrà, ad Laudes, p.* 328.

Omittitur Commemoratio de Cruce.

DOMINICA II. POST PASCHA.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium: Autórem vitæ, quem Deus ſuſcitávit à mórtuis, * Veníte, adorémus, allelúia. *Act.* 3. 15.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus. Adéſte, Cœlitûm chori, *p.* 312.

Pſalmi notati pro II. Nocturno Dominicæ, p. 4.

Ant. 1. a. Juſtificáti in ſánguine Chriſti, ſalvi érimus ab ira per ipſum, allelúia. *Rom.* 5. 9.

Ant. 3. c. Chriſtus dedit ſemetípſum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, allelúia. *Tit.* 2. 14.

Ant. 7. d. Si qua ergo in Chriſto nova creatúra, vétera tranſiérunt; ecce facta ſunt ómnia nova, allelúia. 2. *Cor.* 5. 17.

℣. Notam feciſti, Dómine, in pópulis virtútem tuam: ℟. Redemiſti in bráchio tuo pópulum tuum. *Pſ.* 76. 15. 16.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio I. *c.* 9. *v.* 31. *ad* 35.

Eccléſia quidem per totam Judǽam, & Galilǽam, & Samaríam, habébat pacem, & ædificabátur ámbulans in timóre Dómini, & conſolatióne ſancti Spíritûs replebátur. Factum eſt autem, ut Petrus, dum pertransíret univérſos, deveníret ad ſanctos qui habitábant Lyddæ. Invénit autem ibi hóminem quemdam, nómine Ænéam, ab annis octo jacéntem in grabáto, qui erat paralýticus. Et ait illi Petrus: Ænéa, ſanat te Dóminus Jeſus Chriſtus: ſurge, & ſterne tibi. Et contínuò ſurréxit. Et vidérunt eum omnes qui habitábant Lyddæ & Saróna: qui convérſi ſunt ad Dóminum.

℟. *j.* Diléxit vos Dóminus, & cuſtodívit juraméntum quod jurávit pátribus veſtris; * Eduxítque vos in manu forti, & redémit de domo ſervitútis, allelúia, *Deut.* 7. 8. ℣. Reſurrexíſtis per fidem operatiónis Dei, qui ſuſcitávit Jeſum à mórtuis. *Coloſſ.* 2. 12. * Eduxítque.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio II. *c.* 1. *v.* 16. *ad finem.*

Non ceſſo grátias agens pro vobis, memóriam veſtrî fáciens in oratiónibus meis: ut Deus Dómini noſtri Jeſu Chriſti, Pater

glóriæ, det vobis Spíritum ſapiéntiæ & revelatiónis, in agnitióne ejus, illumináros óculos cordis veſtri, ut ſciátis quæ ſit ſpes vocatiónis ejus, & quæ divítiæ glóriæ hæreditátis ejus in ſanctis, & quæ ſit ſuperéminens magnitúdo virtútis ejus in nos, qui crédimus ſecúndùm operatiónem poténtiæ virtútis ejus, quam operátus eſt in Chriſto, súſcitans illum à mórtuis, & conſtítuens ad déxteram ſuam in cœléſtibus, ſupra omnem Principátum, & Poteſtátem, & Virtútem, & Dominatióne͂, & omne nomen quod nominátur, non ſolùm in hoc ſéculo, ſed étiam in futúro. Et ómnia ſubjécit ſub pédibus ejus: & ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccléſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitúdo ejus, qui ómnia in ómnibus adimplétur.

℟. *ij.* Teſtes vos eſtis, quia ipſi elegéritis vobis Dóminum, * Ut ſerviátis ei, allelúia. *Joſ.* 24. 22. ℣. Eſtis in illo repléti qui eſt Caput omnis Principátûs & Poteſtátis. *Coloſſ.* 2. 10. * Ut ſerviátis.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 10. *v.* 11. *ad* 16.

Bonus Paſtor.

DIxit Jeſus quibúſdam ex Phariſǽis: Ego ſum Paſtor bonus. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 14. *in Evang.* n. 1.

BOnus Paſtor ánimam ſuam ponit pro óvibus ſuis. Fecit quod mónuit: oſténdit quod juſſit. Bonus Paſtor pro óvibus ſuis ánimam ſuam póſuit, ut in Sacraménto noſtro Corpus ſuum & Sánguinem vérteret, & oves quas redémerat, carnis ſuæ aliménto ſatiáret. Oſténſa nobis eſt de contémptu mortis via quam ſequámur: appóſita eſt forma cui imprimámur. Primùm nobis eſt exterióra noſtra miſericórditer óvibus ejus impéndere: poſtrémùm verò, ſi necéſſe ſit, étiam mortem noſtram pro eíſdem óvibus miniſtráre. A primo autem hoc mínimo pervenítur ad poſtrémum majus. Sed cùm incomparabíliter longè ſit mélior ánima quâ vívimus, terrénâ ſubſtántiâ quam extériùs poſſidémus, qui non dat pro óvibus ſubſtántiam ſuam, quando pro his datúrus eſt ánimam ſuam? Et ſunt nonnúlli, qui dum plus terrénam ſubſtántiam quàm oves dilígunt, méritò nomen Paſtóris perdunt. De quibus prótinùs súbditur: Mercenárius autem & qui non eſt Paſtor, cujus non ſunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, & dimíttit oves, & fugit. Non Paſtor, ſed mercenárius vo-

cátur, qui non pro amóre íntimo, oves Domínicas, ſed ad temporáles mercédes, paſcit. Mercenárius quippe eſt, qui locum quidem paſtóris tenet, ſed lucra animárum non quærit, terrénis cómmodis ínhiat, honóre prælatiónis gaudet, temporálibus lucris páſcitur, impénsâ ſibi ab homínibus reveréntiâ lætátur.

℟. iij. Ecce ego ipſe requíram oves meas, & * Viſitábo eas, ſicut víſitat paſtor gregem ſuum, allelúia. *Ezech.* 34. 11. 12. ℣. Ego ſum Paſtor bonus; & cognóſco meas, & cognóſcunt me meæ. *Joan.* 10. 14. * Viſitábo. Glória. * Viſitábo.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

Omnia ut in Dominica in Albis Depoſitis, p. 309.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Ego paſcam oves meas, & ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus, allelúia. *Ezech.* 34. 15.

Oratio.

DEus, qui errántibus, ut in viam poſſint redíre juſtítiæ, veritátis tuæ lumen oſténdis; da cunctis qui Chriſtiánâ profeſſióne censéntur, & illa reſpúere quæ huic inimíca ſunt nómini, & ea quæ ſunt apta, ſectári; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit *& regnat in unitáte.*

Ad Horas, *omnia ut in Dominica in Albis Depoſitis, p.* 310. *exceptâ Oratione,* Deus, qui errántibus.

AD VESPERAS.

Omnia ut in II. Veſperis Dominicæ in Albis Depoſitis, p. 311.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Alias oves hábeo quæ non ſunt ex hoc ovíli, & illas opórtet me addúcere, & vocem meam aúdient; & fiet unum ovíle, & unus Paſtor, allelúia. *Joan.* 10. 16.

Completorium, *ut in Feriis Temporis Paſchalis, p.* 318.

FERIA SECUNDA.

Pſalmi notati pro II. Nocturno Feriæ II. p. 28.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio I. *c.* 9. *v.* 36. *ad* 42.

IN Joppe fuit quædam diſcípula, nómine Tabítha, quæ interpretáta dícitur Dorcas. Hæc erat plena opéribus bonis & eleemóſynis quas faciébat. Factum eſt autem in diébus illis, ut infirmáta morerétur. Quam cùm laviſſent, poſuérunt eam in cœnáculo. Cùm autem propè eſſet Lydda ad Joppen, diſcípuli audiéntes quia Petrus eſſet in ea, miſérunt duos viros ad eum, rogántes: Ne pigritéris veníre uſque ad nos. Exúrgens autem Petrus venit cum illis. Et cùm adveníſſet, duxérunt illum in cœnáculum;

& circumſtetérunt illum omnes víduæ flentes, & oſtendéntes ei túnicas & veſtes quas faciébat illis Dorcas. Ejéctis autem ómnibus foràs, Petrus ponens génua orávit: & convérſus ad corpus dixit: Tabítha, ſurge. At illa apéruit óculos ſuos: & viſo Petro, resédit. Dans autem illi manum, eréxit eam. Et cùm vocáſſet ſanctos & víduas, aſſignávit eam vivam. Notum autem factum eſt per univérſam Joppen: & credidérunt multi in Dómino.

℟. *j.* De angúſtia, *p.* 312.

Lectio II. *c.* 10. *v.* 1. *ad* 8.

Vir autem quidam erat in Cæſaréa, nómine Cornélius, Centúrio cohórtis quæ dícitur Itálica, religióſus ac timens Deum cum omni domo ſua, fáciens eleemóſynas multas plebi, & déprecans Deum ſemper. Is vidit in viſu maniféſtè, quaſi horâ diéi nonâ, Angelum Dei introeúntem ad ſe & dicéntem ſibi: Cornéli. At ille íntuens eum, timóre corréptus, dixit: Quid eſt, dómine? Dixit autem illi: Oratiónes tuæ & eleemóſynæ tuæ aſcendérunt in memóriam in conſpéctu Dei. Et nunc mitte viros in Joppen, & accérſi Simónem quemdam qui cognominátur Petrus: hic hoſpitátur apud Simónem quemdam corriárium, cujus eſt *domus juxta* mare: hic dicet tibi quid te opórteat fácere. Et cùm diſceſſiſſet Angelus qui loquebátur illi, vocávit duos doméſticos ſuos, & mílitem metuéntem Dóminum, ex his qui illi parébant: quibus cùm narráſſet ómnia, miſit illos in Joppen.

℟. *ij.* Sapiéntia, *p.* 312.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio III. *c.* 2. *v.* 1. *ad* 7.

Cum eſſétis mórtui delíctis & peccátis veſtris in quibus aliquándo ambuláſtis ſecúndùm ſéculum mundi hujus, ſecúndùm príncipem poteſtátis áeris hujus, ſpíritûs qui nunc operátur in fílios diffidéntiæ, in quibus & nos omnes aliquándo conversáti ſumus in deſidériis carnis noſtræ, faciéntes voluntátem carnis & cogitatiónum, & erámus natúrâ fílii iræ, ſicut & cœteri: Deus autem qui dives eſt in miſericórdia, propter nímiam caritátem ſuam quâ diléxit nos, & cùm eſsémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Chriſto, (cujus grátiâ eſtis ſalváti) & conreſuſcitávit, & conſedére fecit in cœléſtibus in Chriſto Jeſu: ut oſténderet in séculis ſuperveniéntibus abundántes divítias grátiæ ſuæ, in bonitáte ſuper nos, in Chriſto Jeſu.

℟. *iij.* Lápidem, *p.* 312.

FERIA TERTIA.

Pſalmi notati pro II. Nocturno Feriæ III. p. 43.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 10. *v.* 9. *ad* 23.

AScéndit Petrus in ſupérióra, ut oráret circa horam ſextam. Et cùm eſuríret, vóluit guſtáre. Paràntibus autem illis, cécidit ſuper eum mentis excéſſus: & vidit cœlum apértum, & deſcéndens vas quoddam velut línteum magnum quátuor inítiis ſummítti de cœlo in terram, in quo erant ómnia quadrupédia, & ſerpéntia terræ, & volatília cœli. Et facta eſt vox ad eum: Surge, Petre, occíde, & mandúca. Ait autem Petrus: Abſit, Dómine, quia nunquam manducávi omne commúne & immúndum. Et vox íterùm ſecúndò ad eum: Quod Deus purificávit, tu commúne ne díxeris. Hoc autem factum eſt per ter: & ſtatim recéptum eſt vas in cœlum. Et dum intra ſe hæſitáret Petrus, quidnam eſſet víſio quam vidíſſet, ecce viri qui miſſi erant à Cornélio inquiréntes domum Simónis, aſtitérunt ad jánuam. Et cùm vocáſſent, interrogábant ſi Simon qui cognominátur Petrus, illic habéret hoſpítiū. Petro autem cogitánte de viſióne, dixit Spíritus ei: Ecce viri tres quærunt te. *Surge ítaque*, deſcénde, & vade cum eis nihil dúbitans, quia ego miſi illos. Deſcéndens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego ſum quem quæritis: quæ cauſa eſt, propter quam veníſtis? Qui dixérunt: Cornélius Centúrio, vir juſtus, & timens Deum, & teſtimónium habens ab univérſa gente Judæórum, reſpónſum accépit ab Angelo ſancto, acceríre te in domum ſuam, & audíre verba abs te. Introdúcens ergo eos, recépit hoſpítio. Sequénti autem die ſurgens, profectus eſt cum illis: & quidam ex frátribus ab Joppe comitáti ſunt eum.

℟. *j.* Dóminus, *p.* 313.

LECTIO II. *v.* 24. *ad* 33.

ALterâ autem die introívit Cæſaréam, Cornélius verò expectábat illos, convocátis cognátis ſuis & neceſſáriis amícis. Et factum eſt cùm introíſſet Petrus, óbvius venit ei Cornélius, & prócidens ad pedes ejus, adorávit. Petrus verò elevávit eum, dicens: Surge, & ego ipſe homo ſum. Et loquens cum illo intrávit, & invénit multos qui convénerant, dixítque ad illos: Vos ſcitis quómodo abominátum ſit viro Judǽo conjúngi aut accédere ad alienígenam: ſed mihi oſténdit Deus néminem commúnem aut immúndum dícere hóminem. Propter quòd ſinè dubitatióne veni

accerſítus. Intérrogo ergo, quam ob cauſam accersiſtis me? Et Cornélius ait: A nudiuſquárta die uſque ad hanc horam, orans eram horâ nonâ in domo mea; & ecce vir ſtetit ante me in veſte cándida, & ait: Cornéli, exaúdita eſt orátio tua: & eleemóſynæ tuæ commemorátæ ſunt in conſpéctu Dei. Mitte ergo in Joppen, & accérſi Simónem qui cognominátur Petrus: hic hoſpitátur in domo Simónis coriárii juxta mare. Confeſtim ergo miſi ad te: & tu benè fecíſti veniéndo. Nunc ergo omnes nos in conſpéctu tuo ádſumus, audíre ómnia quæcúmque tibi præcépta ſunt à Dómino.

℟. *ij*. Ecce, *p*. 313.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Philippénſes.

LECTIO III. *c*. 1. *v*. 8. *ad* 17.

TEſtis mihi eſt Deus, quómodo cúpiam omnes vos in viſcéribus Jeſu Chriſti. Et hoc oro, ut cáritas veſtra magìs ac magìs abúndet in ſciéntia & in omni ſenſu: ut probétis potióra, ut ſitis ſincéri & ſinè offénſa in diem Chriſti, repléti fructu juſtítiæ per Jeſum Chriſtum, in glóriam & laudem Dei. Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me ſunt, magìs ad profectum venérunt Evangélii: ità ut víncula mea maniféſta fíerent in Chriſto in omni Prætório, & in cæteris ómnibus, & plures è frátribus in Dómino confidéntes vínculis meis, abundántiùs audérent ſinè timóre verbum Dei loqui. Quidam quidem & propter invídiam & contentiónem, quidam autem & propter bonam voluntátem Chriſtum prædicant: quidam ex caritáte, ſciéntes quóniam in defenſiónem Evangélii póſitus ſum. Quidam autem ex contentióne Chriſtum annúntiant non ſincérè, exiſtimántes preſſúram ſe ſuſcitáre vínculis meis.

℟. *iij*. Mendáces, *p*. 313.

FERIA QUARTA.

Pſalmi notati pro II. Nocturno Feriæ IV. p. 60.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c*. 10. *v*. 34. *ad* 43.

APériens Petrus os ſuum, dixit: In veritáte cómperi quia non eſt perſonárum accéptor Deus: ſed in omni gente, qui timet eum & operátur juſtítiam, accéptus eſt illi. Verbum miſit Deus filiis Iſraël, annúntians pacem per Jeſum Chriſtum: (hic eſt ómnium Dóminus.) Vos ſcitis quod factum eſt verbum per univérſam Judæam: incípiens enim à Galilæa, poſt baptiſmum quod prædicávit Joánnes, Jeſum à Názareth, quómodo unxit eum Deus Spíritu ſancto & virtúte, qui pertránſiit bene-

faciéndo & ſanándo omnes oppréſſos à diábolo, quóniã Deus erat cum illo. Et nos teſtes ſumus ómnium quæ fecit in regióne Judæórum, & Jeruſalem, quem occidérunt ſuſpendéntes in ligno. Hunc Deus ſuſcitávit tértiâ die, & dedit eum maniféſtum fieri, non omni pópulo, ſed téſtibus præordinátis à Deo: nobis, qui manducávimus & bíbimus cum illo, poſtquàm reſurréxit à mórtuis. Et præcépit nobis prædicáre pópulo & teſtificári, quia ipſe eſt, qui conſtitútus eſt à Deo Judex vivórum & mortuórum. Huic omnes Prophétæ teſtimónium pérhibent, remiſſiónem peccatórum accípere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum.

℟. *j.* Non, *p.* 313.

LECTIO II. *v.* 44. *ad finem.*

ADhuc loquénte Petro verba hæc, cécidit Spíritus ſanctus ſuper omnes qui audiébant verbum. Et obſtupuérunt ex Circumciſióne Fidéles qui vénerant cum Petro, quia & in Natiónes grátia Spíritûs ſancti effúſa eſt. Audiébant enim illos loquéntes linguis, & magnificántes Deum. Tunc reſpóndit Petrus: Nunquid aquam quis prohibére poteſt, ut non baptizéntur hi, qui Spíritum ſanctum accepérunt *ſicut & nos*? Et juſſit eos baptizári in nómine Dómini Jeſu Chriſti. Tunc, rogavérunt eum, ut manéret apud eos áliquot diébus.

℟. *ij.* Scitóte, *p.* 313.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Coloſſénſes.

LECTIO III. *c.* 3. *v.* 1. *ad* 10.

SI conſurrexíſtis cum Chriſto, quæ ſursùm ſunt, quærite, ubi Chriſtus eſt in déxtera Dei ſedens: quæ ſursùm ſunt, ſápite, non quæ ſuper terram. Mórtui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcóndita cum Chriſto in Deo. Cùm Chriſtus apparúerit, vita veſtra; tunc & vos apparébitis cum ipſo in glória. Mortificáte ergo membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicatiónem, immundítiam, libídinem, concupiſcéntiam malam, & avarítiam, quæ eſt ſimulacrórum ſérvitus: propter quæ venit ira Dei ſuper fílios incredulitátis, in quibus & vos ambuláſtis aliquándo, cùm viverétis in illis. Nunc autem depónite & vos ómnia, iram, indignatiónem, malítiam, blaſphémiam, turpem ſermónem de ore veſtro. Nolíte mentíri ínvicem, expoliántes vos véterem hóminem cum áctibus ſuis, & induéntes novum, eum qui renovátur in agnitiónem, ſecúndùm imáginem ejus qui creávit illum.

℟. iij. Deus, p. 313.

FERIA QUINTA.

Pſalmi notati pro II. Nocturno Feriæ V. p. 75.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio I. *c.* 13. *v.* 1. *ad* 5.

ERant in Ecclésia quæ erat Antiochíæ, prophétæ & doctóres, in quibus Bárnabas, & Simon, qui vocabátur Niger, & Lúcius Cyrenénſis, & Mánahen, qui erat Heródis Tetrárchæ collactáneus, & Saulus. Miniſtrántibus autem illis Dómino & jejunántibus, dixit illis Spíritus ſanctus: Segregáte mihi Saulum & Bárnabam, in opus ad quod aſſúmpſi eos. Tunc jejunántes, & orántes, imponentéſque eis manus, dimiſérunt illos. Et ipſi quidem miſſi à Spíritu ſancto, abiérunt Seleúciam: & inde navigavérunt Cyprum. Et cùm veníſſent Salamínam, prædicábant verbum Dei in ſynagógis Judæórum. Habébant autem & Joánnem in miniſtério.

℞. *j.* De angúſtia, *p.* 312.

Lectio II. *v.* 6. *ad* 12.

ET cùm perambuláſſent univérſam ínſulam uſque Paphum, invenérunt quemdam virum magum pſeudoprophétam, Judǽũ, cui nomen erat Barjéſu, qui erat cum Procónſule Sérgio Paulo viro prudénte. Hic, accersítis Bárnabâ & Saulo, deſiderábat audíre verbum Dei. Reſiſtébat autem illis Elymas magus, (ſic enim interpretátur nomen ejus,) quærens avértere Procónſulem à fide. Saulus autem, qui & Paulus, replétus Spíritu ſancto, íntuens in eum, dixit: O plene omni dolo & omni fallácìâ, fili diáboli, inimíce omnis juſtítiæ! non déſinis ſubvértere vias Dómini rectas. Et nunc ecce manus Dómini ſuper te, & eris cœcus non videns ſolem uſque ad tempus. Et conféſtim cécidit in eum calígo & ténebræ, & circúiens quærébat qui ei manum daret. Tunc Procónſul, cùm vidíſſet factum, crédidit, admírans ſuper doctrína Dómini.

℞. *ij.* Sapiéntia, *p.* 312.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Románes.

Lectio III. *c.* 2. *v.* 9. *ad* 16.

TRibulátio & angúſtia in omnem ánimam hóminis operántis malum, Judǽi primùm, & Græci: glória autem, & honor, & pax omni operánti bonum, Judǽo primùm, & Græco: non enim eſt accéptio perſonárum apud Deum. Quicúmque enim ſinè Lege peccavérunt, ſinè Lege períbunt: & quicúmque in Lege peccavérunt, per Legem judicabúntur. Non enim auditóres Legis juſti ſunt apud Deum, ſed factóres Legis juſtificabúntur. Cùm enim Gentes, quæ Legem non habent, naturáliter ea quæ Legis

ſunt fáciunt, ejúſmodi Legem non habéntes, ipſi ſibi ſunt Lex: qui oſténdunt opus Legis ſcriptum in córdibus ſuis, teſtimónium reddénte illis conſciéntiâ ipsórum, & inter ſe ínvicem cogitatiónibus accusántibus, aut étiam defendéntibus, in die cùm judicábit Deus occúlta hóminum, ſecúndùm Evangélium meum, per Jeſum Chriſtum.

℟. *iij.* Lápidem, *p.* 312.

FERIA SEXTA.

Pſalmi notati pro II. Nocturno Feriæ VI. p. 90.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 13. *v.* 13. *ad* 23.

CUm à Papho navigáſſent Paulus & qui cum eo erant, venérunt Pergen Pamphýliæ. Joánnes autem diſcédens ab eis, revérſus eſt Jeroſólymam. Illi verò pertranſeúntes Pergen, venérunt Antiochíam Piſídiæ, & ingréſſi ſynagógam die Sabbatórum, ſedérunt. Poſt lectiónem autem Legis & Prophetárum, miſérunt Príncipes ſynagógæ ad eos, dicéntes: Viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortatiónis ad plebem, dícite. Surgens autem Paulus, & manu ſiléntium indícens, ait: Viri Iſraëlítæ, & qui timétis Deum, audíte: Deus plebis Iſraël elégit patres noſtros, & plebem exaltávit, *cùm eſſent íncolæ* in terra *Ægýpti*, *& in bráchio ex*célſo edúxit eos ex ea. Et per quadragínta annórum tempus, mores eórum ſuſtínuit in deſérto. Et déſtruens gentes ſeptem in terra Chánaan, ſorte diſtríbuit eis terram eórum, quaſi poſt quadringéntos & quinquagínta annos: & poſt hæc dedit Júdices uſque ad Sámuel Prophétam. Et exínde poſtulavérunt regem: & dedit illis Deus Saül fílium Cis, virum de tribu Bénjamin, annis quadragínta. Et amóto illo, ſuſcitávit illis David regem: cui teſtimónium pérhibens, dixit: Invéni David fílium Jeſſe, virum ſecúndùm cor meum, qui fáciet omnes voluntátes meas. Hujus Deus ex sémine, ſecúndùm promiſſiónem, edúxit Iſraël Salvatórem Jeſum.

℟. *j.* Dóminus, *p.* 313.

LECTIO II. *v.* 26. *ad* 35.

VIri fratres, fílii géneris Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum ſalútis hujus miſſum eſt. Qui enim habitábant Jeruſalem & príncipes ejus, hunc ignorántes, & voces Prophetárum quæ per omne Sábbatum legúntur, judicántes implevérunt: & nullam cauſam mortis inveniéntes in eo, petiérunt à Piláto ut interfícerent eum. Cúmque conſummáſſent ómnia quæ de eo ſcripta erant, deponéntes eum de ligno, poſuérunt eum in monuménto.

Deus veró ſuſcitávit eum à mórtuis tértiâ die : qui viſus eſt per dies multos his qui ſimul aſcénderant cum eo de Galilǽa in Jerúſalem : qui uſque nunc ſunt teſtes ejus ad plebem. Et nos vobis annuntiámus eam quæ ad patres noſtros repromíſſio facta eſt : quóniam hanc Deus adimplévit filiis noſtris, resúſcitans Jeſum, ſicut & in Pſalmo ſecúndo ſcriptum eſt : Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quòd autem ſuſcitávit eum à mórtuis, ámpliùs jam non reverſúrum in corruptiónem, ità dixit : Quia dabo vobis ſancta David fidélia. Ideóque & áliàs dixit : Non dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

℟. *ij.* Ecce, *p.* 313.

De Epíſtola prima beáti Petri Apóſtoli.

LECTIO III. *c.* 1. *v.* 3. *ad* 9.

BEnedíctus Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecúndùm miſericórdiam ſuam magnam, regenerávit nos in ſpem vivam, per Reſurrectiónem Jeſu Chriſti ex mórtuis, in hæreditátem incorruptíbilem, & incontaminátam, & immarceſſíbilem, conſervátam in cœlis in vobis, qui in virtúte Dei cuſtodímini per fidem in ſalútem parátam revelári in témpore noviſſimo. In quo exultábitis, módicùm nunc ſi opórtet contriſtári in váriis *tentatiónibus* : ut probátio veſtræ fidei multò pretióſior auro quod per ignem probátur, inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem, in revelatióne Jeſu Chriſti : quem cùm non vidéritis, diligitis : in quem nunc quoque non vidéntes créditis : credéntes autem exultábitis lætítiâ inenarrábili & glorificátâ, reportántes finem fídei veſtræ, ſalútem animárum.

℟. *iij.* Mendáces, *p.* 313.

SABBATO.

Pſalmi notati pro II. Nocturno Sabbati, *p.* 105.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 13. *v.* 44. *ad finem.*

SEquénti Sábbato, penè univérſa cívitas convénit audíre verbum Dei. Vidéntes autem turbas Judǽi, repléti ſunt zelo, & contradicébant his quæ à Paulo dicebántur, blaſphemántes. Tunc conſtánter Paulus & Bárnabas dixérunt : Vobis oportébat primùm loqui verbum Dei : ſed quóniam repéllitis illud, & indignos vos judicátis ætérnæ vitæ, ecce convértimur ad Gentes. Sic enim præcépit nobis Dóminus : Póſui te in lucem Géntium, ut ſis in ſalútem uſque ad extrémum terræ. Audiéntes autem Gentes, gavíſæ ſunt, & glorificábant verbum Dómini : & credidérunt quotquot erant præordináti ad vitam ætérnam. Diſſeminabátur autem verbum Dó-

mini per univérſam regiónem. Judǽi autem concitavérunt mulíeres religióſas & honéſtas, & primos civitátis, & excitavérunt perſecutiónem in Paulum & Bárnabam: & ejecérunt eos de finibus ſuis. At illi excúſſo púlvere pedum in eos, venérunt Icónium. Diſcípuli quoque replebántur gaúdio & Spíritu ſancto.

Lectio II. *c.* 14. *v.* 1. *ad* 6.

FActum eſt autem Icónii, ut ſimul introírent in ſynagógam Judæórum, & loqueréntur, ità ut créderet Judæórum & Græcórum copióſa multitúdo. Qui verò incréduli fuérunt Judǽi, ſuſcitavérunt, & ad iracúndiam concitavérunt ánimas Géntium advérsùs fratres. Multo ígitur témpore demoráti ſunt, fiduciáliter agéntes in Dómino, teſtimónium perhibénte verbo grátiæ ſuæ, dante ſigna & prodígia fieri per manus eórum. Divíſa eſt autem multitúdo civitátis: & quidam quidem erant cum Judæis, quidam verò cum Apóſtolis. Cùm autem factus eſſet ímpetus Gentílium & Judæórum cum princípibus ſuis, ut contuméliis afficerent & lapidárent eos, intelligéntes confugérunt ad civitátes Lycaóniæ, Lyſtram & Derben, & univérſam in circúitu regiónem, & ibi evangelizántes erant.

AD VESPERAS.

Omnia ut in I. Veſperis Dominicæ primæ poſt Paſcha, p. 306. *omiſſo Reſponſorio.*

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Turbæ, cùm vidiſſent quod fécerat Paulus, levavérunt vocem ſuam Licaónicè, dicéntes: Dii símiles facti homínibus, deſcendérunt ad nos, allelúia. *Act.* 14. 10.

Oratio, Deus, qui in Fílii tui humilitáte, *infrà, ad Laudes.*

DOMINICA III. POST PASCHA.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Autórem vitæ, quem Deus ſuſcitávit à mórtuis, * Veníte, adorémus, allelúia. *Act.* 3. 15.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus. Adéſte, Cœlitûm chori, *ſuprà, p.* 312.

Pſalmi notati pro III. Nocturno Dominicæ, p. 6.

Ant. 1. a. Juſtificáti in ſánguine Chriſti, ſalvi érimus ab ira per ipſum, allelúia. *Rom.* 5. 9.

Ant. 3. c. Chriſtus dedit ſemetípſum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, allelúia. *Tit.* 2. 14.

Ant. 7. d. Si qua ergo in Chriſto nova creatúra, vétera tranſiérunt; ecce facta ſunt ómnia nova, allelúia. 2. *Cor.* 5. 17.

℣. Notam feciſti, Dómine, in pópulis virtútem

tuam;

tuam; ℟. Redemíſti in bráchio tuo pópulum tuum. *Pſ.* 76. 15. 16.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 14. *v.* 7. *ad* 14.

QUidam vir Lyſtris infirmus pédibus ſedébat, claudus ex útero matris ſuæ, qui nunquam ambuláverat. Hic audívit Paulum loquéntem: qui intúitus eum, & videns quia fidem habéret ut ſalvus fieret, dixit magnâ voce: Surge ſuper pedes tuos rectus. Ex exilívit, & ambulábat. Turbæ autem, cùm vidíſſent quod fécerat Paulus, levavérunt vocem ſuam Lycaónicè, dicéntes: Dii símiles facti homínibus deſcendérunt ad nos. Et vocábant Bárnabam Jovem, Paulum verò Mercúrium: quóniam ipſe erat dux verbi. Sacérdos quoque Jovis, qui erat ante civitátem, tauros & corónas ante jánuas áfferens, cum pópulis volébat ſacrificáre. Quod ubi audiérunt Apóſtoli Bárnabas & Paulus, conſcíſſis túnicis ſuis exiliérunt in turbas, clamántes & dicéntes: Viri, quid hæc fácitis? & nos mortáles ſumus, símiles vobis hómines, annuntiántes vobis ab his vanis convérti ad Deum vivum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & ómnia quæ in eis ſunt:

℟. *j.* Diléxit vos Dóminus, & cuſtodívit juraméntum quod jurávit pátribus veſtris; * Eduxítque vos in manu forti, & redémit de domo ſervitútis, allelúia. *Deut.* 7. 8. ℣. Reſurrexíſtis per fidem operatiónis Dei, qui ſuſcitávit Jeſum à mórtuis. *Coloſſ.* 2. 12. * Eduxítque.

De Epíſtola prima beáti Petri Apóſtoli.

LECTIO II. *c.* 1. *v.* 18. *ad finem.*

NOn corruptibílibus auro vel argénto redémpti eſtis de vana veſtra converſatióne patérnæ traditiónis, ſed pretióſo sánguine quaſi agni immaculáti Chriſti & incontamináti, præcógniti quidem ante mundi conſtitutiónem, manifeſtáti autem noviſſimis tempóribus propter vos, qui per ipſum fidéles eſtis in Deo qui ſuſcitávit eum à mórtuis, & dedit ei glóriam, ut fides veſtra & ſpes eſſet in Deo, ánimas veſtras caſtificántes in obediéntia caritátis, in fraternitátis amóre, símplici ex corde ínvicem dilígite atténtiùs, renáti non ex sémine corruptíbili, ſed incorruptíbili, per verbum Dei vivi & permanéntis in ætérnum. Quia omnis caro ut fœnum, & omnis glória ejus tanquam flos fœni. Exáruit fœnum, & flos ejus décidit: verbum autem Dómini manet in æternum. Hoc eſt autem verbum quod evangelizátum eſt in vos.

℟. *ij.* Teſtes vos eſtis, quia ipſi elegéritis vobis Dóminum, * Ut ſerviátis ei, allelúia. *Joſ.* 24. 22. ℣. Eſtis in illo repléti, qui eſt Caput omnis Principâtûs & Poteſtátis. *Coloſſ.* 2. 10. * Ut ſerviátis.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 16. *v.* 16. *ad* 22.

Promiſſio gaudii inamiſſibilis.

DIxit Jeſus diſcípulis ſuis : Módicùm, & jam non vidébitis me ; & íterùm módicùm, & vidébitis me, quia vado ad Patrem. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 101. n. 6.

MOdicùm eſt hoc totum ſpátium quo præſens pérvolat séculum. Ideò namqué áddidit : Quia vado ad Patrem ; quod ad priórem ſenténtiam referéndum eſt, ubi ait : Módicùm, & jam non vidébitis me ; non ad poſterióꝛem, ubi ait : Et íterùm módicùm, & vidébitis me. Eúndo quippe ad Patrem, factúrus erat ut eum non vidérent. Ac per hoc non ideò dictum eſt, quia fúerat moritúrus, & donec reſúrgeret ab eórum aſpéctibus receſsúrus, ſed quòd eſſet itúrus ad Patrem. Illis ergo ait : Módicùm, & jam non vidébitis me, qui eum corporáliter tunc vidébant, quia itúrus erat ad Patrem, & eum deínceps mortálem visúri non erant, qualem, cùm iſta loquerétur, vidébant. Quod verò áddidit : Et íterùm módicùm, & vidébitis me, univérſæ promíſit Eccléſiæ, ſicut univérſæ promíſit : Ecce ego vobíſcum ſum uſque in conſummatiónem séculi. Non tardat Dóminus promíſſum : Módicùm, & vidébimus eum, ubi jam nihil rogémus, nihil interrogémus ; quia nihil deſiderándum remanébit, nihil quæréndum latébit. Hoc módicùm longum nobis vidétur, quóniam adhuc ágitur : cùm finítum fúerit, tunc ſentiémus quàm módicum fúerit.

℟. *iij.* Conſolábor vos, & in Jerúſalem conſolabímini. * Vidébitis, & gaudébit cor veſtrum, allelúia. *Iſ.* 66. 13. 14. ℣. Vos contriſtabímini, ſed triſtítia veſtra vertétur in gáudium. *Joan.* 16. 20. * Vidébitis. Glória. * Vidébitis.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

Omnia ut in Dominica in Albis Depoſitis, p. 309.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. Convértam luctum eórum in gáudium, & conſolábor eos, & lætificábo à dolóre ſuo, allelúia. *Jer.* 31. 13.

Oratio.

DEus, qui in Filii tui humilitáte, jacéntem mundum erexíſti; fidéles tuos, quos perpétuæ mortis eripuíſti cáſibus, gaúdiis fac, quǽſumus, pérfrui ſempitérnis; Per eúmdem Dóminum.

AD HORAS, *omnia ut in Dominica in Albis Depoſitis*, *p.* 310. *exceptâ Oratione*, Deus, qui in Filii tui humilitáte.

AD VESPERAS.

Omnia ut in II. Veſperis Dominicæ in Albis Depoſitis, *p.* 311.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *g.* Dixit Jeſus: Itérùm vidébo vos, & gaudébit cor veſtrum; & gaúdium veſtrum nemo tollet à vobis, allelúia. *Joan.* 16. 22.

COMPLETORIUM, *ut in Feriis Temporis Paſchalis*, *p.* 318.

FERIA SECUNDA.

Pſalmi notati pro III. Nocturno Feriæ II. p. 29.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 14. *v.* 18. *ad finem.*

SUpervenérunt quidam ab Antiochía & Icónio Judǽi: & perſuáſis turbis, lapidantéſque Paulum, traxérunt extra civitátem, exiſtimántes eum mórtuum eſſe. Circumdántibus autem eum diſcípulis, ſurgens intrávit civitátem, & póſterâ die proféctus eſt cum Bárnaba in Derben. Cúmque evangelizáſſent civitáti illi, & docuíſſent multos, revérſi ſunt Lyſtram, & Icónium, & Antiochíam, confirmántes ánimas diſcipulórum, exhortantéſque ut permanérent in fide, & quóniam per multas tribulatiónes opórtet nos intráre in regnum Dei. Et cùm conſtituiſſent illis per ſingulas Eccléſias Presbýteros, & oráſſent cum jejunatiónibus, commendavérunt eos Dómino in quem credidérunt. Tranſeuntéſque Piſídiam, venérunt in Pamphýliam, & loquéntes verbum Dómini in Perge, deſcendérunt in Attáliam, & inde navigavérunt Antiochíam, unde erant tráditi grátiæ Dei, in opus quod complevérunt. Cùm autem veniſſent & congregáſſent Eccléſiam, retulérunt quanta feciſſet Deus cum illis, & quia aperuíſſet Géntibus óſtium fidei. Moráti ſunt autem tempus non módicum cum diſcípulis.

℟. *j.* De angúſtia, *p.* 312.

LECTIO II. *c.* 15. *v.* 1. *ad* 4.

ET quidam deſcendéntes de Judǽa, docébant fratres: Quia niſi circumcidámini ſecúndùm morem Móyſi, non potéſtis ſalvári. Factâ ergo ſeditióne non mínimâ Paulo & Bárnabæ advérsùs illos, ſtatuérunt ut aſcénderent Paulus & Bárnabas, & quidam álii ex áliis, ad Apóſtolos & Presbýteros in Jeruſalem,

ſuper hac quæſtióne. Illi ergo dedúcti ab Ecclésia, pertransíbant Phœnícem & Samaríam, narrántes conversiónem Géntium: & faciébant gaúdium magnum ómnibus frátribus. Cùm autem veníſſent Jerosólymam, ſuſcépti ſunt ab Ecclésia, & ab Apóſtolis, & senióribus, annuntiántes quanta Deus fecíſſet cum illis.

℞. *ij.* Sapiéntia, *p.* 312.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio III. *c.* 3. *v.* 1. *ad* 9.

QUid ámpliùs Judǽo eſt? aut quæ utílitas circumcisiónis? Multùm per omnem modum. Primùm quidem, quia crédita ſunt illis elóquia Dei. Quid enim si quidam illórum non crediderunt? Numquid incredúlitas illórum fidem Dei evacuábit? Abſit. Eſt autem Deus verax; omnis autem homo mendax, ſicut ſcriptum eſt: Ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas, cùm judicáris. Si autem iníquitas noſtra juſtítiam Dei comméndat, quid dicémus? Nunquid iníquus eſt Deus qui infert iram? (Secúndùm hóminem dico.) Abſit. Alióquin quómodo judicábit Deus hunc mundum? Si enim véritas Dei in meo mendácio abundávit in glóriam ipsíus, quid adhuc & ego tanquam peccátor júdicor? Et non, (ſicut blaſphemámur, & ſicut áiunt quidam nos dícere,) Faciámus mala ut véniant bona: quorum damnátio juſta eſt. Quid ergo? Præcéllimus eos? Nequáquàm. Causáti enim ſumus Judǽos & Græcos omnes ſub peccáto eſſe.

℞. *iij.* Lápidem, *p.* 312.

FERIA TERTIA.

Pſalmi notati pro III. Nocturno Feriæ III. p. 45.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio I. *c.* 15. *v.* 5. *ad* 12.

SUrrexérunt quidam de hǽreſi Phariſæórum qui crediderunt, dicéntes: Quia opórtet circumcídi eos, præcípere quoque ſerváre Legem Móyſi. Convenerúntque Apóſtoli & senióres vidére de verbo hoc. Cùm autem magna conquisítio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis quóniam ab antíquis diébus Deus in nobis elégit, per os meum audíre Gentes verbum Evangélii & crédere. Et qui novit corda Deus, teſtimónium perhíbuit, dans illis Spíritum ſanctum ſicut & nobis. Et nihil diſcrévit inter nos & illos, fide puríficans corda eórum. Nunc ergo quid tentátis Deum, impónere jugum ſuper cervíces diſcipulórum, quod neque patres noſtri neque nos portáre potúimus? Sed per grátiam Dómini Jeſu Chriſti crédimus ſalvári, quemádmodum & illi. Ta-

cuit autem omnis multitúdo: & audiébant Bárnabam & Paulum, narrántes quanta Deus fecíſſet ſigna & prodígia in Géntibus per eos.

℟. *j.* Dóminus, *p.* 313.

LECTIO II. *v.* 13. *ad* 20.

ET poſtquàm tacuérunt, reſpóndit Jacóbus, dicens: Viri fratres, audíte me. Simon narrávit quemádmodum primùm Deus viſitávit ſúmere ex Géntibus pópulum nómini ſuo. Et huic concórdant verba Prophetárum, ſicut ſcriptum eſt: Poſt hæc revértar, & reædificábo tabernáculum David, quod décidit, & díruta ejus reædificábo, & érigam illud: ut requírant cœ́teri hóminum Dóminum, & omnes gentes ſuper quas invocátum eſt nomen meum, dicit Dóminus fáciens hæc. Notum à ſéculo eſt Dómino opus ſuum. Propter quod ego júdico, non inquietári eos qui ex Géntibus convertúntur ad Deum, ſed ſcríbere ad eos ut abſtíneant ſe à contaminatiónibus ſimulacrórum, & fornicatióne, & ſuffocátis, & ſánguine.

℟. *ij.* Ecce, *p.* 313.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

LECTIO III. *c.* 4. *v.* 13. *ad finem.*

NOn per Legem promíſſio Abrahæ, aut sémini ejus, ut hæres eſſet mundi, ſed per juſtítiam fidei. Si enim qui ex Lege, hærédes ſunt, exinaníta eſt fides, abolíta eſt promíſſio. Lex enim iram operátur. Ubi enim non eſt Lex, nec prævaricátio. Ideò ex fide, ut ſecúndùm grátiam firma ſit promíſſio omni sémini, non ei qui ex Lege eſt ſolùm, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt ómnium noſtrûm, (ſicut ſcriptum eſt: Quia patrem multárum géntium póſui te,) ante Deum, cui crédidit, qui vivíficat mórtuos, & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Qui contra ſpem in ſpem crédidit ut fieret pater multárum géntium, ſecúndùm quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum. Et non infirmátus eſt fide, nec conſiderávit corpus ſuum emórtuum, cùm jam ferè centum eſſet annórum, & emórtuam vulvam Saræ. In repromiſſióne étiam Dei, non hæſitávit diffidéntiâ, ſed confortátus eſt fide, dans glóriam Deo: pleníſſimè ſciens quia quæcúmque promíſit, potens eſt & fácere. Ideò & reputátum eſt illi ad juſtítiam. Non eſt autem ſcriptum tantùm propter ipſum, Quia reputátum illi ad juſtítiam, ſed & propter nos, quibus reputábitur credéntibus in eum qui ſuſcitávit Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum à mórtuis, qui tráditus eſt propter delícta no-

ſtra, & reſurréxit propter juſtificatiónem noſtram.

℟. *iij.* Mendáces, *p.* 313.

FERIA QUARTA.

Pſalmi notati pro III. Nocturno Feriæ IV. p. 61.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 15. *v.* 22. *ad* 32.

PLácuit Apóſtolis, & ſenióribus cum omni Eccléſia, elígere viros ex eis, & míttere Antiochíam, cum Paulo & Bárnaba, Judam qui cognominabátur Bárſabas, & Silam, viros primos in frátribus, ſcribéntes per manus eórum: Apóſtoli & ſeniòres fratres, his qui ſunt Antiochíæ, & Sýriæ, & Ciliciæ, frátribus ex Géntibus, ſalútem. Quóniam audívimus quia quidam ex nobis exeúntes turbavérunt vos verbis, everténtes ánimas veſtras, quibus non mandávimus: plácuit nobis colléctis in unum, elígere viros, & míttere ad vos, cum cariſſimis noſtris Bárnaba & Paulo, homínibus qui tradidérunt ánimas ſuas pro nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti. Miſimus ergo Judam & Silam, qui & ipſi vobis verbis réferent éadem. Viſum eſt enim Spirítui ſancto & nobis, nihil ultrà impónere vobis óneris quàm hæc neceſsária: Ut abſtineátis vos ab immolátis ſimulacrórum, & ſánguine, & ſuffocáto, & fornicatióne: à quibus cuſtodiéntes vos, benè agétis. Valéte. Illi ergo dimiſſi, deſcendérunt Antiochíam: & congregátâ multitúdine, tradidérunt epiſtolam. Quam cùm legíſſent, gavíſi ſunt ſuper conſolatióne. Judas autem & Silas, & ipſi cùm eſſent Prophétæ, verbo plúrimo conſoláti ſunt fratres, & confirmavérunt.

℟. *j.* Non cum pátribus, *p.* 313.

LECTIO II. *v.* 36. *ad finem.*

POſt áliquot autem dies, dixit ad Bárnabam Paulus: Reverténtes viſitémus fratres, per univérſas civitátes in quibus prædicávimus verbum Dómini, quómodo ſe hábeant. Bárnabas autem volébat ſecum aſſúmere & Joánnem, qui cognominabátur Marcus. Paulus autem rogábat eum, (ut qui diſceſſiſſet ab eis de Pamphýlia, & non iſſet cum eis in opus,) non debére récipi. Facta eſt autem diſſénſio, ità ut diſcéderent ab ínvicem: & Bárnabas quidem aſſúmpto Marco navigáret Cyprum; Paulus verò electo Silâ profectus eſt, tráditus grátiæ Dei à frátribus. Perambulábat autem Sýriam & Ciliciam, confírmans Eccléſias, præcípiens cuſtodíre præcépta Apoſtolórum & ſeniórum.

℟. *ij.* Scitòte, *p.* 313.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

LECTIO III. *c.* 8. *v.* 1. *ad* 5.

NIhil ergo nunc damnatiónis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecúndùm carnem ámbulant. Lex enim ſpíritûs vitæ in Chriſto Jeſu liberávit me à lege peccáti & mortis. Nam quod impoſſíbile erat Legi, in quo infirmabántur per carnem, Deus Fílium ſuum mittens in ſimilitúdinem carnis peccáti, & de peccáto damnávit peccátum in carne, ut juſtificátio Legis implerétur in nobis, qui non ſecúndùm carnem ambulámus, ſed ſecúndùm ſpíritum. Qui enim ſecúndùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſápiunt; qui verò ſecúndùm ſpíritum ſunt, quæ ſunt ſpíritûs, séntiunt.

℟. *iij.* Deus, *p.* 313.

FERIA QUINTA.

Pſalmi notati pro III. Nocturno Feriæ V. p. 77.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 16. *v.* 9. *ad* 15.

VIſio per noctem Paulo oſténſa eſt. Vir Mácedo quidam erat ſtans, & déprecans eum, & dicens: Tránſiens in Macedóniam, ádjuva nos. Ut autem viſum vidit, ſtatim quæſívimus proficíſci in Macedóniam, certi facti quòd vocáſſet nos Deus evangelizáre *eis. Navigántes* autem à *Tróade, recto* curſu *vénimus Samothráciam*, & ſequénti die Neápolim, & inde Philíppos, quæ eſt prima partis Macedóniæ cívitas, colónia. Erámus autem in hac urbe diébus áliquot conferéntes. Die autem Sabbatórum, egréſſi ſumus foràs portam, juxta flumen, ubi videbátur orátio eſſe: & ſedéntes loquebámur muliéribus quæ convénerant. Et quædam múlier nómine Lýdia, purpurária civitátis Tyatirenórum, colens Deum, audívit, cujus Dóminus apéruit cor, inténdere his quæ dicebántur à Paulo. Cùm autem baptizáta eſſet & domus ejus, deprecáta eſt, dicens: Si judicáſtis me fidélem Dómino eſſe, introíte in domum meam, & manéte. Et coégit nos.

℟. *j.* De angúſtia, *p.* 312.

LECTIO II. *v.* 16. *ad* 23.

FActum eſt, eúntibus nobis ad oratiónem, puéllam quamdam habéntem ſpíritum pithónem obviáre nobis, quæ quæſtum magnum præſtábat dóminis ſuis divinándo. Hæc ſubſecúta Paulum & nos, clamábat, dicens: Iſti hómines ſervi Dei excélſi ſunt, qui annúntiant vobis viam ſalútis. Hoc autem faciébat multis diébus. Dolens autem Paulus & convérſus, ſpirítui dixit: Præcípio tibi in nómine Jeſu Chriſti, exíre ab ea. Et éxiit eâdem horâ. Vidéntes autem dómini ejus quia exívit ſpes quæ

ſtûs eórum, apprehendéntes Paulum & Silam, perduxérunt in forum ad Príncipes: & offeréntes eos Magiſtrátibus, dixérunt: Hi hómines contúrbant civitátem noſtram, cùm ſint Judǽi: & annúntiant morem quem non licet nobis ſuſcípere neque fácere, cùm ſimus Románi. Et cucúrrit plebs advérſùs eos: & Magiſtrátus, ſciſſis túnicis eórum, juſſérunt eos virgis cædi. Et cùm multas plagas eis impoſuíſſent, misérunt eos in cárcerem, præcipiéntes cuſtódi ut diligénter cuſtodíret eos.

℞. *ij*. Sapiéntia, *p*. 312.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio III. *c*. 10. *v*. 6. *ad* 13.

NE díxeris in corde tuo: Quis aſcéndet in cœlum? id eſt, Chriſtum dedúcere: aut quis deſcéndet in abýſſum? hoc eſt, Chriſtum à mórtuis revocáre. Sed quid dicit Scriptúra? Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei, quod prædicámus. Quia ſi confiteáris in ore tuo Dóminum Jeſum, & in corde tuo credíderis quòd Deus illum ſuſcitávit à mórtuis, ſalvus eris. Corde enim créditur ad juſtítiam: ore autem confeſſio fit ad ſalútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis qui credit *in illum*, non confundétur. *Non enim eſt diſtínctio Judǽi & Græci*: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, ſalvus erit.

℞. *iij*. Lápidem quem, *p*. 312.

FERIA SEXTA.

Pſalmi notati pro III. Nocturno Feriæ VI. p. 91.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio I. *c*. 16. *v*. 35. *ad finem*.

CUm dies factus eſſet, misérunt Magiſtrátus Lictóres, dicéntes: Dimítte hómines illos. Nuntiávit autem cuſtos cárceris verba hæc Paulo: Quia misérunt Magiſtrátus ut dimittámini: nunc ígitur exeúntes, ite in pace. Paulus autem dixit eis: Cæſos nos públicè, indemnátos, hómines Romános misérunt in cárcerem, & nunc occúltè nos ejíciunt? Non ità: ſed véniant, & ipſi nos ejíciant. Nuntiavérunt autem Magiſtrátibus Lictóres verba hæc. Timuerúntque, audíto quòd Románi eſſent: & veniéntes deprecáti ſunt eos, & educéntes rogábant ut egrederéntur de urbe. Exeúntes autem de cárcere, introiérunt ad Lýdiam: & viſis frátribus, conſoláti ſunt eos, & profécti ſunt.

℞. *j*. Dóminus, *p*. 311.

Lectio II. *c*. 17. *v*. 22. *ad finem*.

STans Paulus in médio Areópagi, ait: Viri Athenienſes, per ómnia

quaſi ſuperſtitioſióres vos vídeo. Prætériens enim, & videns ſimulácra veſtra, invéni & aram in qua ſcriptum erat: Ignóto Deo. Quod ergo ignorántes cólitis, hoc ego annúntio vobis. Deus qui fecit mundum & ómnia quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ cùm ſit Dóminus, non in manufáctis templis hábitat; nec mánibus humánis cólitur índigens áliquo, cùm ipſe det ómnibus vitam, & inſpiratiónem, & ómnia: fecítque ex uno omne genus hóminum inhabitáre ſuper univérſam fáciem terræ, defíniens ſtatúta témpora, & términos habitatiónis eórum, quærere Deum, ſi fortè attréctent eum, aut invéniant, quamvis non longè ſit ab unoquóque noſtrûm. In ipſo enim vívimus, & movémur, & ſumus: ſicut & quidam veſtrórum Poëtárum dixérunt: Ipſíus enim & genus ſumus. Genus ergo cùm ſimus Dei, non debémus æſtimáre, auro, aut argénto, aut lápidi, ſculptúræ artis & cogitatiónis hóminis, Divínum eſſe símile. Et témpora quidem hujus ignorántiæ deſpíciens Deus, nunc annúntiat homínibus ut omnes ubíque pœniténtiam agant. Eò quòd ſtátuit diem, in quo judicatúrus eſt orbem in æquitáte, in viro *in quo ſtátuit*, fidem præbens ómnibus, ſúſcitans eum à mórtuis. Cùm audíſſent autem reſurrectiónem mortuórum, quidam quidem irridébant, quidam verò dixérunt: Audiémus te de hoc íterùm. Sic Paulus exívit de médio eórum. Quidam verò viri adhæréntes ei, credidérunt; in quibus, & Dionyſius Areopagíta, & múlier nómine Dámaris, & álii cum eis.

℟. *ij*. Ecce intélliget, *p.* 313.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

LECTIO III. *c.* 14. *v.* 7. *ad* 12.

NEmo noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi móritur. Sive enim vívimus, Dómino vívimus: ſive mórimur, Dómino mórimur. Sive ergo vívimus, ſive mórimur, Dómini ſumus. In hoc enim Chriſtus mórtuus eſt & reſurréxit: ut & mortuórum & vivórum dominétur. Tu autem, quid júdicas fratrem tuum? aut tu, quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtábimus ante tribúnal Chriſti. Scriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dóminus, quóniam mihi flectétur omne genu, & omnis lingua confitébitur Deo. Itaque unuſquíſque noſtrûm pro ſe ratiónem reddet Deo.

℟. *iij*. Mendáces, *p.* 313.

SABBATO.

Pſalmi notati pro III. Nocturno Sabbati, p. 106.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio I. *c.* 18. *v.* 12. *ad* 19.

GAllióne Procónſule Acháiæ, inſurrexérunt uno ánimo Judǽi in Paulum, & adduxérunt eum ad tribúnal, dicéntes: Quia contra Legem hic perſuádet homínibus cólere Deum. Incipiénte autem Paulo aperíre os, dixit Gállio ad Judǽos: Si quidem eſſet iníquum áliquid, aut fácinus péſſimum, ô viri Judǽi, rectè vos ſuſtinérem. Si verò quæſtiónes ſunt de verbo, & nomínibus, & lege veſtra, vos ipſi vidéritis: Judex ego horum nolo eſſe. Et minávit eos à tribunáli. Apprehendéntes autem omnes Sóſthenem príncipem ſynagógæ, percutiébant eum ante tribúnal: & nihil eórum Gallióni curæ erat. Paulus verò cùm adhuc ſuſtinuíſſet dies multos, frátribus valefáciens, navigávit in Sýriam, & cum eo Priſcílla, & Aquila, qui ſibi totónderat in Cenchris caput, habébat enim votum. Devenítque Epheſum, & illos ibi relíquit. Ipſe verò ingréſſus ſynagógam, diſputábat cum Judǽis.

Lectio II. *v.* 24. *ad fin.*

JUdǽus autem quidam, Apóllo nómine, Alexandrínus génere, vir éloquens, devénit Epheſum, potens in Scriptúris. Hic erat edóctus viam Dómini, & fervens ſpíritu loquebátur, & docébat diligénter ea quæ ſunt Jeſu, ſciens tantùm baptíſma Joánnis. Hic ergo cœpit fiduciáliter ágere in ſynagóga. Quem cùm audiſſent Priſcílla & Aquila, aſſumpſérunt eum, & diligéntiùs expoſuérunt ei viam Dómini. Cùm autem vellet ire Acháiam, exhortáti fratres ſcripſérunt diſcípulis ut ſuſcíperent eum. Qui cùm veníſſet, cóntulit multùm his qui credíderant. Vehemémter enim Judǽos revincébat públicè, oſténdens per Scriptúras eſſe Chriſtum Jeſum.

AD VESPERAS.

Omnia ut in I. Veſperis Dominicæ primæ poſt Paſcha, p. 306. omiſſo Reſponſorio.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *g.* Paulus introgréſſus ſynagógam, cum fidúcia loquebátur per tres menſes, díſputans & ſuádens de regno Dei, allelúia. *Act.* 19. 8.

Oratio, Deus, qui fidélium, *infrà ad Laudes*, *p.* 348.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Autórem vitæ, quem Deus ſuſcitávit à mórtuis, * Veníte, adorémus, allelúia. *Act.* 3. 15.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus. Adéſte, Cœlitûm chori, *p.* 312.

Pſalmi notati pro I. Nocturno Dominicæ, *p.* 2.

Ant. 1. 2. Juſtificáti in sánguine Chriſti, ſalvi érimus ab ira per ipſum, allelúia. *Rom.* 5. 9.

Ant. 3. c. Chriſtus dedit ſemetípſum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, allelúia. *Tit.* 2. 14.

Ant. 7. d. Si qua ergo in Chriſto nova creatúra, vétera tranſiérunt, ecce facta ſunt ómnia nova, allelúia. 2. *Cor.* 5. 17.

℣. Notam feciſti, Dómine, in pópulis virtútem tuam: ℟. Redemiſti in bráchio tuo pópulum tuum. *Pſ.* 76. 15. 16.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 19. *v.* 17. *ad* 22.

MAgnificabátur nomen Dómini Jeſu: multíque credéntium veniébant confiténtes & annuntiántes actus ſuos: multi autem ex eis qui fúerant curióſa ſectáti, contulérunt libros, & combuſsérunt coram ómnibus: & computátis prétiis illórum, invenérunt pecúniam denariórum quinquagínta míllium. Ità fórtiter creſcébat verbum Dei, & confirmabátur. His autem explétis, propóſuit Paulus in ſpíritu, tránſitâ Macedóniâ & Acháiâ, ire Jeroſólymam, dicens: Quóniam *poſtquàm fúero ibi*, *opórtet me & Romam vidére.* Mittens autem in Macedóniam duos ex miniſtrántibus ſibi, Timótheum & Eráſtum, ipſe remánſit ad tempus in Aſia.

℟. *j.* Diléxit vos Dóminus, & cuſtodivit juraméntum quod jurávit pátribus veſtris, * Eduxítque vos in manu forti, & redémit de domo ſervitútis, allelúia. *Deut.* 7. 8. ℣. Reſurrexíſtis per fidem operatiónis Dei, qui ſuſcitávit Jeſum à mórtuis. *Coloſſ.* 2. 12. * Eduxítque.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

LECTIO II. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 8.

SIc nos exíſtimet homo, ut miníſtros Chriſti & diſpenſatóres myſteriórum Dei. Hîc jam quǽritur inter diſpenſatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo eſt ut à vobis júdicer, aut ab humáno die: ſed neque meípſum júdico. Nihil enim mihi cónſcius ſum: ſed non in hoc juſtificátus ſum: qui autem júdicat me, Dóminus eſt. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadúſque véniat Dóminus, qui & illuminábit abſcóndita tenebrárum, & manifeſtábit consília córdium: & tunc laus erit unicuíque à Deo. Hæc autem, fratres, transfigurávi in me & Apóllo, propter vos: ut in nobis diſcátis, ne ſuprà

quàm ſcriptum eſt, unus advérsùs álterum inflétur pro ália. Quis enim te diſcérnit? Quid autem habes quod non accepíſti? Si autem accepíſti, quid gloriáris, quaſi non accéperis? Jam ſaturáti eſtis, jam dívites facti eſtis: ſine nobis regnátis: & útinàm regnétis, ut & nos vobíſcum regnémus.

℟. *ij.* Teſtes vos eſtis, quia ipſi elegéritis vobis Dóminum, * Ut ſerviátis ei, allelúia. *Joſ.* 24. 22. ℣. Eſtis in illo repléti, qui eſt Caput omnis Principátûs & Poteſtátis. *Coloſſ.* 2. 10. * Ut ſerviátis.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 16 *v.* 5. *ad.* 15.

Paracletus promiſſus.

DIxit Jeſus diſcípulis ſuis: Vado ad eum qui miſit me; & nemo ex vobis intérrogat me: Quò vadis? Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbýteri.

In hunc locum.

SCiébat Dóminus ipſe quid hæc ſua verba in diſcipulórum córdibus ágerent, quia vidélicet triſtítiam magìs de abſcéſſu quo eos deséreret, quàm de aſcénſu quo Patrem péteret, lætítiam generárent. Unde benígnè conſolándo ſubjúnxit: Sed ego veritátem *dico vobis*; éxpedit vobis *ut ego vadam.* Expedit vo*bis ut forma* ſervi veſtris ſubtrahátur aſpéctibus, quátenùs amor Divinitátis árctiùs veſtris figátur in méntibus. Expedit ut notam vobis formam cœlo ínferam, quátenùs majóri per hoc deſidério illuc ſuſpirétis, sícque ſuſpénſis ad ſupérna córdibus veſtris, ad accipiénda jam Spíritûs ſancti dona capáces fiátis.

℟. *iij.* Vos bonis donábo majóribus quàm habuíſtis ab inítio; * Et ſciétis quia ego Dóminus, allelúia. *Ezech.* 36. 11. ℣. Cùm vénerit ille Spíritus veritátis, docébit vos omnem veritátem. *Joan.* 16. 13. * Et ſciétis. Glória. * Et ſciétis.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

Omnia ut in Dominica in Albis Depoſitis, p. 309.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. Omne datum óptimum, & omne donum perféctum desúrsùm eſt, deſcéndens à Patre lúminum, allelúia. *Jac.* 1. 17.

Oratio.

DEus, qui fidélium mentes uníus éfficis voluntátis; da pópulis tuis id amáre quod præcipis, id deſideráre quod promíttis, ut inter mundánas varietátes, ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gáudia; Per Dóminum.

AD HORAS, *omnia ut in* Dominica in Albis Depo*ſitis*, p. 310. *exceptâ Oratione*, Deus, qui fidélium.

AD VESPERAS.

Omnia ut in II. Veſperis Dominica in Albis Depoſitis, p. 311.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Spíritus veritátis non loquétur à ſemetípſo; ſed quæcúmque aúdiet, loquétur; & quæ ventúra ſunt, annuntiábit, allelúia. *Joan.* 16. 13.

COMPLETORIUM, *ut in Feriis Temporis Paſchalis, p.* 318.

FERIA SECUNDA.

Pſalmi notati pro I. Nocturno Feriæ II. p. 27.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 20. *v.* 17. *ad* 26.

A Miléto Paulus mittens Epheſum, vocávit majóres natu Eccléſiæ. Qui cùm veniſſent ad eum, & ſimul eſſent, dixit eis: Vos ſcitis à prima die quâ ingréſſus ſum in Aſiam, quáliter vobíſcum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, & lácrymis, & tentatiónibus quæ mihi accidérunt ex insídiis Judæórum: quómodo nihil ſubtráxerim utílium, quóminùs annuntiárem vobis, & docérem vos públicè & per domos, teſtíficans Judǽis atque Gentílibus in Deum pœniténtiam, & fidem in Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. Et nunc ecce alligátus ego ſpíritu, vado in Jerúſalem, quæ in ea ventúra ſint mihi, ignórans, niſi quòd Spíritus ſanctus per omnes civitátes mihi proteſtátur, dicens: Quóniam víncula & tribulatiónes Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor: nec fácio ánimam meam pretioſiórem quàm me, dúmmodo consúmmem curſum meum, & miniſtérium verbi, quod accépi à Dómino Jeſu, teſtificári Evangélium grátiæ Dei. Et nunc ecce ego ſcio quia ámpliùs non vidébitis fáciem meam, vos omnes per quos transívi prǽdicans regnum Dei. Quaprópter contéſtor vos hodiérnâ die, quia mundus ſum à sánguine ómnium.

℟. j. De angúſtia, *p.* 312.

LECTIO II. *v.* 36. *ad fin.* & *c.* 21. *v.* 1. *ad* 5.

ET cùm hæc dixíſſet, pósitis génibus ſuis, orávit cum ómnibus illis. Magnus autem fletus factus eſt ómnium: & procumbéntes ſuper collum Pauli, oſculabántur eum, doléntes máximè in verbo quod díxerat: Quóniam ámpliùs fáciem ejus non eſſent visúri. Et deducébant eum ad navem. Cùm autem factum eſſet ut navigarémus abſtrácti ab eis, recto curſu vénimus Coüm, & ſequénti die Rhodum, & inde Pátaram. Et cùm inveniſsémus navem transfretántem in Phœ́nicen, aſcendéntes navigávimus. Cùm appaiuiſ-

ſémus autem Cypro, relinquéntes eam ad ſiníſtram, navigávimus in Sýriam, & vénimus Týrum, ibi enim navis expoſitúra erat onus. Invéntis autem diſcípulis, mánſimus ibi diébus ſeptem: qui Paulo dicébant per Spíritum, ne aſcénderet Jeroſólymam. Et explétis diébus, profécti ibámus, deducéntibus nos ómnibus cum uxóribus & fíliis uſque foràs civitátem: & póſitis génibus in littóre, orávimus.

℟. ij. Sapiéntia, *p.* 312.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Gálatas.

LECTIO III. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 9.

PAulus Apóſtolus, non ab homínibus, neque per hóminem, ſed per Jeſum Chriſtum & Deum Patrem qui ſuſcitávit eum à mórtuis: & qui mecum ſunt omnes fratres, Eccléſiis Galátiæ: Grátia vobis & pax à Deo Patre, & Dómino noſtro Jeſu Chriſto, qui dedit ſemetípſum pro peccátis noſtris, ut eríperet nos de præſénti ſéculo nequàm, ſecúndùm voluntátem Dei & Patris noſtri, cui eſt glória in ſécula ſeculórum. Amen. Miror quòd ſic tam citò transferímini ab eo qui vos vocávit in grátiam Chriſti, in áliud evangélium: quod non eſt áliud, niſi ſunt áliqui qui vos contúrbant, & volunt convértere Evangélium Chriſti. Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo, evangelízet vobis, prætérquàm quod evangelizávimus vobis, anáthema ſit. Sicut prædíximus, & nunc iterùm dico: Si quis vobis evangelizáverit præter id quod accepíſtis, anáthema ſit.

℟. iij. Lápidem, *p.* 312.

FERIA TERTIA.

Pſalmi notati pro I. Nocturno Feriæ III. p. 41.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 21. *v.* 26. *ad* 30.

PAulus, aſſúmptis viris, póſterâ die purificátus cum illis, intrávit in Templum, annúntians expletiónem diérum purificatiónis, donec offerrétur pro unoquóque eórum oblátio. Dum autem ſeptem dies conſummaréntur, hi qui de Aſia erant Judǽi, cùm vidíſſent eum in Templo, concitavérunt omnem pópulum, & injecérunt ei manus, clamántes: Viri Iſraëlítæ, adjuváte: hic eſt homo qui advérsùs pópulum, & Legem, & locum hunc, omnes ubíque docens, inſuper & Gentíles indúxit in Templum, & violávit ſanctum locum iſtum. Víderant enim Tróphimum Ephéſium in civitáte cum ipſo, quem æſtimavérunt quóniam in Templum introduxíſſet Paulus. Commótaque eſt cívitas tota, & facta eſt concúrſio pópuli

Et apprehendéntes Paulum, trahébant eum extra Templum: & ſtatim clauſæ ſunt jánuæ.

℟. *j.* Dóminus, *p.* 313.

LECTIO II. *v.* 31. *ad finem.*

QUærentibus autem eum occídere, nuntiátum eſt Tribúno cohórtis: Quia tota confúnditur Jerúſalem. Qui ſtatim aſsúmptis milítibus & Centuriónibus, decúrrit ad illos. Qui cùm vidiſſent Tribúnum & mílites, ceſſavérunt percútere Paulum. Tunc accédens Tribúnus apprehéndit eum, & juſſit eum alligári caténis duábus: & interrogábat quis eſſet, & quid feciſſet. Alii autem áliud clamábant in turba. Et cùm non poſſet certum cognóſcere præ tumúltu, juſſit duci eum in caſtra. Et cùm veniſſet ad gradus, cóntigit ut portarétur à milítibus propter vim pópuli. Sequebátur enim multitúdo pópuli, clamans: Tolle eum. Et cùm cœpiſſet indúci in caſtra Paulus, dicit Tribúno: Si licet mihi loqui áliquid ad te? Qui dixit: Græcè noſti? Nónne tu es Ægýptius, qui ante hos dies tumúltum concitáſti, & eduxíſti in desértum quátuor míllia virórum ſicariórum? Et dixit ad eum Paulus: Ego homo ſum quidem Judæus à Tarſo Cilíciæ, non ignótæ civitátis múniceps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad pópulum. Et cùm ille permiſiſſet; Paulus ſtans in grádibus, ánnuit manu ad plebem, & magno ſiléntio facto, allocútus eſt linguâ Hebræâ.

℟. *ij.* Ecce, *p.* 313.

De Epiſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Gálatas.

LECTIO III. *c.* 2. *v.* 16. *ad finem.*

SCiéntes quòd non juſtificátur homo ex opéribus Legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti, & nos in Chriſto Jeſu crédimus, ut juſtificémur ex fide Chriſti, & non ex opéribus Legis: propter quòd ex opéribus Legis non juſtificábitur omnis caro. Quòd ſi quæréntes juſtificári in Chriſto, invénti ſumus & ipſi peccatóres, nunquid Chriſtus peccáti miníſter eſt? Abſit. Si enim quæ deſtrúxi, íterùm hæc ædífico, prævaricatórem me conſtítuo. Ego enim per Legem, Legi mórtuus ſum, ut Deo vivam: Chriſto confixus ſum cruci. Vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. Quòd autem nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me, & trádidit ſemetípſum pro me. Non abjício grátiam Dei. Si enim per Legem juſtítia, ergo gratis Chriſtus mórtuus eſt.

℟. iij. Mendáces, p. 313.

FERIA QUARTA.

Pſalmi notati pro I. Nocturno Feriæ IV. p. 58.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio I. *c.* 22. *v.* 1. *ad* 10.

VIri fratres, & patres, audite quam ad vos nunc reddo ratiónem. Cùm audíſſent autem quia Hebrǽâ linguâ loquerétur ad illos, magìs præſtitérunt ſiléntium. Et dicit: Ego ſum vir Judǽus, natus in Tarſo Cilíciæ, nutrítus autem in iſta civitáte, ſecùs pedes Gamáliel, erudítus juxta veritátem patérnæ Legis, æmulátor Legis, ſicut & vos omnes eſtis hódie: qui hanc viam perſecútus ſum uſque ad mortem, álligans & tradens in cuſtódias viros ac mulíeres, ſicut Princeps Sacerdótum mihi teſtimónium reddit, & omnes majóres natu: à quibus & epíſtolas accípiens, ad fratres Damáſcum pergébam, ut addúcerem inde vinctos in Jerúſalem, ut puniréntur. Factum eſt autem, eúnte me, & appropinquánte Damáſco, médiâ die, súbitò de cœlo circumfúlſit me lux copióſa: & décidens in terram, audívi vocem dicéntem mihi: Saule, Saule, quid me perſéqueris? Ego autem reſpóndi: Quis es, Dómine? Dixítque ad me: Ego ſum Jeſus Nazarénus, quem tu perſéqueris. Et qui mecum erant, lumen quidem vidérunt, vocem autem non audiérunt ejus qui loquebátur mecum. Et dixi: Quid fáciam, Dómine? Dóminus autem dixit ad me: Surgens vade Damáſcum: & ibi tibi dicétur de ómnibus quæ te opórteat fácere.

℟. *j.* Non, *p.* 313.

Lectio II. *v.* 11. *ad* 22.

ET cùm non vidérem præ claritáte lúminis illíus, ad manum dedúctus à comítibus, veni Damáſcum. Ananías autem quidam, vir ſecúndùm Legem teſtimónium habens ab ómnibus cohabitántibus Judǽis, véniens ad me & aſtans dixit mihi: Saule frater, réſpice. Et ego eâdem horâ reſpéxi in eum. At ille dixit: Deus patrum noſtrórum præordinávit te, ut cognóſceres voluntátem ejus, & vidéres Juſtum, & audíres vocem ex ore ejus: quia eris teſtis illíus ad omnes hómines, eórum quæ vidíſti & audíſti. Et nunc quid moráris? Exúrge, & baptizáre, & áblue peccáta tua, invocáto nómine ipsíus. Factum eſt autem reverténti mihi in Jerúſalem, & oránti in Templo, fieri me in ſtupóre mentis, & vidére illum dicéntem mihi: Feſtína, & exi velóciter ex Jerúſalem: quóniam non recípient teſtimónium tuum de me. Et ego dixi: Dómine, ipſi ſciunt quia ego eram conclúdens in cárcerem, &

cædens per ſynagógas eos qui credébant in te : & cùm funderétur ſanguis Stéphani teſtis tui, ego aſtábam, & conſentiébam, & cuſtodiébam veſtiménta interficiéntium illum. Et dixit ad me: Vade, quóniam ego in natiónes longè mittam te. Audiébant autẽ eum uſque ad hoc verbum, & levavérunt vocem ſuam dicéntes: Tolle de terra hujúſmodi : non enim fas eſt eum vívere.

℟. *ij*. Scitóte, *p*. 313.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio III. *c*. 1. *v*. 3. *ad* 10.

BEnedíctus Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedíxit nos in omni benedictióne ſpirituáli in cœléſtibus in Chriſto. Sicut elégit nos in ipſo ante mundi conſtitutiónem, ut eſsémus ſancti & immaculáti in conſpéctu ejus in caritáte. Qui prædeſtinávit nos in adoptiónem filiórum, per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecúndùm propóſitum voluntátis ſuæ, in laudem glóriæ grátiæ ſuæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio ſuo. In quo habémus redemptiónem per ſánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum, ſecúndùm divítias grátiæ ejus quæ ſuperabundávit in nobis, in omni ſapiéntia & prudéntia : ut *notum fáceret* nobis ſacraméntum *voluntátis* ſuæ, *ſecúndùm* beneplácitũ ejus, quod propóſuit in eo, in diſpenſatióne plenitúdinis témporum, inſtauráre ómnia in Chriſto, quæ in cœlis & quæ in terra ſunt, in ipſo.

℟. *iij*. Deus, *p*. 313.

FERIA QUINTA.

Pſalmi notati pro I. Nocturno Feria V. p. 74.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio I. *c*. 23. *v*. 23. *ad* 30.

TRibúnus, vocátis duóbus Centuriónibus, dixit illis : Paráte mílites ducéntos, ut eant uſque Cæſaréam, & équites ſeptuagínta, & lanceários ducéntos, à tértia hora noctis : & juménta præparáte, ut imponéntes Paulum, ſalvum perdúcerent ad Felícem Præſidem ; (tímuit enim ne fortè ráperent eum Judæi, & occíderent, & ipſe póſteà calúmniam ſuſtinéret, tanquam acceptúrus pecúniam,) ſcribens epíſtolam continéntem hæc : Claúdius Lýſias, óptimo Præſidi Felíci, ſalútem. Virum hunc comprehénſum à Judæis, & incipiéntem intérfici ab eis, ſupervéniens cum exércitu erípui, cógnito quia Románus eſt : voléntque ſcire cauſam quã objiciébant illi, dedúxi eum in concílium eórum. Quem invéni accuſári de quæſtiónibus Legis ipsórum, nihil verò dignum morte aut vínculis habéntem críminis. Et cùm mihi perlátum eſſet de

inſídiis quas paráverant illi, miſi eum ad te, denúntians & accuſatóribus ut dicant apud te. Vale.

℟. *j*. De angúſtia, *p*. 312.

Lectio II. *v*. 31. *ad fin*. & *c*. 24. *v*. 1. *ad* 2.

MIlites ergo ſecúndùm præcéptum ſibi, aſſuméntes Paulum, duxérunt per noctem in Antipátridem. Et póſterâ die dimíſſis equítibus ut cum eo irent, revérſi ſunt ad caſtra. Qui cùm veníſſent Cæſaréam, & tradidíſſent epíſtolam Prǽſidi, ſtatuérunt ante illum & Paulum. Cùm legíſſet autem, & interrogáſſet de qua província eſſet: & cognóſcens quia de Cilícia, Audiam te, inquit, cùm accuſatóres tui vénerint. Juſſítque in Prætório Heródis cuſtodíri eum. Poſt quinque autem dies deſcéndit Princeps Sacerdótum Ananías cum ſenióribus quibúſdam & Tertúllo quodam oratóre, qui adiérunt Prǽſidem advérsùs Paulum. Et citáto Paulo, cœpit accuſáre Tertúllus.

℟. *ij*. Sapiéntia, *p*. 312.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio III. *c*. 3. *v*. 8. *ad* 19.

MIhi ómnium ſanctórum mínimo data eſt grátia hæc, in Géntibus evangelizáre inveſtigábiles *divítias Chriſti*, & illumináre omnes, quæ ſit diſpenſátio ſacraménti abſcónditi à ſéculis in Deo qui ómnia creávit. Ut innoteſcat Principátibus & Poteſtátibus in cœléſtibus per Eccléſiam, multifórmis ſapiéntia Dei, ſecúndùm præfinitiónem ſeculórum, quam fecit in Chriſto Jeſu Dómino noſtro: in quo habémus fidúciam & accéſſum in confidéntia per fidem ejus. Propter quòd peto ne deficiátis in tribulatiónibus meis pro vobis, quæ eſt glória veſtra. Hujus rei grátiâ flecto génua mea ad Patrem Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis patérnitas in cœlis & in terra nominátur, ut det vobis ſecúndùm divítias glóriæ ſuæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Chriſtum habitáre per fidem in córdibus veſtris: in caritáte radicáti, & fundáti, ut poſsítis comprehéndere cum ómnibus ſanctis, quæ ſit latitúdo, & longitúdo, & ſublímitas, & profúndum: ſcire étiam ſupereminéntem ſciéntiæ caritátem Chriſti, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

℟. *iij*. Lápidem, *p*. 312.

FERIA SEXTA.

Pſalmi notati pro I. Nocturno Feria VI. p. 88.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio I. *c*. 24. *v*. 23. *ad finem*.

FElix juſſit Centurióni cuſtodíre Paulum, & habére réquiem, nec quemquam de ſuis prohibére

miniſtráre ei. Poſt áliquot autem dies véniens Felix cum Druſílla uxóre ſua, quæ erat Judǽa, vocávit Paulum, & audivit ab eo fidem quæ eſt in Chriſtum Jeſum. Diſputánte autem illo de juſtítia, & caſtitáte, & de judício futúro, tremefáctus Felix reſpóndit: Quod nunc áttinet, vade: témpore autem opportúno accérſam te; ſimul & ſperans quòd pecúnia ei darétur à Paulo, propter quòd & frequénter accérſens eum, loquebátur cum eo. Biénnio autem expléto, accépit ſucceſſórem Felix Pórtium Feſtum. Volens autem grátiam præſtáre Judǽis Felix, relíquit Paulum vinctum.

℟. *j.* Dóminus, *p.* 313.

LECTIO II. *c.* 25. *v.* 6. *ad* 12.

FEſtus deſcéndit Cæſaréam, & álterâ die ſedit pro tribunáli, & juſſit Paulum addúci. Qui cùm perdúctus eſſet, circumſtetérunt eum, qui ab Jeroſólyma deſcénderant Judǽi, multas & graves cauſas objiciéntes, quas non póterant probáre, Paulo ratiónem reddénte: Quóniam neque in Legem Judæórum, neque in Templum, neque in Cǽſarem quidquam peccávi. Feſtus autem volens grátiam præſtáre Judǽis, reſpóndens Paulo, dixit: Vis Jeroſólymam aſcéndere, *& ibi de his judicári apud me? Dixit* autem Paulus: Ad tribúnal Cǽſaris ſto, ibi me opórtet judicári. Judǽis non nócui, ſicut tu méliùs noſti: ſi enim nócui, aut dignum morte áliquid feci, non recúſo mori: ſi verò nihil eſt eórum quæ hi accúſant me, nemo poteſt me illis donáre. Cǽſarem appéllo. Tunc Feſtus cum concílio locútus, reſpóndit: Cǽſarem appelláſti? ad Cǽſarem ibis.

℟. *ij.* Ecce, *p.* 313.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Coloſſénſes.

LECTIO III. *c.* 2. *v.* 9. *ad* 15.

IN Chriſto inhábitat omnis plenitúdo Divinitátis corporáliter: & eſtis in illo repléti, qui eſt Caput omnis Principátûs & Poteſtátis: in quo & circumciſi eſtis, circumciſióne non manufáctâ in expoliatióne córporis carnis, ſed in circumciſióne Chriſti: conſepúlti ei in baptíſmo, in quo & reſurrexíſtis per fidem operatiónis Dei, qui ſuſcitávit illum à mórtuis. Et vos, cùm mórtui eſſétis in delíctis & præpútio carnis veſtræ, convivificávit cum illo, donans vobis ómnia delícta: delens quod advérsùs nos erat chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, & ipſum tulit de médio, affígens illud cruci: & expólians Principátus & Poteſtátes, tradúxit confidénter, palàm triúmphans illos in ſemetípſo.

℟. *iij.* Mendáces oſténdit, *p.* 313.

Si quod Feſtum Duplex minus incidat in Feſtum Aſcenſionis Domini, de Feſto duplici minori fiet craſtinâ die, & hodie de eo erunt I. Veſperæ.

SABBATO.

Pſalmi notati pro I. Nocturno Sabbati, p. 103.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 28. *v.* 16. *ad* 22.

CUm veniſsémus Romam, permíſſum eſt Paulo manére ſibímet cum cuſtodiénte ſe mílite. Poſt tértium autem diem, convocávit primos Judæórum. Cúmque conveníſſent, dicébat eis: Ego, viri fratres, nihil advérsùs plebem fáciens aut morem patérnum, vinctus ab Jeroſólymis tráditus ſum in manus Romanórum: qui cùm interrogatiónem de me habuíſſent, voluérunt me dimíttere, eò quòd nulla eſſet cauſa mortis in me. Contradicéntibus autem Judǽis, coáctus ſum appelláre Cǽſarem, non quaſi gentem meam habens áliquid accuſáre. Propter hanc ígitur cauſam rogávi vos vidére, & álloqui. Propter ſpem enim Iſraël caténâ hâc circúmdatus ſum. At illi dixérunt ad eum: Nos neque lítteras accépimus de te à *Judǽâ*, neque advéniens *áliquis fratrum* nuntiávit *aut locútus* eſt quid de te malum. Rogámus autem à te audíre quæ ſentis: nam de ſecta hac notum eſt nobis quia ubíque ei contradícitur.

LECTIO II. *v.* 23. *ad* 28.

CUm conſtituíſſent autem illi diem, venérunt ad eum in hoſpítium plúrimi, quibus exponébat teſtíficans regnum Dei, ſuadénſque eis de Jeſu ex Lege Móyſi & Prophétis, à manè uſque ad véſperam. Et quidam credébant his quæ dicebántur: quidam verò non credébant. Cúmque ínvicem non eſſent conſentiéntes, diſcedébant, dicénte Paulo unum verbum: Quia benè Spíritus ſanctus locútus eſt per Iſaíã Prophétam ad patres noſtros, dicens: Vade ad pópulum iſtum, & dic ad eos: Aure audiétis, & non intelligétis: & vidéntes vidébitis, & non perſpiciétis. Incraſſátum eſt enim cor pópuli hujus, & aúribus gráviter audiérunt, & óculos ſuos compreſsérunt: ne fortè vídeant óculis, & aúribus aúdiant, & corde intélligant, & convertántur, & ſanem eos. Notum ergo ſit vobis, quóniam Géntibus miſſum eſt hoc Salutáre Dei, & ipſi aúdient.

AD VESPERAS.

Omnia ut in I. Veſperis Dominica prima poſt Paſcha, p. 306. omiſſo Reſponſorio.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Beátus qui legit & audit verba Prophetíæ hujus, & ſervat ea quæ in ea ſcripta ſunt! tempus enim propè eſt, allelúia. *Apoc.* 1. 3.

DOMINICA V. POST PASCHA.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Autórem vitæ, quem Deus ſuſcitávit à mórtuis, * Veníte, adorémus, allelúia. *Act.* 3. 15.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus. Adéſte, Cœlitûm chori, *p.* 312.

Pſalmi notati pro II. Nocturno Dominica, p. 4.

Ant. 1. a. Juſtificáti in ſánguine Chriſti, ſalvi érimus ab ira per ipſum, allelúia. *Rom.* 5. 9.

Ant. 3. c. Chriſtus dedit ſemetípſum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, allelúia. *Tit.* 2. 14.

Ant. 7. d. Si qua ergo in Chriſto nova creatúra, vétera tranſiérunt, ecce facta ſunt ómnia nova, allelúia. 2. *Cor.* 5. 17.

℣. Notam feciſti, Dómine, in pópulis virtútem tuam: ℟. Redemiſti in bráchio tuo pópulum tuum. *Pſ.* 76. 15. 16.

Incipit Liber Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 6.

APocalýpſis Jeſu Chriſti, quam dedit illi Deus palàm fácere ſervis ſuis quæ opórtet fieri citò: & ſignificávit, mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Joánni, qui teſtimónium perhíbuit verbo Dei, & teſtimónium Jeſu Chriſti, quæcúmque vidit. Beátus qui legit & audit verba Prophetíæ hujus, & ſervat ea quæ in ea ſcripta ſunt! tempus enim propè eſt. Joánnes, ſeptem Ecclėſiis quæ ſunt in Aſia: Grátia vobis & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui ventúrus eſt; & à ſeptem ſpíritibus, qui in conſpéctu throni ejus ſunt; & à Jeſu Chriſto, qui eſt Teſtis fidélis, Primogénitus mortuórum, & Princeps regum terræ: qui diléxit nos, & lavit nos à peccátis noſtris in ſánguine ſuo, & fecit nos regnum & ſacerdótes Deo & Patri ſuo: ipſi glória & impérium in ſécula ſeculórum.

℟. *j.* Diléxit vos Dóminus, & cuſtodívit juraméntum quod jurávit pátribus veſtris; * Eduxítque vos in manu forti, & redémit de domo ſervitútis, allelúia. *Deut.* 7. 8. ℣. Reſurrexiſtis per fidem operatiónis Dei, qui ſuſcitávit Jeſum à mórtuis. *Coloſſ.* 2. 12. Eduxítque.

De Epíſtola cathólica beáti Jacóbi Apóſtoli.

LECTIO II. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 10.

UNde bella & lites in vobis? Nónne hinc, ex concupiſcéntiis veſtris, quæ

militant in membris veſtris? Concupíſcitis, & non habétis: occíditis & zelátis, & non potéſtis adipíſci: litigátis & belligerátis, & non habétis, propter quòd non poſtulátis. Pétitis & non accípitis, eò quòd malè petátis, ut in concupiſcéntiis veſtris inſumátis. Adúlteri, neſcítis quia amicítia hujus mundi inimíca eſt Dei? Quicúmque ergo volúerit amícus eſſe séculi hujus, inimícus Dei conſtitúitur. An putátis quia inániter Scriptúra dicat: Ad invídiam concupíſcit ſpíritus qui hábitat in vobis? majórem autem dat grátiam. Propter quòd dicit: Deus ſupérbis resíſtit, humílibus autem dat grátiam. Súbditi ergo eſtóte Deo: resíſtite autem diábolo, & fúgiet à vobis. Appropinquáte Deo, & appropinquábit vobis. Emundáte manus, peccatóres: & purificáte corda, dúplices ánimo. Míſeri eſtóte, & lugéte, & ploráte: riſus veſter in luctum convertátur, & gaúdium in mœrórem. Humiliámini in conſpéctu Dómini, & exaltábit vos.

℟. *ij.* Teſtes vos eſtis, quia ipſi elegéritis vobis Dóminum, * Ut ſerviátis ei, allelúia. *Joſ.* 24. 22. ℣. Eſtis in illo repléti qui eſt *Caput omnis* Principátûs & *Poteſtátis. Coloſſ.* 2. 10. * *Ut ſerviátis.*

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 16. *v.* 23. *ad* 30.

Petendum in nomine Domini.

DIxit Jeſus diſcípulis ſuis: Amen, amen dico vobis: Si quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis. Et réliqua.

Homília ſancti Petri Chrysólogi.

Hom. 39. *De Perſev. in Orat. circ. fin.*

OMnis qui petit, áccipit; & qui quærit, invenit; & pulsánti aperiétur. Sed dicis: Eſto quòd pétere poſſim, pulsáre quómodo pótero cœléſte ſecrétum? Quemádmodùm? Iterándo preces, & expectándo judícium largitóris, moras dantis patientíſſimè ſuſtinéndo: quia quicúmque, cùm ſemel pulsáverit, indignátur mox, ſi non fúerit audítus, iſte non eſt petítor ſupplex, ſed eſt imperióſus exáctor. Audi Prophétam dicéntem: Expécta Dóminum, viríliter age, & confortétur cor tuum. Et ſi íterùm diſtúlerit, tu futúrum, tu Dóminum tuum patiénter expécta. Ubi autem quid quærere débeas vis noſſe? Sunt divítiæ in ſinu paúperis, & regnum cœlórum intra te eſt. Intra vos eſt regnum cœlórum, dicit Dóminus.

℟. iij. Propè eſt Dóminus ómnibus invocántibus

eum, ómnibus invocántibus eum in veritáte. * Voluntátem timéntium ſe fáciet, & deprecatiónem eórum exaúdiet, allelúia. *Pſ.* 144. 18. 19. ℣. Pétite, & accipiétis; ut gaúdium veſtrum ſit plenum. *Joan.* 16. 24. * Voluntátem. Glória. * Voluntátem.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

Omnia ut in Dominica in Albis Depoſitis, p. 309.

Ad Benedíctus, *Ant.* 5. a. Quid orémus ſicut opórtet, neſcímus; ſed ipſe Spíritus póſtulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus, allelúia. *Rom.* 8. 26.

Oratio.

DEus, à quo bona cuncta procédunt; largíre ſupplícibus tuis, ut cogitémus, te inſpiránte, quæ recta ſunt, & te gubernánte, éadem faciámus. Per Dóminum.

AD HORAS, *omnia ut in Dominica in Albis Depoſitis, p.* 310. *exceptâ Oratione*, Deus, à quo.

AD VESPERAS.

Omnia ut in II. Veſperis Dominicæ in Albis Depoſitis, p. 311.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Spíritus veritátis non loquétur à ſemetípſo; ſed quæcúmque audiet, loquétur; & quæ ventúra ſunt, *annuntiábit*, allelúia. *Joan.* 16. 13.

COMPLETORIUM, *ut in Feriis Temporis Paſchalis, p.* 318.

FERIA SECUNDA IN ROGATIONIBUS.

Hodie & duabus Feriis ſequentibus, ſi occurrat Feſtum Semiduplex aut ſuprà, de eo fiet cum Commemoratione de Feria, poſt Laudes & Veſperas. Si autem occurrat Feſtum Simplex, de eo fiet tantùm Commemoratio.

Omnia ut in Feriis Temporis Paſchalis, p. 312. *additis quæ ſequuntur.*

Pſalmi notati pro II. Nocturno Feriæ II. p. 28.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 7. *ad* 11.

ECce venit cum núbibus, & vidébit eum omnis óculus, & qui eum pupugérunt. Et plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ: Etiam. Amen. Ego ſum Alpha & Oméga, Princípium & Finis, dicit Dóminus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui ventúrus eſt, omnípotens. * Ego Joánnes frater veſter, & párticeps in tribulatióne, & regno, & patiéntia in Chriſto Jeſu, fui in ínſula quæ appellátur Patmos, propter verbum Dei & teſtimónium Jeſu. Fui in ſpíritu in Domínica die, & audívi poſt me vocem magnam tanquam tubæ dicéntis: Quod vides, ſcribe in libro & mitte ſeptem Eccléſi

quæ ſunt in Aſia, Epheſo, & Smyrnæ, & Pérgamo, & Thyatíræ, & Sardis, & Philadélphiæ, & Laodíciæ.

℟. *j.* De angúſtia, *p.* 312.

Sermo ſancti Cæsárii Arelaténſis Epíſcopi.

Hom. 37. *De Litan.* 1.

LECTIO II.

ECce, fratres dilectíſſimi, dies ſancti & ſpiritáles advéniunt. In iſtis tribus diébus quos reguláriter in toto mundo célebrat Eccléſia, nullus ſe à ſancto convéntu ſubdúcat. Quia per totum annum nobis peccatórum vúlnera ſubrépunt, in iſtis tribus diébus fidéliter ad Eccléſiam currámus, & contríto corde, vel humiliáto córpore, Dei miſericórdiam deprecémur; ut ómniū peccatórum noſtrórum vúlnera iſto triduáno compunctiónis medicaménto, ad ſanitátem príſtinam revocémus. Conviviola nobis étiam quadrageſimáli órdine præparémus, & magìs legéndo, pſalléndo, vel orándo, animábus noſtris ſpiritáles épulas, quàm corporáles delícias requirámus. Audíte ergo me, fratres, rogántem, audíte patérnâ pietáte admonéntem; ut vobis Deus & in hoc ſéculo ſanitátem córporum, ubertátem frúctuum, & peccatórum indulgéntiā tribuat, & in futúro ad ætérna prǽmia felíciter perveníre concédat.

℟. *ij.* Sapiéntia, *p.* 312.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

LECTIO III. *c.* 11. *v.* 5. *ad* 13.

Qui petit, accipit.

AIt Jeſus ad diſcípulos ſuos: Quis veſtrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes? Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbýteri.

Hom. in Litan. maj. & min.

PEtitis & non accípitis, eò quòd malè petáris, ut in concupiſcéntiis veſtris inſumátis. Non prohibéntur cives pátriæ cœléſtis in terra peregrinántes, pro pace témporum, pro ſalúte córporum, pro ubertáte frugum, pro ſerenitáte aurárum, pro cœteris hujus vitæ neceſſáriis Dóminum pétere; ſi tamen hæc non nímiè petántur, & ſi ob id ſolúmmodo petántur, ut abundánte viático in præſénti, libériùs ad futúra dona tendátur. Sed quia ſunt nonnúlli qui temporálem quiétem & proſperitátem à ſuo Creatóre requírunt, non quidem ut eídem Creatóri devotióribus ánimis obédiant, ſed ut abundántiùs comeſſatiónibus & ebrietátibus vacent, & ſecúriùs ac licéntiùs concupiſcéntiis ſuis & carnis ſuæ sérviant illécebris, méritò tales malè pétere dicúntur. Verùm quia omnes hujúſmodi petitóres,

titóres, eò quòd malè petant, accípere non meréntur; ſtudeámus, dilectíſſimi, & benè pétere, & digni ad obtinénda quæ pétimus exiſtere. Quod ità fit, ſi & ea quæ Deus juſſit, orándo quærimus, & quales ipſe nos fieri dócuit tales ad orándum procédimus, & inténti in précibus, donec impetrémus, insiſtimus.

℞. *iij.* Invocábitis me, & ibitis: * Et orábitis me, & ego exaúdiam vos, allelúia. *Jer.* 29. 12. ℣. Pétite, & dábitur vobis: quǽrite, & inveniétis: pulsáte, & aperiétur vobis. *Luc.* 11. 9. * Et orábitis. Glória. * Et orábitis.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. Multùm valet deprecátio juſti aſsídua, all. *Jac.* 5. 16.

Oratio.

PErcípiat, Dómine, quǽſumus, pópulus tuus miſericórdiam quam depóſcit; & quam precátur humíliter, indulgéntiam conſequátur & pacem; Per Dóminum.

Hæc Orátio dicitur ad Tertiam, Sextam, & Nonam.

Hodie & duobus diebus ſequentibus, qui non interſunt Proceſſionibus Litaniarum, dicant privatim poſt Laudes Matutinas, flexis genibus, Litanias cum ℣℣. & Orationibus ſequentibus, p. xcix.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Omnis qui petit, áccipit: & qui quærit, ínvenit: & pulſánti aperiétur, allelúia. *Luc.* 11. 10.

Oratio, Deus, à quo, *è Dom. præced. p.* 359.

FERIA TERTIA IN ROGATIONIBUS.

Pſalmi notati pro II. Nocturno Feriæ III. p. 43.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 12. *ad* 18.

COnvérſus ſum, ut vidérem vocem quæ loquebátur mecum. Et convérſus vidi ſeptem candelábra aúrea: & in médio ſeptem candelabrórum aureórum ſímilem Filio hóminis veſtítum podére, & præcínctum ad mamíllas zonâ aúreâ: caput autem ejus & capílli erant cándidi tanquam lana alba & tanquam nix, & óculi ejus tanquam flamma ignis, & pedes ejus símiles aurichálco, ſicut in camíno ardénti, & vox illíus tanquam vox aquárum multárum: & habébat in déxtera ſua ſtellas ſeptem: & de ore ejus gládius utrâque parte acútus exíbat: & fácies ejus ſicut ſol lucet in virtúte ſua. * Et cum vidíſſem eum, cécidi ad pedes ejus tanquam mórtuus. Et póſuit déxteram ſuam ſuper me, dicens: Noli timére: Ego ſum Primus & Noviſſimus, & vivus; & fui mórtuus, & ecce ſum

vivens in sécula ſeculórum, & hábeo claves mortis & inférni.

℟. *j.* Dóminus, *p.* 313.

Ex Epíſtola ſancti Sidónii Apollináris, Arvernénſis Epíſcopi, ad ſanctum Mamértum Viennénſem.

Lib. 7. *Epiſt.* 1.

LECTIO II.

INvectárum, te autóre, Rogatiónum palpámur auxílio, quibus inchoándis inſtituendíſque pópulus Arvérnus, etſi non efféctu pari, afféctu certè non ímpari, cœpit initiári. Non enim latet noſtram ſciſcitatiónem, quòd primis tempóribus harúmce Supplicatiónum inſtitutárum, cívitas tibi crédita, per hujuſcémodi prodigiórum terriculaménta vacuabátur: nam modò ſcenæ mœ́nium publicórum crebris terræ mótibus concutiebántur: nunc ignes ſæpè flammáti cadúcas cúlminum criſtas ſuperjécto favillárum monte tumulábant, cùm tu ad nova celer véterum Ninivitárum exémpla decurríſti. Nam cùm vice quâdam cívitas conflagráre cœpíſſet, fides tua in illo ardóre plus cáluit: indícis jejúnia, interdícis flagítia, expónis ómnibus, nec pœnam longínquam eſſe, nec véniam: mones minácem terræ mótuum conflictatiónem fidei ſtabilitáte firmándam. Devotióne placátus inſpéctor péctorum Deus, fecit eſſe obſecratiónem veſtram vobis ſalúti, cœ́teris imitatióni, utríſque præſídio. Quæ ómnia ſciens pópulus iſte Viennénſibus tuis & accidíſſe priùs, & non acceſſiſſe poſtériùs, veſtígia tam ſacroſánctæ informatiónis ampléctitur, sédulò petens, ut conſciéntiæ tuæ beatitúdo mittat oratiónum ſuárum ſuffrágia, quibus exémpla tranſmíſit.

℟. *ij.* Ecce intélliget, *p.* 313.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

LECTIO III. *c.* 7. *v.* 7. *ad* 14.

Qui petit, accipit.

DIxit Jeſus diſcípulis ſuis: Pétite, & dábitur vobis: quǽrite, & inveniétis: pulsáte, & aperiétur vobis. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbýteri.

Homil. in Litan. maj. & min.

NEcéſſe eſt, fratres mei, ut petámus séduli, ſinè intermiſſióne orémus, & procidámus ante Deum, plorémus coram Dómino qui fecit nos: & ut nos exaudíri mereámur, videámus ſollíciti, quáliter nos vívere velit, quid nos fácere júſſerit, qui fecit nos. Quærámus Dóminum, & confirmémur, quærámus fáciem ejus ſemper: & ut hunc inveníre ac vidére mereámur, mundémus nos ab omni inquinaménta

carnis & ſpíritûs, quia non niſi córpore caſto in die reſurrectiónis ad cœlos ſublevári, non niſi mundo corde glóriam valémus divínæ Majeſtátis intuéri. Pulsémus infatigábili deſidério ætérnæ beatitúdinis, aures pii Conditóris: nec deficiámus à cœptis, priúſquàm, illo aperiénte, de cárcere mortis hujus mundi éripi, ac portam mereámur cœléſtis pátriæ íngredi. Nemo ſibi blandiátur de innocéntia, nullus fidens ſuis áctibus, quaſi qui miſericórdiâ juſti Júdicis non égeat, à précibus ceſſet: quin pótiùs étiam cùm ſe áliquid boni quis egiſſe cognóverit, quia quâ hoc diſtrictióne judicétur, ignórat, tremens cum Prophéta clamet: Ne intres in judícium cum ſervo tuo, quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens.

℟. iij. Quærétis me, & inveniétis, cùm quæſiéritis me in toto corde veſtro: * Et inveniar à vobis, ait Dóminus, allelúia. *Jer.* 29. 13. 14. ℣. Pétite, & dábitur vobis: quærite, & inveniétis: pulsáte, & aperiétur vobis. *Matt.* 7. 7. * Et invéniar à vobis. Glória. * Et invéniar à vobis.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. D. *Hæc eſt fidúcia quam habémus ad Deum, quia quodcúmque petiérimus ſecúndùm voluntátem ejus, audit nos, allelúia.* 1. *Joan.* 5. 14.

Oratio.

Averte, quæſumus, Dómine, iram tuam propitiátus à nobis; ut conſolatióne præséntis vitæ percipiámus & futúræ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

Hæc Oratio dicitur ad Tertiam, Sextam, & Nonam. Litaniæ ut herì.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. d. Quàm anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui invéniunt eam! allelúia. *Matt.* 7. 14.

Oratio, Deus, à quo, *è Dominica præced.* *p.* 359.

FERIA QUARTA IN ROGATIONIBUS.

VIGILIA ASCENSIONIS.

Pſalmi notati pro II. Nocturno Feriæ IV. p. 60.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

LECTIO I. *c.* 2. *v.* 23. *ad finem.*

Vobis dico, & cǽteris qui Thyatíræ eſtis: Quicúmque non habent doctrínam hanc, & qui non cognovérunt altitúdines Sátanæ, quemádmodum dicunt, non mittam ſuper vos áliud pondus: tamen id quod habétis tenéte, donec véniam. * Et qui vícerit, & cuſtodíerit uſque in finem ópera mea, dabo illi poteſtátem ſuper Gent-

& reget eas in virga férrea, & tanquam vas figuli confringéntur, ſicut & ego accépi à Patre meo: & dabo illi ſtellam matutínam. Qui habet aurem, aúdiat quid Spíritus dicat Ecclésiis.

℟. *j.* Non, *p.* 313.

Ex Hiſtória Eccleſiáſtica ſancti Gregórii Turonénſis Epíſcopi.

Hiſt. Franc. Cap. 34.

LECTIO II.

BEátus Avítus refert in quadam Homília quam de Rogatiónibus ſcripſit, has ipſas Rogatiónes quas ante Aſcenſiónis Domínicæ triúmphum celebrámus, à Mamérto ipsíus Viennénſis urbis Epíſcopo, cui & hic eo témpore præérat, inſtitútas fuiſſe, dum urbs illa multis terrerétur prodígiis. Nam & terræ motu frequénter quatiebátur: ſed & cervórum atque lupórum féritas portas ingréſſa, per totam, ut ſcripſit, urbem nihil métuens oberrábat. Cúmque hæc per anni círculū gereréntur, adveniéntibus Paſchális Solemnitátis diébus, expectábat miſericórdiam Dei plebs tota devótè. Sed in ipſa glorióſæ noctis vigília, dum Miſſárum celebraréntur ſolémnia, súbitò palátium regále divíno igne ſuccénditur. Pavóre ómnibus pertérritis, *Sanctus ſacérdos* proſtrátus *ante altáre*, cum gémitu & *lácrymis*, Dómini miſericórdiam imprecátur. Penetrávit excélſa poli orátio Pontíficis, reſtinxítque domûs incéndium flumen profluéntium lacrymárum. Cúmque hæc agereńtur, appropinquánte Aſcenſióne Majeſtátis Domínicæ, indíxit pópulis jejúnium, inſtítuit orándi modum. Ceſſántibus quoque exínde terróribus, per cunctas províncias diſpérſa facti fama cunctos Sacerdótes imitári commónuit quod Sacérdos fecit ex fide: quæ uſque nunc in Chriſti nómine per omnes Ecclésias in compunctióne cordis & contritióne ſpíritûs celebrátur.

℟. *ij.* Scitóte, *p.* 313.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 17. *v.* 1. *ad* 11.

Oratio Chriſti pro clarificatione ſua, & pro Apoſtolis.

SUblevátis Jeſus óculis in cœlum, dixit: Pater, venit hora: claríﬁca Fílium tuum, ut Fílius tuus claríficet te. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 104. n. 3.

CLarificátum à Patre Fílium nonnúlli accípiunt in hoc, quòd ei non pepércit, ſed pro nobis ómnibus trádidit eum. Sed ſi Paſſióne clarificátus dícitur, quantò magis Reſurrectióne? Nam in Paſſióne magis ejus humílitas quàm

clâritas commendâtur, Apóſtolo teſte, qui dicit: Humiliávit ſemetípſum, factus obédiens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Deínde séquitur, & de ejus clarificatióne jam dicit: Propter quòd & Deus illum exaltávit, & donávit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen; ut in nómine Jeſu omne genu flectátur, cœléſtium, terréſtrium, & infernórum, & omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jeſus Chriſtus in glória eſt Dei Patris. Hæc eſt clarificátio Dómini noſtri Jeſu Chriſti, quæ ab ejus Reſurrectióne ſumpſit exórdium.

℟. *iij.* Exaúdi me, Dómine, * Exaúdi me; ut diſcat pópulus iſte, quia tu es Dóminus Deus, allelúia. 3. *Reg.* 18. 37. ℣. Pater, manifeſtávi nomen tuum homínibus quos dedíſti mihi. *Joan.* 17. 6. * Exaúdi. Glória. * Exaúdi.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. *F.* Pater, ſerva eos in nómine tuo, quos dedíſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos, allelúia. *Joan.* 17. 11.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut quò ventúræ Solemnitátis Auctor ingréſſus eſt, ſemper noſtræ mentis dirigátur inténtio: & quò fide pérgimus, converſatióne perveniámus; Per eúmdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Hæc Oratio dicitur ad Tertiam, Sextam, & Nonam. Litaniæ ut in diebus præcedentibus.

Si quod Feſtum Duplex minus veniat in die ſequenti, anticipari debet, & de eo fiet in Sabbato præcedenti. Si autem veniat Feſtum Duplex majus, aut ſuprà, de eo fiet primâ die non impeditâ intrà Octavam Aſcenſionis.

IN ASCENSIONE DOMINI.

SOLEMNE MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 6. toni F.

IN die illa erit Germen Dómini in magnificéntia & glória, & fructus terræ ſublímis, allelúia. *Iſ.* 4. 2.

Ant. 2. D. Stabunt pedes ejus in die illa ſuper montem Olivárum, qui eſt contra Jerúſalem, allelúia. *Zach.* 14. 4.

Ant. 8. G. Qui redémpti ſunt à Dómino, reverténtur, & vénient in Sion laudántes, allelúia. *Iſ.* 51. 11.

Ant. 7. G. Transíbit Rex eórum coram eis, & Dóminus in cápite eórum, allelúia. *Mich.* 2. 13.

Ant. 5. a. Ipſe portábit glóriam, & ſedébit, & dominábitur ſuper ſólio ſuo, allelúia. *Zach.* 6. 13.

CAPITULUM. *Amos.* 9. 6.

QUi ædíficat in cœlo aſcenſiónem ſuam, & faſcículum ſuum ſuper terram fundávit: qui vocat aquas maris, & effúndit eas ſuper fáciem terræ, Dóminus nomen ejus.

℟. Attóllite portas, príncipes, *veſtras*, & * Elevámini, *portæ æternáles*: & introíbit Rex glóriæ, allelúia. *Pſ.* 23. 7. ℣. Venit hora ut clarificétur Fílius hóminis. *Joan.* 12. 23. * Elevámini. Glória. *Reſumitur* ℟. Attóllite.

HYMNUS.

CHRISTE, quem ſedes révocant patérnæ,
Spléndidos orbi rénovas triúmphos,
Dum viâ tentas hómini negátâ
Scándere cœlum.

OCIOR venti reſonánte pennâ,
Vi ſuâ, celſum per ináne fertur:
Non eget curru; jubet, & recédunt
Sídera nutu.

CLAUSA tot ſeclis patet aula cœli:
Ipſe Rex claros jaculátus ignes,
Mœnibus ruptis, ſubit, & ſupérnas
Tránſvolat arces.

SE Deo ſiſtit: Pater, ecce Natus;
In tuo victor grémio repónit
Plúrimo partas & adhuc rubéntes
Sánguine lauros.

TU, Caput, ſurgis! tu ſed jacémus

Membra quam præfers,
Mediátor, audi
Quanta pro membris tibi
crux potente
Voce loquátur.
SUMMA laus ſummæ
Tríadi per Orbem:
Qui tenes dexteram ſólii
patérni,
Pacis ætérnæ ſimul eſto no-
bis
Autor & obſes.
Amen.

℣. Iter fácite ei qui aſ-
céndit ſuper Occáſum; ℟.
Dóminus nomen illi. *Pſ.*
67. 5.

Ad Magníficat, Ant. 3. a.
Ecce cum núbibus cœli qua-
ſi Fílius hóminis veniébat;
& uſque ad Antíquum dié-
rum pervénit, & in conſ-
péctu ejus obtulérunt eum,
allelúia. *Dan.* 7. 13.

Oratio.

PRæſta, quǽſumus, om-
nípotens Deus, ut qui
ſuper terram éxules tené-
mur póndere córporis, eún-
tem in cœlum Fílium tuum
ſequámur páſſibus amó-
ris; Qui tecum vivit &
regnat in unitáte Spíritûs
ſancti, Deus; Per ómnia.

COMPLETORIUM *habe-
tur poſt II. Veſperas, cum
Pſalmis de Feria.*

AD OFFICIUM
NOCTURNUM.

Invitatorium. Jeſum eún-
tem in cœlum, * Veníte,
adorémus, allelúia. *Act.* 1.
10.

Pſalmus, Veníte; *p.* 2.
ritu ſolemni.

HYMNUS.

FELIX dies mortáli-
bus,
Quâ per profúſum ſángui-
nem
Homo Deus clauſas diu
Intrávit ætérnas domos!
NOS membra, quò no-
ſtrum Caput,
Quò Dux præívit, íbimus.
Si jungat unà mens ſimul,
Nos una junget glória.
DISCESSIT, & ſuis adeſt,
Præſénte ſemper Spíritu;
Miſcens ſuo ſe córpori,
Omnes in artus influit.
NOSTRAS, Olympo
rédditus,
Qui, Chriſte, ſedes præpa-
ras,
Hùc éxules ad pátriam
Trahas amóris néxibus.
TUNC, ore nudo, qua-
lis es,
Quantúſque, te vidébimus,
Amábimus te júgiter,
Te júgiter laudábimus.
Qui victor in cœlum redis,
Jeſu, tibi ſit glória;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

In Pſal. 8. Dómine,
Dóminus noſter, *p.* 27.

Ant. 4. E. Nunc clarifi-
cátus eſt Fílius hóminis, &
Deus clarificátus eſt in eo,
allelúia. *Joan.* 13. 31.

In Pſal. 18. Cœli enár-
rant, *p.* 31.

Ant. 1. f. Profectus eſt
in cœlum, ſubjéctis ſibi
Angelis, & Poteſtátibus,
& Virtútibus, allelúia. 1.
Petr. 3. 22.

In. divif. Pſal. 18. Lex Dómini immaculáta, *p.* 31.

Ant. 7. G. Aſcéndens in altum, captívam duxit captivitátem, dedit dona homínibus, allelúia. *Eph.* 4. 8.

℣. A ſummo cœlo egréſſio ejus; ℟. Et occúrſus ejus uſque ad ſummum ejus. *Pſ.* 18. 7.

De Actibus Apoſtolórum.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 6. *ad* 14.

QUi convénerant, interrogábant Jeſum, dicéntes: Dómine, ſi in témpore hoc reſtitues regnum Iſraël? Dixit autem eis: Non eſt veſtrûm noſſe témpora vel moménta quæ Pater póſuit in ſua poteſtáte: ſed accipiétis virtútē ſuperveniéntis Spíritûs ſancti in vos, & éritis mihi teſtes in Jerúſalem, & in omni Judǽà & Samaría, & uſque ad últimum terræ. Et cùm hæc dixíſſet, vidéntibus illis, elevátus eſt: & nubes ſuſcépit eum ab óculis eórum. Cúmque intueréntur in cœlum cúntem illum, ecce duo viri aſtitérunt juxta illos in véſtibus albis, qui & dixérunt: Viri Galilǽi, quid ſtatis aſpiciéntes in cœlum? Hic Jeſus, qui aſſúmptus eſt à vobis in cœlum, ſic véniet, quemádmodum vidíſtis eum cúntem in cœlum. Tunc revérſi ſunt Jeroſólymam, à monte qui vocátur Olivéti, qui eſt juxta Jerúſalem, ſábbati habens iter. Et cùm introíſſent in cœnáculum, aſcendérunt ubi manébant Petrus & Joánnes, Jacóbus & Andréas, Philíppus & Thomas, Bartholomǽus & Matthǽus, Jacóbus Alphǽi, & Simon Zelótes, & Judas Jacóbi. Hi omnes erant perſeverántes unanímiter in oratióne cum muliéribus, & María matre Jeſu, & frátribus ejus.

℟. j. Tempus eſt ut revértar ad eum qui me miſit: * Vos autem benedícite Deum, & narráte ómnia mirabília ejus, allelúia. *Tob.* 12. 20. ℣. Aſcéndo ad Patrem meū, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. *Joan.* 20. 17. * Vos autem. Glória. * Vos autem.

Sermo ſancti Leónis Papæ. *Serm.* 72. *De Aſcenſ.* 2. *Cap.* 1. 2. 5.

LECTIO II.

SIcut in Solemnitáte Paſcháli, Reſurréctio Dómini fuit nobis cauſa lætándi, ità Aſcénſio ejus in cœlos præſéntium nobis eſt matéria gaudiórum. Explétis ómnibus quæ Evangélicæ prædicatióni & novi Teſtaménti myſtériis congruébant, Dóminus noſter Jeſus Chriſtus, quadragéſimo poſt Reſurrectiónem die, coram diſcípulis elevátus in cœlum, corporális præſéntiæ modum fecit, manſúrus in Patris déxtera, donec témpora multiplicándis Ecclésiæ fíliis divínitùs præſtitúta peragántur,

ad judicándos vivos & mórtuos in eádem carne in qua aſcéndit, advéniat. Exultémus ítaque, dilectíſſimi, gaúdio ſpiritáli: & digna apud Deum gratiárum actióne lætántes, líberos cordis óculos ad illam altitúdinem in qua Chriſtus eſt, erigámus. Surſùm vocátos ánimos deſidéria terréna non déprimant: ad ætérna præeléctos peritúra non óccupent: viam veritátis ingréſſos falláces illécebræ non retárdent. Et ità à fidélibus hæc temporália decurrántur, ut peregrinári ſe in hac mundi valle cognóſcant.

℟. *ij.* Stetit, & benedíxit omni Eccléſiæ Iſraël, voce magnâ dicens: * Benedíctus Dóminus, qui dedit réquiem pópulo ſuo Iſraël, juxta ómnia quæ locútus eſt, allelúia. 3. *Reg.* 8. 55. 56. ℣. Dum benedíceret illis, recéſſit ab eis, & ferebátur in cœlum. *Luc.* 24. 51. * Benedíctus Dóminus. Glória. * Benedíctus Dóminus.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio III. *c.* 16. *v.* 14. *ad finem.*

Chriſtus, miſſis in Orbem Apoſtolis, ad cœlum aſcendit.

Recumbéntibus Undecim appáruit Jeſus, & exprobrávit incredulitátem eórum & durítiam cordis. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 29. *in Ev.* n. 5. 6.

Et Dóminus quidem Jeſus, poſtquàm locútus eſt, aſſúmptus eſt in cœlum. In véteri Teſtaménto cognóvimus, quòd Elías ſit raptus in cœlum: ſed áliud eſt cœlum aéreum, áliud æthéreum. In cœlum aéreũ, Elías ſublevátus eſt, ut in ſecrétam quamdam terræ regiónem repéntè ducerétur, ubi in magna jam carnis & ſpíritûs quiéte vivéret, quoúſque ad finem mundi rédeat, & mortis débitum ſolvat. Redémptor autem noſter eam reſurgéndo conſúmpſit, & Reſurrectiónis ſuæ glóriam aſcendéndo declarávit, non curru, non Angelis ſublevátus: quia is qui fécerat ómnia, nimírùm ſuper ómnia ſuâ virtúte ferebátur. Sicut autem Joſeph à frátribus vénditus venditiónem Redemptóris noſtri figurávit; ſic Henoch tranſlátus, atque ad cœlum aéreum Elías ſublevátus, Aſcenſiónem Domínicam deſignávit. Aſcenſiónis ergo ſuæ Dóminus prænúntios & teſtes hábuit, unum ante Legem, álium ſub Lege: ut quandóque veníret ipſe, qui verácitet cœlos penetráre potuíſſet.

℟. *iij.* Aſcéndit Deus in júbilo; & Dóminus in voce tubæ. * Pſállite Deo noſtro, pſállite: pſállite Regi noſtro, pſállite, alle-

Q 5

lúia. *Pſ.* 46. 6. 7. ℣. Aſſúmptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. *Marc.* 16. 19. * Psállite. Glória.

Reſumitur ℟. Aſcéndit.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Regnábit Deus ſuper gentes: ℟. Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam. *Pſ.* 46. 9.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 1. f. Magnus es, Dómine, in ætérnum; & in ómnia ſécula regnum tuum, allelúia. *Tob.* 13. 1.

Ant. 5. a. Fecíſti mirabília, Dómine, cogitatiónes antíquas fidéles, allelúia. *Iſ.* 25. 1.

Ant. 6. F. Adónaï, Dómine, magnus es tu, & præclárus in virtúte tua, & quem ſuperáre nemo poteſt, allelúia. *Judith.* 16. 16.

Ant. 3. *a.* Tuum eſt.

CANTICUM TRIUM PUERORUM. *Dan. c.* 3. *v.* 52. *ad* 56.

Laudatur Dominus, in gloria ſedens.

BEnedíctus es, Dómine, Deus patrum noſtrórum; * & laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſécula.

Et benedíctum nomen glóriæ tuæ ſanctum; * & laudábile, & ſuperexaltátum in ómnibus ſéculis.

Benedíctus es in templo ſancto glóriæ tuæ; * & ſuperlaudábilis, & ſupergloriósus in ſécula.

Benedíctus es in throno regni tui; * & ſuperlaudábilis, & ſuperexaltátus in ſécula.

Benedíctus es, qui intuéris abýſſos, & ſedes ſuper Chérubim; * & laudábilis, & ſuperexaltátus in ſécula.

Benedíctus es in firmaménto cœli; * & laudábilis, & glorióſus in ſécula.

Glória Patri.

Ant Tuum eſt, Dómine, regnum; & tu es ſuper omnes príncipes, allelúia. 1. *Par.* 29. 11.

Ant. 2. D. Sicut in conſpéctu eórum ſanctificátus es in nobis, ſic in conſpéctu noſtro magnificáberis in eis, allelúia. *Eccli.* 36. 4.

CAPITULUM. *Hebr.* 2. 9.

EUm, qui módicò quàm Angeli minorátus eſt, vidémus Jeſum, propter paſſiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum.

HYMNUS.

PARTA tuis labóribus,
Qui jam potíris glóriâ,
Quos hîc relinquis órphanos,
Nos, Chriſte, ſemper réſpicis.

ALTO benígnus è throno,
E Patris almi déxtera,
Nos állicis, nos cónfoves,
Et ad volándum próvocas.

TERRENA quæ mens non capit,
Quæ ſola perſpicit fides,
Ad ſancta fac nos gaudia
Amóre caſto cúrrere.

Si quos amas non déſeris,
Noſtræ ſalútis óbſidem,
Mittas ab altis sédibus,
Qui nos adóptet, Spíritum.
Qui victor in cœlum redis,
Jeſu, tibi ſit glória;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Dóminus in templo ſancto ſuo; ℟. Dóminus, in cœlo ſedes ejus. *Pſ.* 10. 5.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. E. Sedet ad déxteram Majeſtátis in excélſis, tantò mélior Angelis effféctus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit, allelúia. *Hebr.* 1. 3. 4.

Oratio.

Concéde, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui hodiérnâ die Unigénitum tuum Redemptórem noſtrum ad cœlos aſcendíſſe crédimus, ipſi quoque mente in cœléſtibus habitémus; Per eúmdem Dóminum.

Ad Horas, *Doxologia.*

Qui victor in cœlum redis,
Jeſu, tibi ſit glória;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

Pſalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. Magnus es.

Capitulum. *Eph.* 1. 19. 20.

Crédimus ſecúndùm operatiónem poténtiæ virtútis Dei, quam operátus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mórtuis, & conſtituens ad déxteram ſuam in cœléſtibus.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui aſcendíſti ſuper omnes cœlos. *Eph.* 4. 10.

AD TERTIAM.

Ant. Fecíſti.

Capitulum. *Hebr.* 9. 24.

Non in manufácta Sancta Jeſus introívit exemplária verórum, ſed in ipſum cœlum; ut appáreat nunc vúltui Dei pro nobis.

℟. *breve.* Aſcéndit Deus ſuper Chérubim & volávit, * Allelúia, allelúia. ℟. Aſcéndit. ℣. Volávit ſuper pennas ventórum. * Allelúia. Glória. ℟. Aſcéndit. *Pſ.* 17. 11.

℣. Eleváta eſt magnificéntia tua, Dómine, ℟. Super cœlos. *Pſ.* 8. 2.

AD SEXTAM.

Ant. Adónaï.

Capitulum. *Eph.* 1. 22. 23.

Deus ómnia ſubjécit ſub pédibus ejus; & ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccléſiam, quæ eſt corpus ipsíus, & plenitúdo ejus, qui ómnia in ómnibus adimplétur.

℟. *breve.* Aſcendíſti in altum, cepíſti captivitátem, * Allelúia, allelúia. ℟. Aſcendíſti. ℣. Accepíſti dona in homínibus. * Allelúia. Glória. ℟. Aſcendíſti. *Pſ.* 67. 19.

℣. Vidérunt ingréſſus

tuos, Deus; ℟. Ingréſſus Dei mei, Regis mei qui eſt in Sancto. *Pſ.* 67. 25.

AD NONAM.

Ant. Sicut.

CAPITULUM. *Apoc.* 19. 16.

HAbet in veſtiménto, & in fémore ſuo ſcriptum: Rex regum & Dóminus dominántium.

℟. *breve.* Minuíſti eum, Dómine, paulò minùs ab Angelis, * Allelúia, allelúia. ℟. Minuíſti. ℣. Glóriâ & honóre coronáſti eum. * Allelúia. Glória. ℟. Minuíſti. *Pſ.* 8. 6.

℣. Regnâbit in ætérnum, ℟. Et in séculum séculi. *Pſ.* 10. *H.* 16.

AD VESPERAS.

In Pſal. 109. Dixit Dóminus, *p.* 22.

Ant. 7. G. Ad quem Angelórum dixit Deus aliquándo: Sede à dextris meis? allelúia. *Hebr.* 1. 13.

In Pſal. 110. Confitébor tibi, Dómine, *p.* 22.

Ant. 1. D. Talem habémus Pontificem, qui consédit in déxtera ſedis magnitúdinis in cœlis, allelúia. *Hebr.* 8. 1.

In Pſal. 111. Beátus vir qui timet, *p.* 23.

Ant. 2. *D.* Talis decébat ut nobis eſſet Póntifex, ſanctus, ínnocens, impollútus, ſegregátus à peccatóribus, & excélſior cœlis factus, allelúia. *Hebr.* 7. 26.

In Pſal. 112. Laudáte, pueri, Dóminum, *p.* 23.

Ant. 4. a. Unam pro peccátis ófferens hóſtiam, in ſempitérnum ſedet in déxtera Dei, allelúia. *Hebr.* 10. 12.

In Pſal. 137. Confitébor tibi, Dómine.... quóniam audíſti, *p.* 38.

Ant. 3. *a.* Amplióris glóriæ iſte præ Móyſe dignus eſt hábitus, quantò amplíórem honórem habet domûs, qui fabricávit illam, allelúia. *Hebr.* 3. 3.

CAPITULUM. *Philip.* 2. 10. 11.

IN nómine Jeſu omne genu flectátur, cœléſtium, terréſtrium, & infernórum; & omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jeſus Chriſtus in glória eſt Dei Patris.

HYMNUS.

PROMISSA, tellus, cóncipe gaúdia;
Te fauſta cœlo concíliat dies:
Deus tuméntes ponet iras,
Sancta tuus Mediátor intrat.
TU, Chriſte, victor mortis & ínferi,
Cruóre partam ſúſcipe glóriam,
Procéde, regna, ſume ſceptrum;
Subjícitur tibi totus orbis.
QUID obſtupéntes ſuſpícitis polo,
O vos, eúntem, diſcípuli, Deum?
Ut nunc Redémptor ſcandit aſtra,
Sic véniet metuéndus ultor.

O Christe, dextræ
qui Patris áſſides,
Fac nos triúmphi partícipes
tui;
Certámen urget, militémus;
Et, duce te, ſuperémus
hoſtem.
Laus ſumma Patri, qui
Génitum polo
Pacis perénnis ſúſcipit óbſidem;
Laus, qui triúmphat,
ſumma Nato;
Par tibi laus, utriúſque
Nexus. Amen.

℣. Excélſus ſuper omnes gentes Dóminus, ℟. Et ſuper cœlos glória ejus. *Pſ.* 112. 4.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Habéntes Pontíficem magnum, qui penetrávit cœlos, Jeſum Fílium Dei, teneámus confeſſiónem, allelúia. *Hebr.* 4. 14.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 1. 2. Teneámus ſpei noſtræ confeſſiónem indeclinábilem: fidélis enim eſt qui repromíſit, allelúia. *Hebr.* 10. 23.

HYMNUS.

Jam Chriſtus in cœlum
redux,
Ad déxteram Patris ſedet;
Mundi futúrum Júdicem
Vident treméntes Angeli.
Hic nempè juſtâ mórtuos
Vivóſque lance pónderans,
Se præmium dabit piis,
Damnábit ætérnùm reos.
Supreme Judex, nos gravi
Somno jacéntes réſpice;
Nec imparátos ópprimat
Triſtis tubæ minax ſonus.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Capitulum. *Hebr.* 6. 20.

PRæcúrſor pro nobis introívit Jeſus, ſecúndùm órdinem Melchíſedech Pontifex factus in ætérnum.

℟. *breve.* In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. C. Lucérna civitátis eſt Agnus; & ambulábunt gentes in lúmine ejus, allelúia. *Apoc.* 21. 23. 24.

Oratio.

DA, quæſumus, omnípotens Deus, mentes noſtras & corda noſtra in eo requiéſcere, quem ad déxteram tuam ſedéntem adorámus, Mediatórem noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum; Qui tecum vivit, &c.

Hymnus & Oratio quæ hîc habentur, dicuntur uſque ad Pentecoſten, etiamſi fiat de aliquo Sancto.

DIEBUS
INTRA OCTAVAM
ASCENSIONIS
DOMINI,
Quæ eſt ſecundi Ordinis.

Omnia ut in Die, exceptis quæ ſequuntur.

Pſalmi de Feria.

AD OFFICIUM
NOCTURNUM.

Invitatorium. Pontíficem magnum, qui penetrávit cœlos, Jeſum, * Veníte,

adorémus, allel. *Hebr.* 4. 14.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſimplici.*

Hymnus. Felix dies mortálibus, *p.* 367.

Pſalmi notati pro qualibet Feria, infrà.

Ant. ſola. 6. F. Apóſtoli adorántes regréſſi ſunt in Jerúſalem cum gaúdio magno, allelúia. *Luc.* 24. 52.

℣. A ſummo cœ o egréſſio ejus, ℟. Et occúrſus ejus uſque ad ſummum ejus. *Pſ.* 18. 7.

Lectiones & ℟℟. ut infrà in unaquaque die.

AD LAUDES MATUTINAS.

Ant. ſola. 1 f. Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum; ut vídeant claritátem meam quam dediſti mihi, allelúia. *Joan.* 17. 24.

AD VESPERAS.

Ant. ſola. 2. *D.* Apóſtoli erant perſeverántes unanímiter in oratióne, cum muliéribus, & María matre Jeſu, & frátribus ejus, allelúia. *Act.* 1. 14.

FERIA SEXTA INTRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Pſalmi notati pro II. Nocturno Feria VI. p. 90.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

LECTIO I. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 8.

Vidi in déxtera ſedéntis ſupra thronum, librum ſcriptum intùs & foris, ſignátum ſigíllis ſeptem. Et vidi Angelum fortem, prædicántem voce magnâ: Quis eſt dignus aperíre librum, & ſólvere ſignácula ejus? Et nemo póterat, neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtùs terram aperíre librum, neque reſpícere illum. Et ego flebam multùm, quóniam nemo dignus invéntus eſt aperíre librum, nec vidére eum. Et unus de ſenióribus dixit mihi: Ne flevéris: ecce vicit Leo de tribu Juda, Radix David, aperíre librum, & ſólvere ſeptem ſignácula ejus. Et vidi: & ecce in médio throni & quátuor animálium, & in médio ſeniórum, Agnum ſtantem tanquam occíſum, habéntem córnua ſeptem, & óculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpíritus Dei, miſſi in omnem terram. Et venit, & accépit de déxtera ſedéntis in throno librum. Et cùm aperuíſſet librum, quátuor animália & vigínti quátuor ſenióres cecidérunt coram Agno, habéntes ſínguli cítharas, & phíalas áureas plenas odoramentórum, quæ ſunt oratiónes ſanctórum.

℟. 7 Regna terræ, cantáte Deo, * Psállite Dómino, psállite Deo, qui aſcéndit ſuper cœlum cœli ad Oriéntem, allelúia. *Pſ.* 67. 33. 34. ℣. Sedénti in throno & Agno, benedíctio, & honor, & glória. *Apoc.* 5. 13. * Psállite.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio II. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 10.

OBſecro ítaque vos ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne quâ vocáti eſtis, cum omni humilitáte & manſuetúdine, cum patiéntia ſupportántes ínvicem in caritáte, ſollíciti ſerváre unitátem ſpíritûs in vínculo pacis. Unum corpus, & unus ſpíritus, ſicut vocáti eſtis in una ſpe vocatiónis veſtræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptíſma. Unus Deus & Pater ómnium, qui eſt ſuper omnes, & per ómnia, & in ómnibus nobis. Unicuíque autem noſtrûm data eſt grátia, ſecúndùm menſúram donatiónis Chriſti. Propter quòd dicit: Aſcéndens in altum, captívam duxit captivitátem, dedit dona homínibus. Quòd autem aſcéndit, quid eſt niſi quia & deſcéndit primùm in inferióres partes terræ? Qui deſcéndit, ipſe eſt & qui aſcéndit ſuper omnes cœlos, ut impléret ómnia.

℟. *ij.* Conſtituíſti eum, Dómine, ſuper ópera mánuum tuárum: * Omnia ſubjecíſti ſub pédibus ejus, allelúia. *Pſ.* 8. 7. 8. ℣. Sedet in déxtera Dei, de cœtero expéctans, donec ponántur inimíci ejus, ſcabéllum pedum ejus. *Hebr.* 10. 12. 13. * Omnia.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Serm. 71. *de Aſcenſ.* 1. *Cap.* 1. 4.

Lectio III.

POſt beátam & glorióſam Reſurrectiónem Dómini noſtri Jeſu Chriſti, quâ verum Dei Templum Judáicâ impietáte reſolútum, divína in tríduo poténtia ſuſcitávit, quadragenárius hódie, dilectíſſimi, ſanctórum diérum explétus eſt númerus, ſacratiſſimâ ordinatióne diſpóſitus, & ad utilitátem noſtræ eruditiónis impénſus: ut dum à Dómino in hoc ſpátium mora præséntiæ corporális exténditur, fides Reſurrectiónis documéntis neceſſáriis muniréntur. Unde beatíſſimi Apóſtoli, omnéſque diſcípuli, qui, & de éxitu crucis fúerant trépidi, & de fide Reſurrectiónis ambígui, ità ſunt veritáte perſpicuâ roboráti, ut Dómino in cœlórum eúnte ſublímia, non ſolùm nullâ afficeréntur triſtítia, ſed étiam magno gaúdio repleréntur.

℟. *iij.* Cantent in viis Dómini, quóniam magna eſt glória Dómini: * Quóniam excélſus Dóminus, allelúia. *Pſ.* 137. 5. 6. ℣. Qui deſcéndit, ipſe eſt & qui aſcéndit ſuper omnes cœlos, ut impléret ómnia. *Eph.* 4. 10. * Quóniam. Glória. * Quóniam.

Te Deum.

SABBATO INTRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Pſalmi notati pro II. Nocturno Sabbati, p. 105.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio I. *c.* 5. *v.* 11. *ad fin.*

Vidi, & audívi vocem Angelórum multórum in circúitu throni, & animálium, & ſeniórum: & erat númerus eórum míllia míllium, dicéntium voce magnâ: Dignus eſt Agnus qui occíſus eſt, accípere virtútem, & divinitátem, & ſapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem. Et omnem creatúram, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audívi dicéntes: Sedénti in throno & Agno, benedíctio, & honor, & glória, & potéſtas in ſécula ſeculórum. Et quátuor animália dicébant: Amen. Et vigínti quátuor ſeniores cecidérunt in fácies ſuas: & adoravérunt Vivéntem in ſécula ſeculórum.

℟. *j.* Dómine, Dóminus noſter, quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra! quóniam * Eleváta eſt magnificéntia tua ſuper cœlos, allelúia. *Pſ.* 8. 2. ℣. Nemo aſcéndit in cœlum, niſi qui deſcéndit de cœlo, Fílius hóminis *qui eſt in cœlo. Joan.* 3. *13.* * *Elevata.*

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio II. *c.* 4. *v.* 9. *ad* 16.

Quòd Chriſtus aſcéndit, quid eſt, niſi quia & deſcéndit primùm in inferióres partes terræ? Qui deſcéndit, ipſe eſt & qui aſcéndit ſuper omnes cœlos, ut impléret ómnia. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apóſtolos, quoſdam autẽ Prophétas, álios verò Evangeliſtas, álios autem paſtóres & doctóres, ad conſummatiónem ſanctórum, in opus miniſtérii, in ædificatiónem córporis Chriſti: donec occurrámus omnes in unitátem fídei, & agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in menſúram ætátis plenitúdinis Chriſti: ut jam non ſimus párvuli fluctuántes, & circumferámur omni vento doctrínæ, in nequítia hóminum, in aſtútia ad circumventiónem erróris. Veritátem autem faciéntes in caritáte, creſcámus in illo per ómnia, qui eſt Caput Chriſtus: ex quo totum corpus compáctum, & connéxum per omnem junctúram ſubminiſtratiónis, ſecúndùm operatiónem, in menſúram uniuſcujúſque membri, augméntũ córporis facit, in ædificatiónem ſuî in caritáte.

℟. *ij.* Ego in altíſſimis habitávi; * Et thronus meus in colúmna nubis, allelúia. Eccli. 24. 7. ℣. Ego vici, & ſedi cum Patre

meo in throno ejus. *Apoc.* 3. 21. * Et thronus.

Sermo ſancti Clementis Papæ & Martyris.

Epiſt. 1. *ad Cor. Cap.* 36. n. 1.

Lectio III.

INvénimus Jeſum Chriſtum Pontíficem oblatiónum noſtrárum, infirmitátis noſtræ patrónum & auxiliatórem. Per hunc in cœlórum altitúdines óculos defigámus: per hunc immaculátum & ſuprémum illíus vultum ſpeculábimur: per hunc óculi cordis noſtri apérti ſunt: per hunc insípiens & obſcuráta mens noſtra in admirábilem ejus lucem repúllulat: per hunc vóluit Dóminus, ut immortálem cognitiónem guſtarémus: qui, cùm ſit ſplendor Majeſtátis ejus, tantò major eſt Angelis, quantò excelléntius nomen ſortítus eſt. Ità quippe ſcriptum eſt: Qui facit Angelos ſuos ſpíritus, & miníſtros ſuos flammam ignis. De Fílio autem ſuo ſic dixit Dóminus: Fílius meus es tu, Ego hódie génui te. Et íterùm dicit ad eum: Sede à dextris meis, donec ponam inimícos tuos ſcabéllum pedum tuórũ. Quinam ſunt inimíci ejus? Qui pravi ſunt, quíque divínæ voluntáti ſuam voluntátem oppónunt.

℟. iij. Dóminus in cœlo parávit ſedem ſuam; * Et regnum ipsíus ómnibus dominábitur, allelúia. *Pſ.* 102. 19. ℣. Ipſe eſt ante omnes, & ómnia in ipſo conſtant. *Coloſſ.* 1. 17. * Et. Glória. * Et.

Te Deum.

AD VESPERAS.

Antiphona ut in I. Veſperis Aſcenſionis, p. 366. *cum Pſalmis de Sabbato.*

Capitulum. *Coloſſ.* 3. 1. 2.

SI conſurrexíſtis cum Chriſto, quæ ſursùm ſunt quǽrite, ubi Chriſtus eſt in déxtera Dei ſedens: quæ ſursùm ſunt ſápite, non quæ ſuper terram.

Non dicitur Reſponſorium.

Hymnus. Chriſte, quem ſedes, *ſuprà, p.* 366. ℣. Iter fácite, *p.* 367.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. *c.* Projéctus eſt draco ille magnus, ſerpens antíquus, allelúia. *Apoc.* 12. 9.

Oratio, Da, quǽſumus, *infrà, ad Laudes, p.* 379.

Non fit alia Commemorátio Aſcenſionis.

DOMINICA INTRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Omnia ut in die Aſcenſionis, exceptis quæ ſequuntur, & ſervato ritu duplici.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Pontíficem magnum, qui penetrávit cœlos, Jeſum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Hebr.* 4. 14.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Pſalmi è III. Nocturno Dominicæ, p. 6.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio I. *c.* 14. *v.* 1. *ad* 8.

ET vidi : & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadragínta quátuor míllia, habéntes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in fróntibus ſuis. Et audívi vocem de cœlo, tanquam vocem aquárum multárum, & tanquam vocem tonítrui magni : & vocem quam audívi, ſicut citharœdórum citharizántiū in cítharis ſuis. Et cantábant quaſi cánticum novum, ante ſedem, & ante quátuor animália, & ſenióres : & nemo póterat dícere cánticum, nisi illa centum quadragínta quátuor míllia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt, qui cum muliéribus non ſunt coinquináti, vírgines enim ſunt. Hi ſequúntur Agnū quocúmque íerit. Hi empti ſunt ex homínibus, primítiæ Deo & Agno : & in ore eórum non eſt invéntum mendácium : ſinè mácula enim ſunt ante thronum Dei. Et vidi álterum Angelum volántem per médium cœli, habéntem Evangélium ætérnum, ut evangelizáret ſedéntibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & pópulum : dicens magnâ voce : Timéte Dóminum, & date illi honórem, quia venit hora judícii ejus, & adoráte eum qui fecit cœlum, & terram, mare, & fontes aquárum. Et álius Angelus ſecútus eſt, dicens : Cécidit, cécidit Bábylon illa magna, quæ à vino iræ fornicatiónis ſuæ potávit omnes gentes.

℟. *j.* Abiérunt in confuſiónem fabricatóres errórum : * Iſraël ſalvátus eſt in Dómino ſalúte ætérnâ ; allelúia. *Iſ.* 45. 16. 17. ℣. Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno. *Apoc.* 7. 10. * Iſraël.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio II. *c.* 4. *v.* 9. *ad* 13.

RElínquitur Sabbatíſmus pópulo Dei. Qui enim ingréſſus eſt in réquiem ejus, étiam ipſe requiévit ab opéribus ſuis, ſicut à ſuis Deus. Feſtinémus ergo íngredi in illam réquiem : ut ne in idípſum quis íncidat incredulitátis exémplum. Vivus eſt enim ſermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti, & pertíngens uſque ad diviſiónem ánimæ ac ſpíritûs, compágum quoque ac medullárum, & diſcrétor cogitatiónum & intentiónum cordis. Et non eſt ulla creatúra inviſíbilis in conſpéctu ejus : ómnia autem núda & apérta ſunt óculis ejus, ad quem nobis ſermo.

℟. ij. Efférte illud uſque ad extréma terræ ; dícite : * Redémit Dóminus ſervum

ſtruum Jacob; allelúia. *Iſ.* 48. 20. ℣. Per próprium ſánguinem introívit ſemel in Sancta, ætérnâ redemptióne invéntâ. *Hebr.* 9. 12. * Redémit.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio III. *c.* 15. *v.* 26. *ad fin. & c.* 16. *v.* 1. *ad* 4.

Parácleti teſtimonium.

Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Cùm vénerit Paraclétus, quem ego mittam vobis à Patre, Spíritum veritátis, qui à Patre procédit, ille teſtimónium perhibébit de me. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtini Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 92. n. 1. 2.

Cum vénerit Paraclétus, ille teſtimónium perhibébit de me, tanquam díceret: Odio me habuérunt, & occidérunt vidéntes: ſed tale de me Paraclétus teſtimónium perhibébit, ut eos fáciat in me crédere non vidéntes. Et vos, inquit, teſtimónium perhibébitis, quia ab inítio mecum eſtis. Perhibébit Spíritus ſanctus, perhibébitis & vos. Quia enim ab inítio mecum eſtis, potéſtis prædicáre quod noſtis: quod ut modò non faciátis, illíus Spíritûs plenitúdo nondùm adeſt vobis. Ille ergo teſtimónium perhibébit de me, & vos perhibébitis: dabit enim vobis fidúciam teſtimónium perhibéndi cáritas Dei diffúſa in córdibus veſtris, per Spíritum ſanctum qui dábitur vobis.

℟. iij. Ante me non eſt formátus Deus; & poſt me non erit. * Ego ſum, ego ſum Dóminus, & non eſt abſque me Salvátor, allelúia. *Iſ.* 43. 10. 11. ℣. Vos teſtimónium perhibébitis, quia ab inítio mecum eſtis. *Joan.* 15. 27. * Ego ſum. Glória. * Ego ſum.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

Capitulum. *Eph.* 2. 21. 22.

In Chriſto Jeſu, omnis ædificátio conſtrúcta creſcit in templum ſanctum in Dómino, in quo & vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu.

Hymnus. Parta tuis labóribus, *p.* 370.

℣. Dóminus, *p.* 371.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. *a.* Noſtra convérſatio in cœlis eſt, unde étiam Salvatórem expectámus Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, allelúia. *Philipp.* 3. 20.

Oratio.

Da, quæſumus, omnípotens Deus, illuc ſúbſequi tuórum membra fidélium, quò Caput noſtrum Principiúmque præcéſſit, Dóminus noſter Jeſus Chriſtus Fílius tuus; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus. Per ómnia, &c.

Non fit alia Commemoratio Aſcenſionis.

AD PRIMAM.

Non dicitur Symbolum, Quicúmque.

AD VESPERAS.

Capitulum. 1. *Petr.* 4. 11.

IN ómnibus honorificétur Deus, per Jeſum Chriſtum, cui eſt glória & impérium in sécula ſeculórum. Amen.

Hymnus. Promíſſa, tellus, cóncipe gaúdia, *p.* 372.

℣. Excélſus, *p.* 373.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Dixit Jeſus: Spíritus veritátis qui à Patre procédit, teſtimónium perhibébit de me, allelúia. *Joan.* 15. 26.

Oratio, Da, quǽſumus, omnípotens Deus, *ſuprà ad Laudes*, *p.* 379.

Non ſit alia Commemoratio Aſcenſionis.

FERIA SECUNDA INTRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Pſalmi notati pro III. Nocturno Feriæ II. p. 29.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio I. *c.* 14. *v.* 13. *ad* 16.

AUdívi vocem de cœlo, dicéntem mihi: Scribe: Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur. Amodò jam dicit Spíritus, ut requiéſcant à labóribus ſuis: ópera enim illórum ſequúntur illos. Et vidi, & ecce nubem cándidam, & ſuper nubem ſedéntem ſímilem Fílio hóminis, habéntem in cápite ſuo corónam aúream, & in manu ſua falcem acútam. Et álius Angelus exívit de templo clamans voce magnâ ad ſedéntem ſuper nubem: Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora ut metátur, quóniam áruit meſſis terræ. Et miſit qui ſedébat ſuper nubem, falcem ſuam in terram, & deméſſa eſt terra.

℟. *j.* Regna, *p.* 374.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebrǽos.

Lectio II. *c.* 6. *v.* 13. *ad finem.*

ABrahæ promíttens Deus, quóniam néminem hábuit, per quem juráret, majórem, jurávit per ſemetípſum, dicens: Niſi benedícens benedícam te, & multíplicans multiplicábo te. Et ſic longanímiter ferens, adéptus eſt repromiſſiónem. Hómines enim per majórem ſuî jurant, & omnis controvérſiæ eórum finis, ad confirmatiónem, eſt juraméntum. In quo abundántiùs volens Deus oſténdere pollicitatiónis hærédibus immobilitátem consílii ſui, interpóſuit jusjurándum: ut per duas res immóbiles, quibus impoſſíbile eſt mentiri Deum, fortíſſimum ſolátium habeámus, qui confúgimus ad tenéndam propóſitam ſpem, quam ſicut ánchoram habémus ánimæ tutam ac firmam, & incedéntem uſque

ad interióra velàminis : ubi præcúrſor pro nobis introívit Jeſus, ſecúndùm órdinem Melchíſedech, Póntifex factus in ætérnum.

℟. ij. Conſtituíſti eum, *p.* 375.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 261. n. 1.

LECTIO III.

RESurréctio Dómini, ſpes noſtra : Aſcénſio Dómini, glorificátio noſtra. Aſcenſiónis enim hódie Solémnia celebrámus. Si ergo rectè, ſi fidéliter, ſi devótè, ſi ſanctè, ſi piè Aſcenſiónem Dómini celebrámus, aſcendámus cum illo, & ſursùm cor habeámus. Aſcendéntes autem non extollámur, nec de noſtris, quaſi de própriis méritis præſumámus. Sursùm enim cor habére debémus, ſed ad Dóminum. Sursùm enim cor, non ad Dóminum, ſupérbia vocátur : ſursùm autem cor ad Dóminum, refúgium vocátur. Illi enim dícimus qui aſcéndit : Dómine, refúgium factus es nobis. Reſurréxit enim, ut ſpem nobis daret, quia reſúrgit quod móritur, ne moriéndo deſperarémus, & totam vitam noſtram morte finítam putarémus. Sollíciti enim erámus de ipſa ánima : & ille nobis, reſurgéndo, & de carne ſecuritátem dedit.

℟. iij. *Cantent in viis Dómini, p.* 375.

FERIA TERTIA INTRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Pſalmi notati pro III. Nocturno Feriæ III. p. 45.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

LECTIO I. *c.* 19. *v.* 4. *ad* 9.

CEcidérunt ſeniòres vigínti quátuor, & quátuor animália, & adoravérunt Deum ſedéntem ſuper thronum, dicéntes : Amen : Allelúia. Et vox de throno exívit, dicens : Laudem dícite Deo noſtro, omnes ſervi ejus : & qui timétis eum, puſílli & magni. Et audívi quaſi vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquárum multárum, & ſicut vocem tonitruórum magnórum dicéntium : Allelúia ; quóniam regnávit Dóminus Deus noſter omnípotens. Gaudeámus, & exultémus, & demus glóriam ei, quia venérunt núptiæ Agni, & uxor ejus præparávit ſe. Et datum eſt illi, ut coopériat ſe býſſino ſplendénti & cándido. Býſſinum enim, juſtificatiónes ſunt ſanctórum. Et dixit mihi : Scribe : Beáti qui ad cœnam nuptiárum Agni vocáti ſunt. Et dicit mihi : Hæc verba Dei vera ſunt.

℟. j. Dómine, *p.* 376.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

LECTIO II. *c.* 8. *v.* 1. *ad* 6.

TAlem habémus Pontíficem, qui conſédit in déxtera ſedis magnitúdinis

in cœlis, ſanctórum miníſter & tabernáculi veri, quod fixit Dóminus, & non homo. Omnis enim Póntifex ad offeréndum múnera & hóſtias conſtitúitur: unde necéſſe eſt, & hunc habére áliquid quod ófferat. Si ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet Sacérdos: cùm eſſent qui offérrent ſecúndùm legem múnera, qui exemplári & umbræ desérviunt cœléſtium. Sicut reſpónſum eſt Móyſi, cùm conſummáret tabernáculum: Vide, inquit; ómnia fácito ſecúndùm exémplar quod tibi oſténſum eſt in monte. Nunc autem mélius ſortítus eſt miniſtérium, quantò & melióris Teſtaménti mediátor eſt, quod in melióribus repromiſſiónibus ſancítum eſt.

℟. ij. Ego, *p.* 378.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Serm. 72. *De Aſcenſ.* 2. *Cap.* 2. 3.

LECTIO III.

QUod Redemptóris noſtri conſpícuum fuit, in ſacraménta tranſívit: & ut fides excelléntior eſſet ac firmior, viſióni doctrína ſuccéſſit, cujus autoritátem, ſupérnis illumináta rádiis, credéntium corda ſequeréntur. Hanc fidem Aſcenſióne Dómini auctam, & Spíritûs ſancti múnere roborátam, non víncula, non cárceres, non exília, non fames, non ignis, non laniátus ferárum, nec exquiſíta perſequéntium crudelitátibus ſupplícia terruérunt. Pro hac fide per univérſum mundum non ſolùm viri, ſed étiam féminæ; nec tantùm ímpubes púeri, ſed étiam téneræ vírgines, uſque ad effuſiónem ſui ſánguinis decertárunt. Hæc fides dæmónia ejécit, ægritúdines dépulit, mórtuos ſuſcitávit. Unde & ipſi beáti Apóſtoli tantùm de Aſcenſióne Dómini profecérunt, ut quidquid illis priùs intúlerat metum, verterétur in gaúdium. Totam enim contemplatiónem ánimi in Divinitátem ad Patris déxteram conſedéntis eréxerant.

℟. iij. Dóminus, *p.* 377.

FERIA QUARTA INTRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Pſalmi notati pro III. Nocturno Feria IV. p. 61.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

LECTIO I. *c.* 19. *v.* 11. *ad* 16.

VIdi cœlum apértum, & ecce equus albus, & qui ſedébat ſuper eum, vocabátur Fidélis & Verax, & cum juſtítia júdicat & pugnat. Oculi autem ejus ſicut flamma ignis, & in cápite ejus diadémata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo novit niſi ipſe. Et veſtítus erat veſte aſpérſâ ſánguine: & vocátur nomen ejus, Verbum Dei. Et exércitus qui ſunt in cœlo

ſequebántur eum in equis albis, veſtíti býſſino albo & mundo. Et de ore ejus procédit gládius ex utráque parte acútus : ut in ipſo percútiat gentes. Et ipſe reget eas in virga férrea : & ipſe calcat tórcular vini furóris iræ Dei omnipoténtis. Et habet in veſtiménto & in fémore ſuo ſcriptum : Rex regum, & Dóminus dominántium.

℟. *j.* Abiérunt, *p.* 378.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebrǽos.

LECTIO II. *c.* 12. *v.* 18. *ad* 25.

NOn acceſſíſtis ad tractábilem montem, & accensíbilem ignem, & túrbinem, & calíginem, & procéllam, & tubæ ſonum, & vocem verbórum, quam qui audiérunt, excuſavérunt ſe, ne eis fieret verbum. Non enim portábant quod dicebátur : Et ſi béſtia tetígerit montem, lapidábitur. Et itá terríbile erat quod videbátur. Móyſes dixit : Extérritus ſum & tremebúndus. Sed acceſſíſtis ad Sion montem, & civitátem Dei vivéntis, Jerúſalem cœléſtem, & multórum míllium Angelórum frequéntiam, & Eccléſiam primitivórum qui conſcripti ſunt in cœlis, & Júdicem ómnium Deum, & ſpíritus juſtórum perfectórum, & *Teſtaménti novi* Mediatórem *Jeſum*, & ſánguinis *aſperſiónem* mélius loquéntem quàm Abel. Vidéte ne recusétis loquéntem. Si enim illi non effugérunt, recusántes eum qui ſuper terram loquebátur, multò magìs nos, qui de cœlis loquéntem nobis avértimus.

℟. *ij.* Efférte, *p.* 378.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Serm. De Aſcenſ. Dom.

LECTIO III.

CHriſtus aſcéndens in cœlum, noſtræ natúræ primítias óbtulit Patri : & oblátum donum mirátus eſt Pater, quod & tanta dígnitas offerébat, & quod offerebátur, nullâ máculâ fœdabátur. Nam & ſuis mánibus ſuſcépit oblátum, & ſuæ ſedis fecit eſſe partícipem : & quod plus eſt, ad partem ſuæ déxteræ collocávit. Cognoſcámus quis eſt ille qui audívit : Sede ad déxteram meam : quæ natúra eſt cui Deus dixit : Eſto meæ párticeps ſedis ? Illa natúra eſt quæ audívit : Terra es, & in terram ibis. Non enim ad omnem glóriam cœlos tranſíſſe ſufféceerat, non cum Angelis ſtare : ſed cœlos tranſívit, ſupra Chérubim aſcéndit, ultra Séraphim elevátur, nec antè ſtetit, nisì ſedem Domínicam meruíſſet.

℟. *iij.* Confitémini Dómino, quóniam bonus : * Quóniam in séculum miſericórdia ejus, allelúia. Pſ. 117. 1. ℣. In ipſo complácuit omnem plenitúdine

inhabitáre, & per eum reconciliáre ómnia in ipſum. *Coloſſ.* 1. 19. 20. * Quóniam. Glória. * Quóniam.

IN OCTAVA ASCENSIONIS DOMINI.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 7. *toni d.*

EGo ſum Princípium & Finis, dicit Dóminus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui ventúrus eſt, Omnípotens, allelúia. *Apoc.* 1. 8.

Ant. 8. G. Congregábo omnes gentes, & dedúcam eas in vallem Jóſaphat, & diſceptábo cum eis, allelúia. *Joël.* 3. 2.

Ant. 1. a. Consúrgant, & aſcéndant gentes in vallem Jóſaphat: quia ibi ſedébo, ut júdicem omnes gentes, allelúia. *Joël.* 3. 12.

Ant. 3. g. Ecce vénio citò, & merces mea mecum eſt, réddere unicuíque ſecúndùm ópera ſua, allelúia. *Apoc.* 22. 12.

Ant. 6. F. Ecce vénio ſicut fur: beátus qui vígilat, & cuſtódit veſtiménta ſua! allelúia. *Apoc.* 16. 15.

CAPITULUM. *Iſ.* 66. 18.

VEnio, ut cóngregem cum ómnibus géntibus & linguis; & vénient, & vidébunt glóriam meam, dicit Dóminus.

℟. Ecce Dóminus in igne *véniet*, * Et quaſi turbo *quadrígæ* ejus, réddere in *indignatióne* furórem ſuum, & increpatiónem ſuam in flamma ignis, allelúia. *Iſ.* 66. 15. ℣. Hic Jeſus qui aſſúmptus eſt à vobis in cœlum, ſic véniet. * Et quaſi. *Act.* 1. 11. Glória. * Et quaſi.

HYMNUS.

SENSUS quis horror pércutit?
Cœlum profúndum ſcínditur;
Chriſtum ſedéntem núbibus,
Hinc inde ſtipant ágmina.

FERALIS ad ſonum tubæ,
Mors juſſa reddit mórtuos;
Quos ad tribúnal Júdicis
Urgent coáctos Angeli.

PIOS locans ad déxteram,
Repéllet ad lævam reos:
Novit gregem Paſtor ſuum,
Oves ab hœdis ſégregat.

AD Júdicis ſedent latus,
Quicúmque, ſpretis ómnibus,
Fugére mundum paúperes,
Deum ſecúti paúperem.

CRUX, antè Judǽis probrum,
Ludíbrium crux Géntibus,
Terror reis, probis amor,
Summo micábit æ̃there.

FIXERE quem diræ trabi,
Cernent, pavébunt, íngement.
Vultu beábit quo ſuos,
Hoc territábit ímpios.

VENTURE Judex ſéculi,
Jeſu, tibi ſit glória;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Parávit in judício thronum ſuum: ℟. Et ipſe judicábit orbem terræ in æquitáte. *Pſ.* 9. 8. 9.

Ad Magníficat. *Ant.* 1. f. Deus ſtátuit diem, in quo judicatúrus eſt orbem in æquitáte, in viro in quo ſtátuit, fidem præbens ómnibus, súſcitans eum à mórtuis, allelúia. *Act.* 17. 31.

Oratio.

OMnípotens Deus, qui ad ætérnam vitam in Chriſti reſurrectióne nos reparáſti, érige nos ad conſedéntem in déxtera tua noſtræ ſalútis Autórem; ut qui propter nos judicándus advénit, pro nobis judicatúrus advéniat, idem Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter; Qui tecum.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Júdicem vivórum & mortuórum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Act.* 10. 42.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

HYMNUS.

O Plenus irárum dies!
Dies furóris últimi,
Quo ſtabit immutábilis
Decréta ſors mortálium!

Reos pavéntes óbruet
Treménda Majéſtas Dei;
Pœnas feréntem víndices
Quis ſuſtinébit Júdicem!

Scriptus notis fatálibus
Hîc explicábitur liber:
Quod antè commíſſum fuit,
Hâc lance ponderábitur.

Quod multa nox celáverat,
Pleno patébit lúmine;
Et cónſcius ſibi reus,
In ſe feret ſenténtiam.

Tunc, Chriſte, ſis placábilis;
Oppóne te totum tibi:
Ultóris exárment manus
Suſcépta pro me vúlnera.

Jesu, tuo vel Nómine,
Qui prǽdicas cleméntiam,
Cum Patre, & almo Spíritu,
Jugis tibi ſit glória. Amen.

Pſalmi notati pro III. Nocturno Feria V. p. 77.

Ant. 5. a. Sicut fulgur corúſcans de ſub cœlo, in ea quæ ſub cœlo ſunt, fulget, ità erit Fílius hóminis in die ſua, allelúia. *Luc.* 17. 24.

Ant. 8. G. De die illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlórum, niſì ſolus Pater, allelúia. *Matt.* 24. 36.

Ant. 2. D. Tunc vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus, cum virtúte multa & glória, allelúia. *Marc.* 13. 26.

℣. Cùm exárſerit in brevi ira ejus, ℟. Beáti omnes qui confídunt in eo! *Pſ.* 2. 13.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio I. *c.* 20. *v.* 11. *ad finem.*

VIdi thronum magnum cándidum, & ſedéntem ſuper eum, à cuju

conſpéctu fugit terra & cœlum, & locus non eſt invéntus eis. Et vidi mórtuos, magnos & puſíllos, ſtantes in conſpéctu throni, & libri apérti ſunt: & álius liber apértus eſt, qui eſt vitæ, & judicáti ſunt mórtui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecúndum ópera ipsórum. Et dedit mare mórtuos qui in eo erant: & mors & inférnus dedérunt mórtuos ſuos qui in ipſis erant: & judicátum eſt de ſíngulis, ſecúndum ópera ipsórum. Et inférnus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecúnda. Et qui non invéntus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.

℞. *j.* Introíbunt in ſpelúncas petrárum & in vorágines terræ, à fácie formídinis Dómini, & à glória Majeſtátis ejus, * Cùm ſurréxerit percútere terram, allelúia. *Iſ.* 2. 19. ℣. Ecce venit cum núbibus, & vidébit eum omnis óculus. *Apoc.* 1. 7. * Cùm ſurréxerit.

Sermo ſancti Leónis Papæ.
Serm. 8. *De Collect.* & *Eleemoſ.* 4. *Cap.* 2.

LECTIO II.

VEniet in majeſtátis ſuæ glória Dóminus, ſicut ipſe prædíxit: aderítque cum eo rádians in ſplendóribus ſuis, innumerábilis Angelicárum multitúdo legiónum. Congregabúntur ante thronum poténtiæ ejus ómnium géntium pópuli: & quidquid hóminum univérſis ſéculis toto orbe terrárum progénitum eſt, in conſpéctu Judicántis adſtábit. Separabúntur ab injúſtis juſti, à nocéntibus innocéntes: & cùm præparátum ſibi regnum, recenſítis miſericórdiæ opéribus, filii pietátis accéperint, exprobrábitur durítia ſterilitátis injúſtis: & nihil habéntes ſiníſtri commúne cum dextris, in ignem ad diáboli & angelórum ejus torménta diſpóſitum, omnipoténtis Júdicis damnatióne mitténtur, cum illo habitúri pœnæ communiónem, cujus elegérunt fácere voluntátem. Quis ígitur iſtam ſortem æternórum cruciátuum non pavéſcat? Quis mala nunquam finiénda non tímeat? Sed cùm ídeò denuntiáta ſit ſevéritas, ut miſericórdia quærerétur; in diébus præséntibus cum miſericórdiæ eſt largitáte vivéndum, ut hómini poſt periculóſam negligéntiam ad pietátis ópera reverténti, poſſíbile ſit ab hac ſenténtia liberári. Hoc enim agit poténtia Júdicis, hoc grátia Servatóris, ut relínquat ímpius vias ſuas, & ab iniquitátis ſuæ conſuetúdine peccátor abſcédat.

℞. ij. Ululáte in monte ſancto meo; conturbéntur omnes habitatóres terræ: * Quia venit dies Dómini

quia propè eſt, dies tenebrárum & calíginis, dies nubis & túrbinis, allelúia. *Joël.* 2. 1. 2. ℣. Cœli magno ímpetu tránſient, eleménta verò calóre ſolvéntur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt ópera, exuréntur. 2. *Petr.* 3. 10. * Quia.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio III. *c.* 24. *v.* 44. *ad fin.*

Promiſſum Spiritûs ſancti mittendi.

DIxit Jeſus ad diſcípulos ſuos: Hæc ſunt verba quæ locútus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobíſcum. Et réliqua.

Homília ſancti Juſtíni Mártyris.

Apol. 1. *ad Anton. Pium. Anno* 150. n. 51. 52.

QUómodo in cœlum aſcensúrum eſſe Chriſtum prædíctum ſit, audíte. Sic enim dictum eſt: Tóllite portas cœlórum; aperímini, ut ingrediátur Rex glóriæ. Quis eſt iſte Rex glóriæ? Dóminus fortis, & Dóminus potens. Quómodo autem & de cœlis ventúrus ſit cum glória, audíte quæ ea de re dicta ſunt per Jeremíam Prophétam. Sic autem ſe habent: Ecce tanquam Fílius hóminis vénit in núbibus cœli, & Angeli ejus cum eo. Quóniam igitur quæ evenérunt, jam ómnia oſténdimus prædícta, ántequàm evenírent, per Prophétas fuíſſe, necéſſe eſt & ea, quæ ſimíliter prædícta ſunt, ac aliquándo evénient, omnínò eventúra crédere. Quemádmodum enim ea quæ jam evenérunt, prædícta & ignoráta venérunt: ità & quæ ſupérſunt, quamvis ignoréntur ac non credántur, evénient. Duos enim illíus advéntus prædixérunt Prophétæ: unum quidem, qui jam exhíbitus eſt, tanquam deſpécti & paſsíbilis hóminis, álterum autem, quando cum glória è cœlis unà cum Angélico ipsíus exércitu adventúrus prædicátur: quando & córpora exſuſcitábit ómnium quicúmque extitérunt hóminum: ac dignórum quidem córpora índuet incorruptióne, iniquórum autem in perpétuo ſenſu cum pravis dæmónibus in ignem ætérnum mittet.

℟. iij. Mea eſt últio; & ego retríbuam in témpore, ut labátur pes eórum: * Juxtà eſt dies perditiónis, & adéſſe feſtínant témpora, allelúia. *Deut.* 32. 35. ℣. Necéſſe eſt impléri ómnia quæ ſcripta ſunt in Lege Móyſi, & Prophétis, & Pſalmis de me. *Luc.* 24. 44. * Juxtà. Glória. * Juxtà.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Sediſti ſuper thronum, Dómine. ℟. Qui júdicas juſtítiam *Pſ.* 9. 5.

Ant. 6. F. Advénit ira tua, Dómine, & tempus mortuórum judicári, & réddere mercédem ſervis tuis, allelúia. *Apoc.* 11. 18.

Ant. 4. f. Quis in conſpéctu tuo véniet, vindex iniquórum hóminum? allelúia. *Sap.* 12. 12.

Ant. 3. c. Omnem linguam reſiſténtem tibi in judício judicábis, allelúia. *Iſ.* 54. 17.

Ant. 1. f. Neque rex.

CANTICUM. *Apoc. c.* 15. *v.* 3. *ad* 4.

Quàm metuendus Deus Judex.

MAgna & mirabília ſunt ópera tua, * Dómine, Deus omnípotens.

Juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, * Rex ſeculórum.

Quis non timébit te, Dómine, & magnificábit nomen tuum? * quia ſolus pius es.

Quóniam omnes gentes vénient, & adorábunt in conſpéctu tuo; * quóniam judícia tua maniféſta ſunt.

Glória Patri.

Ant. Neque rex, neque tyránnus in conſpéctu tuo inquírent de his quos perdidíſti, allelúia. *Sap.* 12. 14.

Ant. 8. G. Etiam, Dómine, Deus omnípotens, vera & juſta judícia tua, allelúia. *Apoc.* 16. 7.

CAPITULUM. *Hebr.* 9. 27. 28.

QUemádmodum ſtatútum eſt homínibus ſemel mori, poſt hoc autem judícium; ſic & Chriſtus ſemel oblátus eſt, ad multórum exhauriénda peccáta: ſecúndò ſinè peccáto apparébit expectántibus ſe, in ſalútem.

HYMNUS.

O CHRISTE, quæ qualis dies!
Dies treménda sóntibus,
Cùm ſede deſcéndens tuâ,
Ultor redíbis críminum!

DAMNATUS inſons à reis,
Partes reſúmes Júdicis:
Ad ora cóntrement tua
Disjudicándi júdices.

UT morte dignos ſólveres,
Vitam profudíſti volens:
Cui mors Dei non próderit,
Vindícta qualis ímminet!

QUEM noxa lethális premit,
Prævértat iram Núminis;
Largíſque prudens débitos
Extínguat ignes flétibus.

FAC, Chriſte, ne mores bonos
Contáge mundus ínquinet:
Secérne nos ab ímprobis,
Ne miſceámur sóntibus.

VENTURE Judex séculi,
Jeſu, tibi ſit glória;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula. Amen.

℣. Deus maniféſtè véniet: ℟. Deus noſter, & non ſilébit. *Pſ.* 49.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D.* Judicábis ſervos tuos, Dómine, condémnans ímpium, & reddens viam ſuam

ſuper caput ejus, juſtificánſque juſtum, & retribuens ei ſecúndùm juſtítiam ſuam, allelúia. 3. *Reg*. 8. 32.

Oratio.

OMnípotens Deus, qui ad ætérnam vitam in Chriſti reſurrectióne nos reparáſti, érige nos ad conſedéntem in déxtera tua noſtræ ſalútis Autórem; ut qui propter nos judicándus advénit, pro nobis judicatúrus advéniat, idem Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter; Qui tecum.

AD HORAS, *Doxologia*.

VENTURE Judex séculi,
Jeſu, tibi ſit glória;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. Advénit.

CAPITULUM. *Judæ*. v. 14. 15.

ECce venit Dóminus in Sanctis míllibus ſuis, fácere judícium contra omnes, & argúere omnes ímpios, de ómnibus opéribus impietátis eórum.

In ℟. *brevi*. ℣. Qui judicatúrus es orbem in æquitáte. *Act*. 17. 31.

AD TERTIAM.

Ant. Quis.

CAPITULUM. *Apoc*.6. 16. 17.

DIcunt móntibus & petris: Cádite ſuper nos, & abſcóndite nos à fácie ſedéntis ſuper thronum, & ab ira Agni: quóniam venit dies magnus iræ ipsórum.

℟. *breve*. Dóminus regnávit, decórem indútus eſt, * Allelúia, allelúia. ℟. Dóminus. ℣. Indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcínxit ſe. * Allelúia. Glória. ℟. Dóminus. *Pſ*. 92. 1.

℣. Annuntiábunt cœli juſtítiam ejus; ℟. Quóniam Deus Judex eſt. *Pſ*. 49. 6.

AD SEXTAM.

Ant. Omnem.

CAPITULUM. 2. *Cor*. 5. 10.

OMnes nos manifeſtári opórtet ante tribúnal Chriſti, ut réferat unuſquíſque própria córporis, próut geſſit, ſive bonum, ſive malum.

℟. *breve*. Advocábit cœlum desúrsùm, * Allelúia, allelúia. ℟. Advocábit. ℣. Et terram, diſcérnere pópulum ſuum. * Allelúia. Glória. ℟. Advocábit. *Pſ*. 49. 4.

℣. Reddes unicuíque, Dómine, ℟. Juxta ópera ſua. *Pſ*. 61. 13.

AD NONAM.

Ant. Etiam.

CAPITULUM. 2. *Petr*. 3. 13.

NOvos cœlos & novam terram ſecúndùm promíſſa Dómini expectámus, in quibus juſtítia hábitat.

℟. *breve*. Judicábit Dóminus pópulum ſuum, * Allelúia, allelúia. ℟. Judicábit. ℣. Et in ſervis ſuis d

precábitur. * Allelúia. Glória. ℟. Judicábit. *Pſ.* 134. 14.

℣. Corréxit orbem terræ, qui non commovébitur; ℟. Judicábit pópulos in æquitáte. *Pſ.* 95. 10.

AD VESPERAS.

Ant. 1. f. In die illa, erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, & ſertum exultatiónis resíduo pópuli ſui, allelúia. *Iſ.* 28. 5.

Ant. 2. D. Manifeſtábit consília córdium; & tunc laus erit unicuíque à Deo, allelúia. 1. *Cor.* 4. 5.

Ant. 3. *a.* Abſtérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum; & mors ultrà non erit, allelúia. *Apoc.* 21. 4.

Ant. 7. c. Servi ejus sérvient illi, & vidébunt fáciem ejus: & nomen ejus in fróntibus eórum; & nox ultrà non erit, allelúia. *Apoc.* 22. 3. 4. 5.

Ant. 8. G. Noviſſima autem inimíca deſtruétur mors, allelúia. 1. *Cor.* 15. 26.

CAPITULUM. 1. *Joan.* 2. 28.

FIlíoli, manéte in Dómino, ut cùm apparúerit, habeámus fidúciam, & non confundámur ab eo in advéntu ejus.

HYMNUS.

QUALIS decet te sánctitas,
Qui ſic tuos probas, Deus!
Cur longa poſt ſuſpíria,
Adhuc negas te cérnere?

UT dira quem premit ſitis,
Ardens aquas cervus petit,
Sic quos amor rapit tuî,
Ardent, anhélant te frui.

NECTIS moras amántibus
Quos igne multo pérficis:
Judex modò, modò pater,
Utrúmque munus ſúſtines.

SI quæ piáti críminis
Adhuc manent veſtígia,
Mundi ſcelus qui díluis,
Tuo cruóre díluas.

NOS, membra qui ſumus tua,
Jungas tuo nos córpori,
Partos tuis altáribus,
Menſis ſupérnis éxcipe.

VENTURE Judex ſéculi,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Læténtur omnes qui ſperant in te, Dómine; ℟. In ætérnum exultábunt. *Pſ.* 5. 12.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. A. Cùm ſubjécta fúerint illi ómnia, tunc & ipſe Fílius ſubjéctus erit ei qui ſubjécit ſibi ómnia, ut ſit Deus ómnia in ómnibus, allelúia. 1. *Cor.* 15. 28.

Oratio.

OMnípotens Deus, qui ad ætérnam vitam in Chriſti reſurrectióne nos reparáſti, érige nos ad conſedéntem in déxtera tua noſtræ ſalútis Autórem; ut qui propter nos judicándus advénit, pro nobis judicatúrus advéniat, idem Jeſus Chriſtus Fílius tuus Dóminus noſter; Qui tecum.

Si quod Feſtum Duplex minus, aut ſuprà, occurrerit

debeat in Vigilia, vel intra Octavam Pentecoſtes, de eo fiet die craſtinâ, & hodie de eo fiet Commemoratio in Veſperis, nisì ſit Solemne minus, aut ſuprà; tunc enim Veſperæ integræ erunt de eo, cum Commemoratione diei Octavæ.

Itémque Feſtum ſolemne majus SS. Donatiani & Rogatiani, ſi nondum dies 24 Maii advenerit.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. In illa nocte erunt duo in lecto uno: unus aſſumétur, & alter relinquétur, allel. *Luc.* 17.34.

Hymnus. Jam Chriſtus, *p.* 373.

CAPITULUM. *Apoc.* 14. 7.

TImére Dóminum, & date illi honórem; quia venit hora judícii ejus.

℟. *breve.* In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 3. *à.* Beáti ſervi illi, quos, cùm vénerit Dóminus, invénerit vigilántes, allelúia. *Luc.* 12. 37.

Oratio.

DA, quæſumus, omnípotens Deus, mentes noſtras & corda noſtra in eo requiéſcere, quem ad déxteram tuam ſedéntem adorámus Mediatórem noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum; Qui tecum.

FERIA SEXTA POST OCTAVAM ASCENSIONIS DOMINI.

De Feſto Duplici occurrente aut anticipato fiet cum Commemoratione Feriæ in Laudibus & Veſperis. De Semiduplici verò, aut Simplici fiet tantùm Commemoratio.

Omnia ut in diebus intra Octavam Aſcenſionis Domini.

Pſalmi notati pro III. Nocturno Feriæ VI. p. 91.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

LECTIO I. *c.* 21. *v.* 9. *ad* 14.

VEnit unus de ſeptem Angelis habéntibus phíalas plenas ſeptem plagis noviſſimis, & locútus eſt mecum, dicens: Veni & oſténdam tibi Sponſam uxórem Agni. Et ſúſtulit me in ſpíritu in montem magnum & altum, & oſténdit mihi civitátem ſanctam Jerúſalem, deſcendéntẽ de cœlo à Deo, habéntem claritátem Dei, & lumen ejus símile lápidi pretióſo, tanquam lápidi jáſpidis, ſicut cryſtállum. Et habébat murum magnum & altum, habéntem portas duódecim, & in portis Angelos duódecim, & nómina inſcrípta, quæ ſunt nómina duódecim tríbuum filiórum Iſraël. Ab Oriénte portæ tres, & ab Aquilóne portæ tres, & ab Auſtro portæ tres, & ab Occáſu portæ tres. Et murus civitátis habens fundaménta duódecim, & in ipſis duódecim nómina duódecim Apoſtolórum Agni.

℟. j. Regna, p. 374.

R 4

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebrǽos.

Lectio II. *c.* 13. *v.* 8. *ad* 15.

JEſus Chriſtus, heri, & hódie: ipſe & in sécula. Doctrínis váriis & peregrínis nolíte abdúci. Optimum eſt enim grátiâ ſtabilíre cor, non eſcis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent poteſtátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur ſanguis pro peccáto in Sancta per Pontíficem, horum córpora cremántur extra caſtra. Propter quòd & Jeſus, ut ſanctificáret per ſuum ſánguinem pópulum, extra portam paſſus eſt. Exeámus igitur ad eum extra caſtra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hîc manéntem civitátem, ſed futúram inquírimus. Per ipſum ergo offerámus hóſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiórum confiténtium nómini ejus.

℟. *ij.* Conſtituíſti, *p.* 375.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Comm. in Act. Apoſt. Hom. 1.

Lectio III.

QUare Spíritus ſanctus non advénit cùm adhuc adéſſet Dóminus, aut mox *ab illíus* diſcéſſu? ſed ipſe *quidem* ábiit die quadragé*ſimo, Spíritus* autem advénit cùm compleretur dies quinquagéſimus? At ſi nondùm advénerat, quómodo ſtat quod díxerat: Accípite Spíritum ſanctum? Nimírùm, ut eos capáces rédderet & idóneos accipiéndo Spirítui. Etenim ſi Dániel Angelum visúrus, ſemótus eſt; multò magìs hos decébat ſecédere, tanquam Dei donum acceptúros. Licétne eo modo quæſtiónem sólvere? An ſic pótiùs accipiéndum eſt, quòd de eo quod futúrum erat, perínde quaſi jam factum eſſet, ſit locútus, velut cùm ait: Calcáte ſerpéntes, & ſcorpiónes, & omnem virtútem inimíci? Cur ígitur non tum prótinùs advénit Spíritus? Oportébat illos deſidério promíſſi tenéri, atque ità donum accípere. Ideóque cùm ipſe digréſſus eſſet, tum advénit Spíritus. Qui ſi veníſſet, eo præséntè, non habuíſſet illos tam ardens expectátio.

℟. *iij.* Cantent in viis, *p.* 375.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. *a.* Noſtra conversátio in cœlis eſt, unde étiam salvatórem expectámus Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, allelúia. *Philipp.* 3. 20.

Oratio.

DEus, qui nos Reſurrectiónis & Aſcenſiónis Domínicæ Solémnia celebráre feciſti; da nobis famulis tuis, ut & adveniéntis ſancti Spíritûs grátiam

purificátis méntibus ſuſcípere mereámur; Per eúmdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat, in unitáte ejúſdem Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia.

Hæc Oratio dicitur ad Horas.

AD PRIMAM *non dicuntur Preces.*

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Præcépit Jeſus Apóſtolis, ab Jeroſólymis ne diſcéderent, ſed expectárent promiſſiónem Patris, allelúia. *Act.* 1. 4.

Oratio, Deus, qui nos Reſurrectiónis, *ſuprà*, *ad Laudes*, *p.* 392.

COMPLETORIUM, *ut intra Octavam Aſcenſionis.*

SABBATO IN VIGILIA PENTECOSTES.

Ab hac Vigilia incluſivè, ad Dominicam I. poſt Pentecoſten, etiam incluſivè, non fit Officium de ullo Feſto, ſed quodlibet occurrens, anticipatur, ut dictum eſt ſuprà, p. 390. *exceptis Semiduplicibus & Simplicibus, de quibus fit Commemoratio in Laudibus hujus Vigiliæ tantùm.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Sedéntem ad déxteram Majeſtátis in excélſis, * Veníte, adorémus, allelúia. *Hebr.* 1. 3.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

HYMNUS.

TESTES novæ victóriæ
Quâ, Chriſte, ſcandis æthera,
Jubes in urbem flámmeo
Pergant repléndi Spíritu.

PROMPTI ſacrátis cógitant
Celáre ſe recéſſibus;
Terræque curis líberi,
Cœlo peróptant vívere.

JAM junctus uno péctore,
Unâ domo grex júngitur;
Votíſque fuſis ſæpiùs,
Inſert Deo vim ſúpplicem.

UNO labórat ímpetu,
Supérna clauſtra rúmpere;
Quibus ſolútis, ígneus
Fecúndet imber péctora.

TURBÆ precánti júngimur:
Tu, Chriſte, vota ſúſcipe;
Et mitte quem miſsúrus es,
Cor innovántem Spíritum.

SIT laus Patri; laus Fílio,
Patris ſedénti déxterâ;
Qui nos fovébis flámine,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Pſalmi notati pro III. Nocturno Sabbati, p. 106.

Ant. ſola. 1. a. Clamábat Jeſus: Qui credit in me, ſicut dicit Scriptúra, flúmina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: hoc autem dixit de Spíritu quem acceptúri erant credéntes in eum, allelúia. *Joan.* 7. 38. 39.

℣. Viſitáſti terram, Dómine, & inebriáſti eam

℟. Multiplicáſti locupletáre eam. *Pſ.* 64. 10.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio I. *c.* 22. *v.* 1. *ad* 10.

OSténdit mihi Angelus flúvium aquæ vitæ, ſpléndidum tanquam cryſtállum, procedéntem de ſede Dei & Agni. In médio platéæ ejus, & ex utráque parte flúminis, lignum vitæ, áfferens fructus duódecim, per menſes ſíngulos reddens fructum ſuum, & fólia ligni ad ſanitátem Géntium. Et omne maledíctum non erit ámpliùs: ſed ſedes Dei & Agni in illa erunt, & ſervi ejus sérvient illi. Et vidébunt fáciem ejus: & nomen ejus in fróntibus eórum. Et nox ultrà non erit: & non egébunt lúmine lucérnæ neque lúmine ſolis, quóniam Dóminus Deus illuminábit illos, & regnábunt in sécula ſeculórum. Et dixit mihi: Hæc verba fideliſſima ſunt & vera. Et Dóminus Deus ſpiríτuum Prophetárum miſit Angelum ſuum, oſténdere ſervis ſuis quæ opórtet fieri citò. Et ecce vénio velóciter. Beátus qui cuſtódit verba Prophetíæ libri hujus! Et ego Joánnes, qui audívi & vidi hæc. Et poſtquàm audíſſem & vidíſſem, cécidi ut adorárem ante pedes Angeli qui mihi hæc oſtendébat. Et dixit mihi: Vide ne féceris; consérvus tuus ſum, & fratrum tuórum Prophetárum, & eórum qui ſervant verba Prophetíæ libri hujus: tempus enim propè eſt.

℟. *j.* Effúndam Spíritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictiónem meam ſuper ſtirpem tuam; * Et germinábunt inter herbas, quaſi ſalíces juxta præterfluéntes aquas, allelúia. *Iſ.* 44. 3. 4. ℣. Ego ſitiénti dabo de fonte aquæ vitæ gratìs. *Apoc.* 21. 6. * Et germinábunt.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræ͂os.

Lectio II. *c.* 8. *v.* 8. *ad finem.*

ECce dies vénient, dicit Dóminus: & conſummábo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Juda, teſtaméntum novum: non ſecúndùm teſtaméntum quod feci pátribus eórum, in die quâ apprehéndi manum eórum, ut edúcerem illos de terra Ægýpti: quóniam ipſi non permansérunt in teſtaménto meo, & ego negléxi eos, dicit Dóminus. Quia hoc eſt teſtaméntum quod diſpónam dómui Iſraël poſt dies illos, dicit Dóminus: Dando leges meas in mentem eórum, & in corde eórum ſuperſcríbam eas: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in pópulum: & non docébit unuſquíſque próximum ſuum, & unuſ-

quíſque fratrem ſuum, dicens: Cognóſce Dóminum: quóniam omnes ſcient me, à minóre uſque ad majórem eórum: quia propítius ero iniquitátibus eórum, & peccatórum eórum jam non memorábor. Dicéndo autem novum, veterávit prius. Quod autem antiquátur & ſenéſcit, propè intéritum eſt.

℟. *ij*. Non abſcóndam ultrà fáciem meam ab eis, eò quòd effúderim * Spíritum meum ſuper omnem domum Iſraël, allelúia. *Ezech.* 39. 29. ℣. Rogábo Patrem, & álium Paraclétum dabit vobis, ut máneat vobiſcum in ætérnum. *Joan.* 14. 16. * Spíritum meum.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 14. *v.* 15. *ad* 21.

Chriſtus promittit Conſolatorem.

DIxit Jeſus diſcípulis ſuis: Si dilígitis me, mandáta mea ſerváte. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 74. n. 4.

QUod ait: Rogábo Patrem, & álium Paraclétum dabit vobis, oſténdit & ſeípſum eſſe Paraclétum. Paraclétus enim Latinè *dícitur Advocátus*: & dictú *eſt de Chriſto*: Advocátum habémus ad Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum. Sic autem mundum dixit non poſſe accípere Spíritum ſanctum, ſicut étiam dictum eſt: Prudéntia carnis inimíca eſt in Deum; legi enim Dei non eſt ſubjécta, nec enim poteſt. Velut ſi dicámus: Injuſtítia juſta eſſe non poteſt. Mundum quippe ait hoc loco, mundi ſignificans dilectóres, quæ diléctio non eſt à Patre. Et ídeò dilectióni hujus mundi, de qua ſatis ágimus ut minuátur & conſumátur in nobis, contrária eſt diléctio Dei, quæ diffúnditur in córdibus noſtris per Spíritum ſanctum qui datus eſt nobis. Mundus ergo eum accípere non poteſt, quia non videt eum, neque ſcit eum.

℟. *iij*. Spíritum meum ponam in médio veſtrî; * Et fáciam, ut in præcéptis meis ambulétis, allelúia. *Ezech.* 46. 27. ℣. Cùm vénerit ille Spíritus veritátis, docébit vos omnem veritátem. *Joan.* 16. 13. * Et fáciam. Glória. * Et fáciam.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Emíttes, Dómine, Spíritum tuum, & creabúntur; ℟. Et renovábis fáciem terræ. *Pſ.* 103. 30.

Ant. ſola. 1. D. Mitte.

Pſalmi de Sabbato.

CANTICUM ISAIÆ.

c. 59. v. 19. ad finem.

Novum fœdus prænuntiatur & promittitur.

TImébunt qui ab Occidénte, nomen Dómini; * & qui ab ortu ſolis, glóriam ejus:

Cùm vénerit quaſi flúvius violéntus, * quem ſpíritus Dómini cogit;

Et vénerit Sion Redémptor; * & eis qui rédeunt ab iniquitáte in Jacob, dicit Dóminus.

Hoc fœdus meum cum eis, * dicit Dóminus:

Spíritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ póſui in ore tuo, * non recédent de ore tuo;

Et de ore séminis tui, & de ore séminis séminis tui, dicit Dóminus, * ámodò & uſque in ſempitérnum.

Glória Patri.

Ant. Mitte, Dómine, ſapiéntiam tuam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitúdinis tuæ, allelúia. *Sap.* 9. 10.

CAPITULUM. *Joël.* 2. 28.

EFfúndam Spíritum meũ ſuper omnem carnem: & prophetábunt filii veſtri & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſómnia ſomniábunt, & júvenes veſtri viſiónes vidébunt.

HYMNUS.

SUPREME Rector Cœlitûm,
Qui morte devíctâ potens,
Cruóre ſignátam tuo
Ad aſtra pandis sémitam:

ALTO benígnus è throno,
E Patris almi déxtera,
Quos hîc relínquis órphanos,
Non intuéri déſinas.

NOS, Chriſte, tot dolóribus
Quos parturíſti, réſpice,
Quos, obſtetríce lánceâ,
Apértus effúdit ſinus.

PARTA tuis labóribus
Jam tu potíris glóriâ:
Nunc hora; promíſſum Patris
Nunc mitte nobis Spíritum.

QUI Patris ad dextram ſedes,
Jeſu, tibi ſit glória;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna sécula.
Amen.

℣. Expándit nubem in protectiónem eórum, ℟. Et ignem, ut lucéret eis per noctem. *Pſ.* 104. 39.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. *g.* Dixit Jeſus: Qui díligit me, diligétur à Patre meo; & ego díligam eum, & manifeſtábo ei meípſum, allelúia. *Joan.* 14. 21.

Oratio.

DEus, qui ſacraménto ventúræ Feſtivitátis univérſam Eccléſiam tuam in omni gente & natióne ſanctíficas, in totam mundi latitúdinem, Spíritûs tui dona diffúnde: Per Dóminum noſtrum Jeſum Chri-

ſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat, in unitáti ejúſdem Spíritûs.

AD HORAS, *Doxologia.*

QUI Patris ad dextram
ſedes,
Jeſu, tibi ſit glória;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna sécula.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 4. *E.* Omnis qui relíctus fúerit in Sion, & resíduus in Jerúſalem, Sanctus vocábitur, allelúia. *Iſ.* 4. 3.

CAPITULUM. *Iſ.* 57. 16.

NOn in ſempitérnum litigábo, neque uſque ad finem iráſcar: quia Spíritus à fácie mea egrediétur, & flatus ego fáciam.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui ſedes ad déxteram Patris. *Hebr.* 1. 3.

Non dicuntur Preces.

AD TERTIAM.

Ant. 4. A. Creábit Dóminus ſuper omnem locum montis Sion, & ubi invocátus eſt, nubem per diem, & fumum & ſplendórem ignis flammántis in nocte, allelúia. *Iſ.* 4. 5.

CAPITULUM. *Joël.* 2. 29. 30.

SUper ſervos meos & ancillas, in diébus illis, effúndam Spíritum meum: & dabo prodígia in cœlo & in terra.

℟. *breve.* Ecce dabit voci *ſuæ* vocem virtútis, * Allelúia, allelúia. ℟. Ecce. ℣. Date glóriam Deo. * Allelúia. Glória. ℟. Ecce. *Pſ.* 67. 44. 35.

℣. Díriget manſuétos in judício; ℟. Docébit mites vias ſuas. *Pſ.* 24. 9.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Tabernáculum erit in umbráculum diéi ab æſtu, & in ſecuritátem & abſconſiónem à túrbine & à plúvia, allelúia. *Iſ.* 4. 6.

CAPITULUM. *Ezech.* 37. 13. 14.

SCiétis quia ego Dóminus, cùm aperúero ſepúlcra veſtra, & edúxero vos de túmulis veſtris, pópule meus, & dédero Spíritum meum in vobis, & vixéritis.

℟. *breve.* Spíritus tuus bonus dedúcet me, Dómine, * Allelúia, allelúia. ℟. Spíritus. ℣. In terram rectam. * Allelúia. Glória. ℟. Spíritus. *Pſ.* 142. 10.

℣. Propter nomen tuum, Dómine, ℟. Vivificábis me. *Pſ.* 142. 11.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Effundátur ſuper nos Spíritus de excélſo, allelúia. *Iſ.* 32. 15.

CAPITULUM. *Act.* 2. 38. 39.

ACcipiétis donum Spíritûs ſancti: vobis enim eſt repromíſſio, & fíliis veſtris, & ómnibus qui longè ſunt, quoſcúmque advocáverit Dóminus Deus noſter.

℟. *breve.* Cor mundum crea in me, Deus, * Allelúia, allelúia, ℟. Cor. ℣. Et ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis. * Allelúia. Glória. ℟. Cor. *Pſ.* 50. 12.

℣. Redde mihi lætítiam ſalutáris tui.

℟. Et ſpíritu principáli confirma me. *Pſ.* 50. 14.

℣. Dóminus vobiſcum.

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio.

DEus, qui ſacraménto ventúræ Feſtivitátis univérſam Eccléſiam tuam in omni gente & natióne ſanctíficas, in totam mundi latitúdinem, Spíritûs tui dona diffúnde; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat, in unitáte ejúſdem Spíritûs ſancti, Deus.

IN DIE SANCTO
PENTECOSTES.
ANNUALE.

IN I. VESPERIS.
Pſalmi de Sabbato.
Antiphona. 2. *toni.* D.

CŒpérunt audíri tonítrua ac micáre fúlgura, & nubes densíſſima operíre montem, allelúia. *Exod.* 19. 16.

Ant. 4. a. Totus mons Sínaï fumábat; eò quòd deſcendíſſet Dóminus ſuper eum in igne, & aſcénderet fumus ex eo, quaſi de fornáce, allelúia. *Exod.* 19. 18.

Ant. 3. E. Opéruit nubes montem, & habitávit glória Dómini ſuper Sínaï, allelúia. *Exod.* 24. 15. 16.

Ant. 5. C. Erat ſpécies glóriæ Dómini, quaſi ignis ardens ſuper vérticem montis, in conſpéctu filiórum Iſraël, allelúia. *Exod.* 24. 17.

Ant. 7. G. Revérſus eſt Móyſes de monte, portans duas tábulas teſtimónii in manu ſua, ſcriptas ex utráque parte, & factas ópere Dei, allelúia. *Exod.* 32. 15. 16.

CAPITULUM. *Jer.* 31. 31. 32.

ECce dies vénient, dicit *Dóminus*; & fériam *dómui Iſraël* & dómui Ju*da fœdus* novum: non ſecúndùm pactum quod pépigi cum pátribus eórum.

℟. Hoc erit pactum quod fériam cum domo Iſraël poſt dies illos, dicit Dóminus: * Dabo legem meam in viſcéribus eórum, & in corde eórum ſcribam eam, allelúia. *Jer.* 31. 33.
℣. Non in tábulis lapídeis, ſed in tábulis cordis carnálibus. 2. *Cor.* 3. 3. * Dabo. Glória. *Reſumitur* ℟. Hoc.

HYMNUS.

INTER ſulphúrei fúlgura túrbinis,
Flammarúmque globos, & sónitum tubæ,
Antíquam véteri, monte Sina ſuper,
Legem das pópulo, Deus.

His infida probas corda pavóribus,
Et peccáre vetas; aut prétium, mori:
Verùm terríbiles quid párient minæ?
Quò tantus récidet tremor?

En fumántis adhuc montis ad ínfima,
Plebs oblíta datam contínuò fidem,
Brutam pérfida plebs effigiem colit,

Veri Núminis in locum.
Heu! mens noſtra, Deus,
te ſinè, nil poteſt:
Lucem prome ánimis; cordis ahéneam
Molli durítiem; redde, potes, Deus,
Voci nos dóciles tuæ.
Sit laus ſumma Patri, súmmaque Fílio:
Sit par, alme, tibi laus quoque, Spíritus,
Per quem legis amor córdibus ínſitus
Dat quod lex jubet, éxequi. Amen.

℣. Deus Iſraël ipſe dabit virtútem, ℟. Et fortitúdinem plebi ſuæ. *Pſ.* 67. 36.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. J. Spíritus Dómini, Spíritus ſapiéntiæ & intelléctûs, Spíritus consílii & fortitúdinis, Spíritus ſciéntiæ & pietátis, allelúia. *Iſ.* 11. 2.

Oratio.

Pietátem tuam súpplices exorámus, Deus omnípotens; ut quibus per Unigéniti tui consórtium, fílios adoptiónis eſſe tribuíſti, eis per Spíritûs ſancti advéntum, cunctárum largiáris dona gratiárum; Per eúmdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.... in unitáte ejúſdem Spíritûs.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas, cum Pſalmis de Sabbato.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Allelúia, *Spíritum veritátis, qui à Patre procédit,* * Veníte, adorémus, allelúia. *Joan.* 15. 26.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſolemni.*

Hymnus.

Quis tantus audítur fragor?
Tellus tremit, cœlum tonat;
Sic térruit gentes Deus,
E monte Sina fúlminans.
Nunc omnis absíſtat timor:
Jam ceſſat ira Núminis;
Novóque terras múnere
Divínus ignis récreat.
Quæ flamma de cœlo venit,
Fronti ſedens innóxia,
Tactu benígno, sénſibus
Puros calóres íngerit.
Jam turba plena Númine
Pandit Dei mirácula.
Natúra quos fecit rudes,
Facit disértos Spíritus.
Judæus admírans ſilet,
Stupéntque gentes éxteræ,
Divérſa dum notos ſibi
Gens éxcipit vocum ſonos.
Sit laus Patri, laus Fílio;
Compar tibi ſit glória,
Qui dona mundo dívidens
Deſcéndis, alme Spíritus.
Amen.

In Pſal. 25. Afférte Dómino, fílii Dei, *p.* 67.

Ant. 1. *g.* Qui convénerant, interrogábant Jeſum, dicéntes: Dómine, ſi in témpore hoc reſtítues regnum Iſraël? allelúia. *Act.* 1. 6.

In Pſal. 45. Deus noſter refúgium & virtus, *p.* 75.

Ant. 2. D. Dixit Jeſus: Accipiétis virtútem ſuperveniéntis Spíritûs ſancti in

vos, & éritis mihi teſtes, allelúia. *Act.* 1. 8.

In Pſal. 47. Magnus Dóminus, *p.* 107.

Ant. 3. *a.* Paraclétus Spíritus ſanctus, quem mittet Pater in nómine meo, ille vos docébit ómnia, allelúia. *Joan.* 14. 26.

℣. Mandávit Dóminus benedictiónem, ℟. Et vitam uſque in séculum. *Pſ.* 132. 3.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio I. *c.* 2. *v.* 1. *ad* 18.

CUm compleréntur dies Pentecóſtes, erant omnes páriter in eódem loco: & factus eſt repéntè de cœlo ſonus, tanquam adveniéntis ſpíritûs veheméntis, & replévit totam domum ubi erant ſedéntes. Et apparuérunt illis diſpertítæ linguæ tanquam ignis, ſedítque ſupra ſíngulos eórum: & repléti ſunt omnes Spíritu ſancto, & cœpérunt loqui váriis linguis, próut Spíritus ſanctus dabat éloqui illis. Erant autem in Jerúſalem habitántes Judǽi, viri religióſi ex omni natióne quæ ſub cœlo eſt. Factâ autem hâc voce, convénit multitúdo, & mente confúſa eſt: quóniam audiébat unuſquíſque, linguâ ſuâ illos loquéntes. Stupébant autem omnes & mirabántur, dicéntes: Nónne ecce omnes iſti qui loquúntur, Galilǽi ſunt? & quómodo *nos audívimus unuſquíſque linguam noſtram in qua nati ſumus? Parthi*, & Medi, & Ælamítæ, & qui hábitant Meſopotámiam, Judǽam, & Cappadóciam, Pontum, & Aſiam, Phrýgiam, & Pamphýliam, Ægýptum, & partes Líbiæ, quæ eſt circa Cyrénen, & ádvenæ Románi, Judǽi quoque & Proſélyti, Cretes & Arabes: audívimus eos loquéntes noſtris linguis magnália Dei. Stupébant autem omnes & mirabántur, ad ínvicem dicéntes: Quidnam vult hoc eſſe? Alii autem irridéntes dicébant: Quia muſto pleni ſunt iſti. Stans autem Petrus cum Undecim, levávit vocem ſuam, & locútus eſt eis: Viri Judǽi, & qui habitátis Jerúſalem, univérſi, hoc vobis notum ſit, & aúribus percípite verba mea. Non enim, ſicut vos æſtimátis, hi ébrii ſunt, cùm ſit hora diéi tértia: ſed hoc eſt quod dictum eſt per Prophétam Joël: Et erit in noviſſimis diébus, dicit Dóminus, Effúndam de Spíritu meo ſuper omnem carnem: & prophetábunt filii veſtri & filiæ veſtræ, & júvenes veſtri viſiónes vidébunt, & ſenióres veſtri ſómnia ſomniábunt. Et quidem ſuper ſervos meos & ſuper ancíllas meas, in diébus illis, effúndam de Spíritu meo: & prophetábunt.

℟. *j.* Spíritus meus erit in médio veſtrûm: * Nolíte timére, dicit Dóminus exercítuum, allel. Agg. 2. 6.

℣. Factus eſt repéntè de cœlo ſonus, tanquam adveniéntis ſpíritûs veheméntis, & replévit totam domum. *Act.* 2. 2. * Nolíte. Glória.* Nolíte.

Sermo ſancti Leónis Papæ. *Serm.* 73. *De Pentecoſte.* 1. *Cap.* 1. 2.

LECTIO II.

HOdiérnam Solemnitátem, dilectíſſimi, in præcípuis Feſtis eſſe venerándam, ómnium Catholicórum corda cognóſcunt. Nec dúbium eſt quanta huic diéi reveréntia debeátur, quem Spíritus ſanctus excellentíſſimo ſui múneris miráculo conſecrávit. Nam & ab illo die quo Dóminus ſuper omnem cœlórum altitúdinem ad déxteram Dei Patris conſeſsúrus aſcéndit, décimus iſte eſt, qui ab ejúſdem Reſurrectióne quinquagéſimus nobis in eo à quo cœpit, illúxit, magna myſtéria in ſe, & véterum ſacramentórum contínens, & novórum: quibus manifeſtíſſimè declarátur, & grátiam prænuntiátam fuiſſe per Legem, & Legem implétam eſſe per grátiam. Sicut enim Hebræo quondam pópulo ab Ægyptiis liberáto, quinquagéſimo die poſt immolatiónem agni, Lex data eſt in monte Sina, ità poſt Paſſiónem Dómini, quâ verus Dei *Agnus occíſus* eſt, quinquagéſimo à Reſurrectióne ipſíus die, in Apóſtolos plebémque credéntium Spíritus ſanctus illápſus eſt: ut fácilè díligens Chriſtiánus agnóſcat inítia véteris Teſtaménti Evangélicis miniſtráſſe princípiis, & ab eódem Spíritu cónditum fœdus ſecúndum, à quo primum fúerat inſtitútum. Nam ſicut Apoſtólica teſtátur Hiſtória, ab hoc die tuba Evangélicæ prædicatiónis intónuit, ab hoc die imbres charíſmatum, flúmina benedictiónum, omne desértum & univérſam áridam rigavérunt.

℟. ij. Terra mota eſt: * Etenim cœli diſtillavérunt à fácie Dei Sinaï, à fácie Dei Iſraël, allelúia. *Pſ.* 67. 9. ℣. Repléti ſunt omnes Spíritu ſancto, & cœpérunt loqui váriis linguis. *Act.* 2. 4. * Etenim. Glória. * Etenim.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 14. *v.* 23. *ad* 31.

Paracleti miſſio.

DIxit Jeſus diſcípulis ſuis: Si quis díligit me, ſermónem meum ſervábit, & Pater meus díliget eum. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 30. *in Evang.* n. 1.

HOdie Spíritus ſanctus repentíno sónitu ſuper diſcípulos venit, mentéſque carnálium in ſuî amórem permutávit: & foris apparéntibus linguis igneis

intùs facta ſunt corda flammántia: quia dum Deum in ignis viſióne ſuſcípiunt, per amórem ſuáviter arsérunt. Ipſe namque Spíritus ſanctus amor eſt. Unde & Joánnes dicit: Deus cáritas eſt. Qui ergo mente íntegrâ Deum desíderat, profectò jam habet quem amat. Neque enim quiſquam poſſet Deum dilígere, ſi eum quem díligit, non habéret. Sed ecce, ſi unuſquíſque veſtrûm requirátur, an díligat Deum, totâ fidúciâ & ſecúrâ mente reſpóndet: Díligo. In ipſo autem Lectiónis exórdio audíſtis quid Véritas dicat: Si quis díligit me, ſermónem meum ſervábit. Probátio ergo dilectiónis, exhibítio eſt óperis. Hinc in Epíſtola ſua idem Joánnes dicit: Qui dicit, Díligo Deum, & mandáta ejus non cuſtódit, mendax eſt. Verè étenim Deum dilígimus, ſi ad mandáta ejus nos à noſtris voluptátibus coarctámus. Nam qui adhuc per illícita deſidéria diffluit, profectò Deum non amat: quia ei in ſua voluntáte contradícit.

℟. *iij.* Vocábitis hunc diem celebérrimum atque ſanctíſſimum: omne opus ſervíle non faciétis in eo: * Legítimum ſempitérnum erit in cunctis habitáculis *& generatiónibus* veſtris, *allelúia. Levit.* 23. 21. ℣. *Quóniam* eſtis *filii*, miſit Deus Spíritum Fílii ſui in corda veſtra. *Gal.* 4. 6. * Legítimum. Glória. *Reſúmitur* ℟. Vocábitis.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Magnus Dóminus & laudábilis nimis, ℟. In civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus. *Pſ.* 47. 2.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 3. a. O quàm bonus & ſuávis eſt, Dómine, Spíritus tuus in ómnibus! allelúia. *Sap.* 12. 1.

Ant. 1. a. Senſum tuum, Dómine, quis ſciet, niſi tu déderis ſapiéntiam, & míſeris Spíritum ſanctum tuum de altíſſimis? allelúia. *Sap.* 9. 17.

Ant. 8. G. Si quis erit conſummátus inter filios hóminum, ſi ab illo abfúerit ſapiéntia tua, in níhilum computábitur, allelúia. *Sap.* 9. 6.

Ant. 4. D. Per ſapiéntiam.

CANTICUM JUDITH. *c.* 16. *v.* 15. *ad* 19.

Gratiarum Actio pro beneficio miſſi Spiritûs ſancti.

HYmnum cantémus Dómino, * hymnum novum cantémus Deo noſtro.

Adónaï, Dómine, magnus es tu, & præclárus in virtúte tua, * & quem ſuperáre nemo poteſt.

Tibi sérviat omnis creatúra tua; * quia dixiſti, & facta ſunt;

Miſiſti Spíritum tuum, &

creáta ſunt; * & non eſt qui reſiſtat voci tuæ.

Montes à fundaméntis movebúntur cum aquis: * petræ ſicut cera liquéſcent ante fáciem tuam.

Qui autem timent te, * magni erunt apud te per ómnia.

Glória Patri.

Ant. Per ſapiéntiam ſanáti ſunt, quicúmque placuérunt tibi, Dómine, à princípio, allelúia. *Sap.* 9. 19.

Ant. 7. G. Da ſervis tuis, Dómine, cum omni fidúcia loqui verbum tuum, allelúia. *Act.* 4. 29.

CAPITULUM. I. *Joan.* 2. 27.

NOn necéſſe habétis ut áliquis dóceat vos: ſed ſicut únctio ejus docet vos de ómnibus, & verum eſt, & non eſt mendácium: & ſicut dócuit vos, manéte in eo.

HYMNUS.

VENI, ſupérne Spíritus,
Benígne paúperum Pater,
Donátor alme múnerum,
Cœléſte méntium Jubar.

TU cordis hoſpes íntimus,
Dulcis labórum tu quies;
Tu flétibus quos élicis,
Divína miſces gaúdia.

O VERITATIS Spíritus!
Fons ſanctitátis, quo ſinè,
A labe nullus ínteger,
Imple tuo nos Númine.

VENI, lava cor sórdidum,
Siccum riga, durum doma,
Reduc vagántes, frígidos
Accénde, ſana ſaúcios.

TOTIUS Autor grátiæ,
Certáre da viríliter:
Certántibus da víncere:
Victóribus da prǽmia.

SIT laus Patri, laus Fílio;
Sit & tibi laus, Spíritus,
Afflánte quo, mentes ſacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Pſ.* 67. 12.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. Déxterâ Dei exaltátus Jeſus, & promiſſióne Spíritûs ſancti accéptâ à Patre, effúdit hunc quem vos vidétis & audítis, allelúia. *Act.* 2. 33.

Oratio.

DEus, qui hodiérnâ die corda Fidélium ſancti Spíritûs illuſtratióne docuíſti; da nobis in eódem Spíritu recta ſápere, & de ejus ſemper conſolatióne gaudére; Per Dóminum.... ejúſdem Spíritûs.

AD HORAS, *Doxologia.*

SIT laus Patri, laus Fílio;
Sit & tibi laus, Spíritûs,
Afflánte quo, mentes ſacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

Et ſic uſque ad Sabbatum ſequens incluſivè.

Pſalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 3. *a.* In hoc ſcimus quóniam Chriſtus manet in nobis, de Spíritu quem dedit nobis, allelúia. 1. *Joan.* 3. 24.

CAPITULUM. *Eph.* 1. 13. 14.

CRedéntes ſignáti eſtis Spíritu promiſſiónis ſancto, qui eſt pignus hæreditátis noſtræ in redemptiónem acquiſitiónis.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui de Spíritu tuo dediſti nobis. 1. *Joan.* 4. 13.

AD TERTIAM.

Loco Hymni O fons amóris Spíritus, *dicitur ſequens*

HYMNUS.

VENI, Creátor Spíritus,
Mentes tuórum víſita,
Imple ſupérnâ grátiâ
Quæ tu creáſti péctora.

QUI Paraclétus díceris,
Altíſſimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, cáritas,
Et ſpiritális únctio.

TU ſeptifórmis múnere,
Dextræ Dei tu dígitus,
Tu ritè promíſſum Patris,
Sermóne ditans gúttura.

ACCENDE lumen ſénſibus,
Infúnde amórem córdibus,
Infírma noſtri córporis
Virtúte firmans pérpeti.

HOSTEM repéllas lóngiùs,
Pacémque dones prótinùs;
Ductóre ſic te prævio,
Vitémus omne nóxium.

PER te ſciámus da Patrem,
Noſcámus atque Fílium,
Te utriúſque Spíritum
Credámus omni témpore.

SIT laus Patri, laus Fílio;
Sit & tibi laus, Spíritus,
Afflánte quo, mentes ſacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

Ant. 8. G. Signávit nos Deus, & dedit pignus Spíritûs in córdibus noſtris, allelúia. 2. *Cor.* 1. 22.

CAPITULUM. *Act.* 2. 16. 17.

HOc eſt quod dictum eſt per Prophétam Joël: Et erit in noviſſimis diébus, dicit Dóminus; Effúndam de Spíritu meo ſuper omnem carnem.

℟. *breve.* Intónuit de cœlo Dóminus, * Allelúia, allelúia. ℟. Intónuit. ℣. Et Altíſſimus dedit vocē ſuam. * Allelúia. Glória. ℟. Intónuit. *Pſ.* 17. 14.

℣. Ignis à fácie ejus exárſit; ℟. Carbónes ſuccénſi ſunt ab eo. *Pſ.* 17. 9.

AD SEXTAM.

Ant. 7. d. Quicúmque Spíritu Dei agúntur, ii ſunt fílii Dei, allelúia. *Rom.* 8. 14.

CAPITULUM. 2. *Cor.* 3. 7. 8.

SI miniſtrátio mortis, lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glória; ità ut non poſſent inténdere fílii Iſraël in fáciem Móyſi, propter glóriam vultûs ejus, quæ evacuátur, quómodo non magìs miniſtrátio Spíritûs erit in glória?

℟. *breve.* Plúviam voluntáriam ſegregábis, Deus, * Allelúia, allelúia. ℟. Plúviam. ℣. Hereditáti tuæ. * Allelúia. Glória. ℟. Plúviam. *Pſ.* 67. 10.

℣. Flabit Spíritus ejus; ℟. Et fluent aquæ. *Pſ.* 147. 18.

AD NONAM.

Ant. 1. a. Non ſpíritum hujus mundi accépimus, ſed Spíritum qui ex Deo eſt, allelúia. 1. *Cor.* 2. 12.

CAPITULUM. *Jac.* 4. 4. 5.

QUicúmque volúerit amícus eſſe ſéculi hujus, inimícus Dei conſtitúitur. An putátis quia inániter Scriptúra dicat: Ad invídiam concupíſcit ſpíritus qui hábitat in vobis?

℟. *breve.* Confírma hoc Deus, * Allelúia, allelúia. ℟. Confírma. ℣. Quod operátus es in nobis. * Allelúia. Glória. ℟. Confírma. *Pſ.* 67. 29.

℣. Ne projícias me à fácie tua, ℟. Et Spíritum ſanctum tuum ne aúferas à me. *Pſ.* 50. 13.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 1. *D.* Cáritas Dei diffúſa eſt in córdibus noſtris, per Spíritum ſanctum qui datus eſt nobis, allelúia. *Rom.* 5. 5.

Ant. 2. *D.* Non dedit nobis Deus ſpíritum timóris, ſed virtútis, & dilectiónis, & ſobrietátis, allelúia. 2. *Tim.* 1. 7.

Ant. 3. E. Si Spíritu vívimus, Spíritu & ambulémus, allelúia. *Gal.* 5. 25.

Ant. 4. *d.* Lóquimur, non in doctis humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in doctrína Spíritûs, allelúia. 1. *Cor.* 2. 13.

Ant. 5. C. Habéntes eúmdem Spíritum fídei, ſicut ſcriptum eſt: Crédidi, propter quòd locútus ſum; & nos crédimus, propter quòd & lóquimur, allelúia. 2. *Cor.* 4. 13.

CAPITULUM. *Gal.* 5. 22. 23.

FRuctus Spíritûs eſt, cáritas, gaúdium, pax, patiéntia, benígnitas, bónitas, longanímitas, manſuetúdo, fides, modéſtia, continéntia, cáſtitas.

HYMNUS.

VOs conſecráti Númine mílites,
Quos una mens, ſpes una coégerat,
Exíte clauſtris; ad triúmphos
Multíplici properáte bello.

AUDAX arénam, plena Deo cohors,
Deſcéndit: orci, cédite, príncipes:
Mundi magíſter nutet error,
Mox válidâ removéndus arce.

VELOCE curſu progréditur fides,
Quocúmque vertit prǽlia, pónitur
Unâ manu crux, alterâque,
Vana ruunt ſimulácra, dextrâ.

PRIMO triúmpho, ſuſcípiunt viri
Ter mille verbum: fœ́dera flétibus
Poſcunt amáris, & lavácro
Prætéritas abolére labes.

EGRESSA cunis, ſic ádoles, nova
Tu ſponſa Chriſti; tum fide párturis
Prægnánte mater, móxque verbo
Præcípites geminánte partus.

JUDÆ nec intra ſíſtere límites;
Noſtris eúndo finibus áplica,
O turma felix! vos repóſcit
Multa ſeges, propiórque meſſi.

LAUS ſumma Patri, súmmaque Fílio:
Compar tibi ſit glória, Spíritus,
Quo dante, ſanctas caritátis
Concípiunt pia corda flammas. Amen.

℣. Non ſunt loquélæ neque ſermónes, ℟. Quorum non audiántur voces eórum. *Pſ.* 18. 4.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, & hoc quod cóntinet ómnia, ſciéntiam habet vocis, allelúia. *Sap.* 1. 7.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 5. a. Dedit Deus Spíritum ſuum ſanctum in nobis, allelúia. 1. *Theſſ.* 4. 8.

HYMNUS.

ILLUMINATOR Spíritus,
Tu nocte ſis lux méntium;
O fons amóris! córdium
Optáta ſis pax & quies.

ADESTO te vocántibus,
Donis tuis nos récrea,
Da gratiárum múnera,
Da præmiórum gaúdia.

SIT laus Patri, laus Fílio;
Sit & tibi laus, Spíritus,
Afflánte quo, mentes ſacris
Lucent & ardent ígnibus. Amen.

CAPITULUM. *Eph.* 4. 30.

NOlíte contriſtáre Spíritum ſanctum Dei, in quo ſignáti eſtis in diem redemptiónis.

℟. *breve.* In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 2. A. Si quis Spíritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus, allelúia. *Rom.* 8. 9.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut mentes noſtras per hanc noctem illúſtret ſplendor tui Spíritûs, & in tuo amóre corda noſtra confirmet; Per Dóminum... ejúſdem Spíritûs.

DIEBUS
INTRA HEBDOMADAM
PENTECOSTES.

Omnia ut in Die, exceptis quæ ſequuntur.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Spíritum ſanctum Dei, * Veníte, adorémus, allelúia. *Eph.* 4. 30.

Pſalmus, Veníte, p. 2. *ritu duplici.*

Pſalmi tres infrà notati pro qualibet die.

Ant. ſola. 4. f. In hoc cognóſcitur Spíritus Dei : Omnis ſpíritus qui confitétur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt, allelúia. 1. *Joan.* 4. 2.

℣. Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum ; ℟. Facti ſumus lætántes. *Pſ.* 125. 3.

Lectiones & ℟℟℟. ut infrà in unaquaque die.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

Pſalmi de Dominica.

Ant. ſola. 1. a. Spíritum tuum bonum dediſti, Dómine, qui docéret eos, allelúia. 2. *Eſdr.* 9. 20.

CAPITULUM. *Rom.* 8. 15.

NOn accepíſtis ſpíritum ſervitútis iterùm in timóre : ſed accepíſtis Spíritum adoptiónis filiórum.

Ant. ad Benedíctus, *& Orat. infrà in qualibet die.*

AD HORAS, *Pſalmi de Dominica.*

AD VESPERAS.

Pſalmi de Dominica.

Ant. ſola. 3. *a.* Eccléſia ædificabátur ámbulans in timóre Dómini ; & conſolatióne ſancti Spíritûs replebátur, allelúia. *Act.* 9. 31.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 6. 19.

AN neſcítis quóniam membra veſtra templum ſunt Spíritûs ſancti, qui in vobis eſt, quem habétis à Deo, & non eſtis veſtrî ?

Ant. ad Magníficat, *infrà in qualibet die.*

Oratio, ut in Laudibus cujuſque diei.

AD COMPLETORIUM, *Pſalmi de Dominica.*

FERIA SECUNDA.

Pſal. 8. Dómine, Dóminus noſter, *p.* 27.

Pſal. 18. Cœli enárrant, *p.* 31.

Diviſ. Pſal. 18. Lex Dómini, *p.* 31.

Incipit Liber Levítici.

LECTIO I. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 9.

VOcávit autem Móyſen & locútus eſt ei Dóminus de tabernáculo teſtimónii, dicens : Lóquere filiis Iſraël, & dices ad eos : Homo qui obtúlerit ex vobis hóſtiam Dómino de pecóribus, id eſt, de bobus & óvibus ófferens víctimas, ſi holocaúſtum fúerit ejus oblátio ac de arménto, máſculum immaculátum ófferet ad óſtium tabernáculi teſtimónii, ad placándum ſibi Dóminum : ponétque manum ſuper caput hóſtiæ, & acceptábilis erit atque in expiatiónem ejus profíciens. Immolabítque vítulum coram Dómino, & ófferent filii Aaron ſacerdótes ſánguinem ejus, fundéntes per altáris circúitum quod eſt ante óſtium tabernáculi : detráctâque pelle hóſtiæ, artus in fruſta concídent, & ſubjícient in altári ignem, ſtrue lignórum antè compóſitâ : & membra quæ ſunt cæſa, déſuper ordinántes, caput videlicet

cet, & cuncta quæ adhǽrent jécori, inteſtínis & pédibus lotis aquâ: adolebítque ea ſacérdos ſuper altáre, in holocaúſtum & ſuávem odórem Dómino.

℟. *j.* Uſquequò, párvuli, dilígitis infántiam, & ſtulti ea quæ ſibi ſunt nóxia cúpient, & imprudéntes odibunt ſciéntiam? * Convertímini ad correptiónem meam, allelúia. *Prov.* 1. 22. 23. ℣. Accipiétis donum Spíritûs ſancti; vobis enim eſt repromíſſio. *Act.* 2. 38. 39. * Convertímini.

Ex Apológia prima ſancti Juſtíni Mártyris ad Antonínum Pium Imperatórem. *Anno* 150. n. 39.

LECTIO II.

QUando Spíritus prophéticus ut futúra vaticinans lóquitur, ſic ait: Ex Sion enim exíbit lex, & verbum Dómini de Jerúſalem. Atque id ità eveníſſe perſuadéri vobis poteſt. Jeroſólymis enim viri número duódecim in mundum profécti ſunt: iique imperíti, nec dicéndi facultáte prǽditi, ſed Dei virtúte communíti, denuntiárunt omni hóminum géneri miſſos ſe eſſe à Chriſto, ut omnes verbum Dei docérent. Et qui olim cǽdibus mútuis graſſabámur, non modò cum inimícis bellum non *gérimus, ſed étiam ne mentiámur, aut eos qui intérrogant, decipiámus,* libénter Chriſtum confiténdo mórimur. Fácile enim erat, ut quod dícitur: Juráta lingua non tamen juráta mens, nos quoque imitarémur. Sed ridículum foret, ut obſtrícti à vobis ſacraménto, & conſcripti mílites, fidem vobis datam, qui nihil illis potéſtis incorrúpti præſtáre, & ſuæ ipsórum vitæ, & paréntibus, & pátriæ, & ómnibus propínquis præpónant: nos autem, qui incorrúptæ vitæ cúpidi ſumus, non perferámus ómnia, ut optáta, ab eo qui poteſt præſtáre, conſequámur.

℟. *ij.* Cum diligéntia cuncta fácite; * Non eſt enim apud Dóminum Deum noſtrum iníquitas, nec perſonárum accéptio, allelúia. 2. *Par.* 19. 7. ℣. In natiónes grátia Spíritûs ſancti effúſa eſt. *Act.* 10. 45. * Non.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 3. *v.* 5. *ad* 21.

Filius Dei miſſus ad ſalvandum mundum.

DIxit Jeſus Nicodémo: Amen dico tibi: Niſi quis renátus fúerit ex aqua & Spíritu ſancto, non poteſt introíre in regnum Dei. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 12. n. 12. 13.

QUantùm in médico eſt, ſanáre venit ægrótum. Ipſe ſe intérimit, qui præ-

cépta médici obſerváre non vult. Venit Salvátor ad mundum. Quare Salvátor dictus eſt mundi, nisì ut ſalvet mundum, non ut júdicet mundum? Salvári non vis ab ipſo? Ex te judicáberis. Et quid dicam, Judicáberis? Vide quid ait: Qui credit in eum, non judicátur: Qui autem non credit: quid dictúrum ſperas, nisì, Judicátur? Jam, inquit, judicátus eſt. Nondùm appáruit judícium, ſed jam factum eſt judícium. Novit enim Dóminus qui ſunt ejus: novit qui permáneant ad corónam, qui permáneant ad flammam: novit in área ſua tríticum, novit páleam: novit ſégetem, novit zizánia. Jam judicátus eſt qui non credit. Quare judicátus? Quia non crédidit in nómine unigéniti Fílii Dei. Hoc eſt autem judícium: quia lux venit in mundum, & dilexérunt hómines magìs ténebras, quàm lucem; erant enim mala ópera eórum.

℟. *iij*. Omnibus mobílibus mobílior eſt ſapiéntia:* Attíngit autem ubíque propter ſuam mundítiam, allelúia. *Sap.* 7. 24. ℣. Spíritus ubi vult, ſpirat. *Joan.* 3. 8. * Attíngit autem. Glória. * Attíngit autem.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant*. 6. F. *Qui* recepérunt ſermónem *Petri*, baptizári ſunt; & appóſitæ ſunt in die illa ánimæ círciter tria míllia, allelúia. *Act.* 2. 41.

Oratio.

DEus, qui Apóſtolis tuis ſanctum dedíſti Spíritum, concéde plebi tuæ piæ petitiónis effféctum, ut quibus dedíſti fidem, largiáris & pacem; Per Dóminum... ejúſdem Spíritûs.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex Spíritu, ſpíritus eſt, allelúia. *Joan.* 3. 6.

FERIA TERTIA.

Pſal. 49. Deus deórum Dóminus, *p.* 67.

Diviſ. Pſal. 49. Audi, pópulus, *p.* 67.

Pſal. 64. Te decet, *p.* 75.

De Libro Levítici.

LECTIO I. *c.* 8. *v.* 4. *ad* 13.

MOyſes, congregátâ omni turbâ ante fores tabernáculi, ait: Iſte eſt ſermo quem juſſit Dóminus fieri. Statímque óbtulit Aaron & fílios ejus. Cúmque lavíſſet eos, veſtívit Pontíficem ſubúculâ líneâ, accíngens eum bálteo, & índuens eum túnicâ hyacínthinâ, & déſuper humerále impóſuit, quod aſtríngens cíngulo, aptávit rationáli, in quo erat, Doctrína & Véritas. Cídari quoque texit caput: & ſuper eam, contra frontem, póſuit láminam áuream conſecrátam in ſanctificatióne, ſicut præcéperat ei Dóminus. Tulit & unctiónis óleum, quo linívit tabernáculum cum

omni ſupelléctili ſua. Cúmque ſanctíficans aſpersíſſet altáre ſeptem vícibus, unxit illud, & ómnia vaſa ejus, labrúmque cum baſi ſua ſanctificávit óleo. Quod fundens ſuper caput Aaron, unxit eum, & conſecrávit. Fílios quoque ejus oblátos veſtívit túnicis líneis, & cinxit bálteis, impoſuítque mitras, ut júſſerat Dóminus.

℟. *j*. Cùm requievíſſet in eis Spíritus, * Prophetavérunt, nec ultrà ceſſavérunt, allelúia. *Num.* 11. 25. ℣. Cùm oráſſent diſcípuli, motus eſt locus in quo erant congregáti; & repléti ſunt omnes Spíritu ſancto. *Act.* 4. 31. * Prophetavérunt.

Ex Hiſtória Eccleſiáſtica Eusébii Cæſariénſis Epíſcopi.

Lib. 3. *Cap.* 1.

LECTIO II.

APóſtoli & diſcípuli Dómini ac Servatóris noſtri, per univérſum orbem diſpérſi, Evangélium prædicábant. Et Thomas quidem, ut à majóribus tráditum accépimus, Párthiam ſortítus eſt; Andréas verò Scýthiam; Joánni Aſia obvénit, qui plúrimùm témporis in ea commorátus, Epheſi tandem diem óbiit. At Petrus per Pontum, Galátiam, Bithýniam, Cappadóciam atque Aſiam, Judǽis qui in Diſperſióne *erant, prædicáſſe exiſtimátur: qui ad extrémum Romam véniens, cruci ſuffixus* eſt, cápite deórsùm demíſſo: ſic enim ut in cruce collocarétur, oráverat. De Paulo jam quid áttinet dícere, qui ab Jerosólymis uſque ad Illýricum, munus Evangélicæ prædicatiónis implévit, ac poſtrémò Romæ, ſub Neróne, Martýrio perfúnctus eſt. Hæc Orígenes, in tértio volúmine expoſitiónum in Géneſim, disértis verbis commémorat.

℟. *ij*. Erunt mihi in pópulum, & ego ero eis in Deum, & * Dabo eis cor unum & viam unam, allelúia. *Jer.* 32. 38. 39. ℣. Multitúdinis credéntium erat cor unum & ánima una. *Act.* 4. 32. * Dabo.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 10. *v.* 1. *ad* 10.

Chriſtus oſtium.

DIxit Jeſus quibúſdam ex Phariséis: Amen, amen dico vobis: Qui non intrat per óſtium in ovíle óvium, ſed aſcéndit aliúnde, ille fur eſt & latro. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 45. n. 2. 4. 5.

DOminus de grege ſuo, & de óſtio quo intrátur ad ovíle, ſimilitúdinem propóſuit in hodiérna Lectióne. Dicant ergo Pagáni: Benè vívimus. Si per óſtium non intrant, quid prodeſt eis? unde glo

riántur? Ad hoc enim debet unicuíque prodéſſe benè vívere, ut detur illi ſemper vívere: nam cui non datur ſemper vívere, quid prodeſt benè vívere? Quia nec benè vívere dicéndi ſunt, qui finem benè vivéndi, vel cœcitáte néſciunt, vel inflatióne contémnunt. Non eſt autem cuíquam ſpes vera & certa ſemper vivéndi, niſi agnóſcat vitam, quòd eſt Chriſtus, & per jánuam intret in ovíle. Ecce ipſi Phariſæi, & in eo quod legébant, Chriſtum ſonábant: ventúrum ſperábant, & præſéntem non agnoſcébant: Jactábant ſe étiam ipſi inter vidéntes, hoc eſt, inter ſapiéntes: & negábant Chriſtum, & non intrábant per óſtium. Ergo & ipſi, ſi quos fortè ſedúcerent, mactándos & occidéndos, non liberándos ſedúcerent. Et hos dimittámus: videámus illos, ſi fortè ipſi intrant per óſtium, qui ipsíus Chriſti nómine gloriántur. Innumerábiles enim ſunt, qui ſe vidéntes non ſolùm jactant, ſed à Chriſto illuminátos vidéri volunt; ſunt autem hærétici.

℟. *iij.* Quemcúmque elégerit Dóminus, * Ipſe erit ſanctus, allelúia. *Num.* 16. 7. ℣. Qui intrat per óſtium, paſtor eſt óvium. *Joan.* 10. 2. * *Ipſe.* Glória. * Ipſe.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. E. *Multa prodígia* & ſigna per Apóſtolos in Jeruſalem fiébant, & metus erat magnus in univérſis, allelúia. *Act.* 2. 43.

Oratio.

Adſit nobis, quǽſumus, Dómine, virtus Spíritûs ſancti, quæ & corda noſtra cleménter expúrget, & ab ómnibus tueátur advérſis; Per Dóminum .... ejúſdem Spíritûs.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Dixit Jeſus: Ego ſum óſtium: per me ſi quis introíerit, ſalvábitur, allelúia. *Joan.* 10. 9.

FERIA QUARTA QUATUOR TEMPORUM.

Pſal. 67. Exúrgat Deus, *p.* 63.

Diviſ. Pſal. 67. Dóminus dabit verbum, *p.* 63.

Altera diviſio Pſal. 67. Vidérunt ingréſſus, *p.* 64.

De Libro Levítici.

LECTIO I. *c.* 9. *v.* 8. *ad finem.*

Aron accédens ad altáre, immolávit vítulum pro peccáto ſuo: cujus ſánguinem obtulérunt ei filii ſui: in quo tingens dígitum, tétigit córnua altáris, & fudit resíduum ad baſim ejus.... Immolávit & holocaúſti víctimam: obtuleruntque ei filii ſui ſánguinem ejus, quem fudit per altáris circúitum..... Et pro peccáto pópuli ófferens, mactávit hircum: expiatóque altári, fecit holocaúſtum, addens in ſacrificio libaménta, quæ pa-

riter offerúntur, & ádolens ea ſuper altáre, abſque cæremóniis holocaúſti matutíni. Immolávit & bovem atque aríetem, hóſtias pacíficas pópuli: obtulerúntque ei fílii ſui ſánguinem, quem fudit ſuper altáre in circúitum..... Et exténdens manus ad pópulum, benedíxit ei. Sícque complétis hóſtiis pro peccáto, & holocaúſtis, & pacíficis, deſcéndit. Ingréſſi autem Móyſes & Aaron in tabernáculum teſtimónii, & deínceps egréſſi, benedixérunt pópulo. Apparuítque glória Dómini omni multitúdini: & ecce egréſſus ignis à Dómino, devorávit holocaúſtum & ádipes qui erant ſuper altáre: quod cùm vidíſſent turbæ, laudavérunt Dóminum, ruéntes in fácies ſuas.

℟. *j.* Tibi, Dómine, sérviat omnis creatúra tua, quia dixíſti, & facta ſunt; * Miſíſti Spíritum tuum, & creáta ſunt, allelúia. *Judith.* 16. 17. ℣. Fecíſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdótes. *Apoc.* 5. 10. * Miſíſti.

Sermo ſancti Leónis Papæ.
Serm. 76. *De Jejun. Pentec.* 1. *Cap.* 1. 3.

LECTIO II.

HOdiérnam, dilectíſſimi, Feſtivitátem deſcenſióne ſancti Spíritûs conſecrátam *ſéquitur, ut noſtis, ſolémne jejúnium, quod ánimis corporibúſque curándis ſalúbriter* inſtitúrum, devótâ nobis eſt obſervántiâ celebrándum. Replétis namque Apóſtolis virtúte promíſſâ, & in corda eórum Spíritu veritátis ingréſſo, non ambígimus inter cétera cœléſtis Sacraménta doctrínæ, hanc ſpirituális continéntiæ diſciplínã, de Paracléti magiſtério primitùs fuíſſe concéptam: ut ſanctificátæ jejúnio mentes, conferéndis ſibi chariſmátibus fierint aptióres. Igitur poſt ſanctæ dies lætítiæ, quos in honórem Dómini à mórtuis reſurgéntis, ac deínde in cœlos aſcendéntis, exégimus, póſtque percéptum ſancti Spíritûs donum, ſalúbriter & neceſſáriè conſuetúdo eſt ordináta jejúnii: ut ſi quid fortè inter ipſa Feſtivitátum gaúdia, négligens libértas & licéntia inordináta præſúmpſit, hoc religióſæ abſtinéntiæ censúra caſtíget: quæ ob hoc quoque ſtudióſiùs exequénda eſt; ut illa in nobis, quæ hâc die Eccléſiæ divínitùs ſunt colláta, permáneant. Templum enim facti Spíritûs ſancti, & majóre quàm unquàm cópiâ divíni flúminis irrigáti, nullis debémus concupiſcéntiis vinci, nullis vítiis poſſidéri, ut virtútis habitáculum nulla ſit contaminatióne pollútum.

℟. *ij.* Ego ſum Dóminus Deus veſter: * Sancti eſtóte, quia ego Sanctus ſum, allelúia. Levit. 11. 44. ℣. Quod eſt honóris, glóriæ

& virtútis Dei, & qui eſt ejus Spíritus, ſuper vos requiéſcit. 1. *Petr.* 4. 14. * Sancti.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

LECTIO III. *c.* 6. *v.* 44. *ad* 52.

Tracti & docti à Patre.

DIxit Jeſus Judǽis: Nemo poteſt veníre ad me, niſì Pater qui miſit me, tráxerit eum. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 26. n. 4.

NOli te cogitáre invítum trahi: tráhitur ánimus & amóre. Nec timére debémus, ne ab homínibus, qui verba perpéndunt, & à rebus máximè divínis intelligéndis longè remóti ſunt, in hoc Scripturárum ſanctárum Evangélico verbo fórſitan reprehendámur, & dicátur nobis: Quómodo voluntáte credo, ſi trahor? Ego dico: Parùm eſt voluntáte, étiam voluptáte tráheris. Quid eſt, trahi voluptáte? Delectáre in Dómino, & dabit tibi petitiónes cordis tui. Eſt quædam volúptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cœléſtis. Porrò ſi Poétæ dícere lícuit: Trahit ſua quemque volúptas; non necéſſitas, ſed volúptas; non obligátio, ſed delectátio: quantò fórtiùs nos dícere debémus trahi hóminem ad Chriſtum, qui delectátur veritáte, delectátur beatitúdine, delectátur juſtítiâ, delectátur ſempitérnâ vitâ, quod totum Chriſtus eſt? An verò habent córporis ſenſus voluptátes ſuas, & ánimus deſéritur à voluptátibus ſuis? Si ánimus non habet voluptátes ſuas, unde dícitur: Fílii autem hóminum ſub tégmine alárum tuárum ſperábunt, inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ, & torrénte voluptátis tuæ potábis eos: quóniam apud te eſt fons vitæ, & in lúmine tuo vidébimus lumen? Da amántem, & ſentit quod dico: da deſiderántem, da eſuriéntem, da in iſta ſolitúdine peregrinántem, atque ſitiéntem, & fontem ætérnæ pátriæ ſuſpirántem: da talem; & ſcit quid dicam.

℟. iij. Dabo eis cor unũ,* Et ſpíritum novum tríbuam in viſcéribus eórum, allelúia. *Ezech.* 11. 19. ℣. Scriptum eſt in Prophétis: Et erunt omnes docíbiles Dei. *Joan.* 6. 45. * Et ſpíritum. Glória. * Et ſpíritum.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. *d.* Quotquot poſſeſsóres agrórum aut domórum erant, vendéntes afferébant prétia eórum quæ vendébant, allelúia. *Act.* 4. 34.

Oratio.

MEntes noſtras, quǽſumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit, illúminet; & indúcat

omnem, ſicut tuus promíſit Filius, veritátem; Qui tecum vivit .... ejúſdem Spíritûs.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. F. Dixit Jeſus: Omnis qui audívit à Patre & dídicit, venit ad me, allelúia. *Joan.* 6. 45.

FERIA QUINTA.

Pſal. 74. Confitébimur tibi, Deus, *p.* 62.

Pſal. 76. Voce meâ ad Dóminum, *p.* 76.

Diviſ. Pſal. 76. Memor fui óperum Dómini, *p.* 76.

De Libro Levítici.

LECTIO I. *c.* 10. *v.* 1. *ad.* 7.

ARréptis Nadab & Abiu filii Aaron thuríbulis, poſuérunt ignem & incénſum déſuper, offeréntes coram Dómino ignem aliénum, quod eis præcéptum non erat. Egreſsúſque ignis à Dómino devorávit eos, & mórtui ſunt coram Dómino. Dixítque Móyſes ad Aaron: Hoc eſt quod locútus eſt Dóminus: Sanctificábor in iis qui appropínquant mihi, & in conſpéctu omnis pópuli glorificábor. Quod aúdiens tácuit Aaron. Vocátis autem Móyſes Miſaéle & Eliſaphan filiis Oziel pátrui Aaron, ait ad eos: Ite & tóllite fratres veſtros de conſpéctu Sanctuárii & aſportáte extra *caſtra.* *Confeſtímque pergéntes, tulérunt eos ſicut jacébant,* veſtítos líneis túnicis, & ejécerunt foràs, ut ſibi fúerat imperátum. Locutúſque eſt Móyſes ad Aaron, & ad Eleázar, & Ithámar filios ejus: Cápita veſtra nolíte nudáre, & veſtiménta nolíte ſcíndere, ne fortè moriámini, & ſuper omnem cœtum oriátur indignátio.. Fratres veſtri, & omnis domus Iſraël, plangant incéndium quod Dóminus ſuſcitávit: vos autem non egrediémini fores tabernáculi, alióquin períbitis: óleum quippe ſanctæ unctiónis eſt ſuper vos. Qui fecérunt ómnia juxta præcéptum Móyſi.

℞. *j.* Uſquequò, *p.* 409.

Ex Hiſtória Eccleſiáſtica Euſébii Cæſariénſis Epíſcopi.

Lib. 2. *Cap.* 3.

LECTIO II.

OPitulánte cœléſti virtúte, ſalutáris Dei ſermo, tanquam ſolis rádius, univérſum terrárum orbem súbitò illuſtrávit: & próut in ſacris Lítteris prædictum fúerat, In omnem terram exívit ſonus Evangeliſtárum ſimul & Apoſtolórum, & uſque ad fines terræ verba eórum. Per omnes ígitur civitátes & vicos, Eccléſiæ infinítâ hóminum multitúdine abundántes, velut áreæ quædam frúgibus refértæ, brevì congregátæ ſunt. Et qui propagáto à majóribus errore, ſuperſtitióſo dæmonum cultu, quaſi vetúſto quodam mor

conſtrícti tenebántur, hi Chriſti virtúte, per prædicatiónem ſimul & mirácula diſcipulórum ipsíus, tanquam à ſevíſſimis dóminis liberáti, & gravíſſimis vínculis ſolúti, deórum quidem turbam à dæmónibus invéctam reſpuébant; unum autem Deum eſſe ómnium rerum opíficem confitebántur: quem quidem ſacris veræ pietátis rítibus, per divínam modeſtámque Religiónem, quam Servátor noſter in humánum genus invéxerat, colébant.

℟. *ij.* Cum diligéntia, *p.* 409.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio III. *c.* 9. *v.* 1. *ad* 6.

Apoſtolorum miſſio.

CONvocátis Jeſus duódecim Apóſtolis, dedit illis virtútem & poteſtátem ſuper ómnia dæmónia, & ut languóres curárent. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

De Civit. Dei. Lib. 22. *Cap.* 5.

TRia ſunt incredibília, quæ tamen facta ſunt. Incredíbile eſt Chriſtum reſurrexíſſe in carne, & in cœlum aſcendíſſe cum carne. Incredíbile eſt mundum rem tam incredíbilem credidíſſe. Incredíbile eſt hómines ignóbiles, infirmos, paucíſſimos, imperítos, rem tam incredíbilem, tam efficáciter mundo, & in illo étiam doctis, perſuadére potuíſſe. Horum trium incredibílium primum nolunt iſti cum quibus ágimus, crédere: ſecúndum cogúntur & cérnere: quod non invéniunt unde ſit factum, ſi non credunt tértium. Reſurréctio certè Chriſti & in cœlum cum carne in qua reſurréxit Aſcénſio, toto jam mundo prædicátur & créditur. Si credibilis non eſt, unde toto terrárum orbe jam crédita eſt? Si multi nóbiles, ſublímes, docti, eam ſe vidíſſe dixérunt, & quod vidérunt diffamáre curárunt, eis mundum credidíſſe non mirum eſt: ſed iſtos adhuc crédere nolle permírum eſt. Si autem, ut verum eſt, paucis, obſcúris, mínimis, indóctis, eam ſe vidíſſe dicéntibus & ſcribéntibus, crédidit mundus, cur pauci obſtinatíſſimi qui remanſérunt, ipſi mundo jam credénti adhuc uſque non credunt?

℟. *iij.* Diſciplínâ intelléctûs replévit illos Dóminus; * Creávit illis ſciéntiam Spíritûs; ſenſu implévit cor illórum, allelúia. *Eccli.* 17. 5. 6. ℣. Jeſus miſit Apóſtolos prædicáre regnum Dei. *Luc.* 9. 2. * Creávit. Glória. * Creávit. Te Deum.

Ad Benedictus, Ant. 1. A Omni die non ceſſabat

Apóſtoli in templo & circa domos docéntes, & evangelizántes Chriſtum Jeſum, allelúia. *Act.* 5. 42.

Oratio.

ANnue, miséricors Deus, ut qui divína præcépta violándo, à Paradíſi felicitáte decídimus, mandáta tua, duce Spíritu ſancto, cuſtodiéntes, in cœléſtem hæreditátem reſtítui mereámur; Per Dóminum... ejúſdem Spíritûs.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. f. Egréſſi Apóſtoli circuíbant per caſtélla evangelizántes, & curántes ubíque, allelúia. *Luc.* 9. 6.

FERIA SEXTA QUATUOR TEMPORUM.

Pſal. 103. Bénedic, ánima mea, Dómino: * Dómine Deus, *p.* 29.

Diviſ. Pſal. 103. Quàm magnificáta ſunt, *p.* 30.

Altera diviſ. Pſal. 103. Sit glória Dómini, *p.* 30.

De Libro Levítici.

LECTIO I. *c.* 16. *v.* 1. *ad* 4.

LOcútus eſt Dóminus ad Móyſen poſt mortem duórum filiórum Aaron, quando offeréntes ignem aliénum interfécti ſunt, & præcépit ei, dicens: Lóquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni témpore ingrediátur Sanctuárium, quod eſt intra velum coram propitiatório quo tégitur arca, ut non moriátur, quia *in nube apparébo ſuper oráculum, niſi hæc antè fécerit. Vítulum* pro peccáto ófferet, & arietem in holocaúſtum: túnicâ líneâ veſtiétur: feminálibus líneis verénda celábit: accingétur zonâ líneâ: cídarim líneam impónet cápiti. Hæc enim veſtiménta ſunt ſancta: quibus cunctis, cùm lotus fúerit, induétur.

℞. *j.* Cùm, *p.* 411.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Serm. 77. *de Jejun. Pentec.* 2. *Cap.* 1. 3.

LECTIO II.

CUm in die Pentecóſtes, quem à Paſcha Dómini quinquagéſimum celebrámus, promíſſus à Dómino Spíritus ſanctus expectántium mentes majóri quàm unquam cópiâ, & clarióre præséntiâ ſuæ majeſtátis impléverit, maniſeſtíſſimè patet, inter cǽtera Dei múnera, jejuniórum quoque grátiam, quæ hodiérnam Feſtivitátem indivíſa ſubſéquitur, tunc fuíſſe donátam: ut ſicut fuit concupiſcéntia inítium peccatórum, ità ſit continéntia orígo virtútum. Agnóſcat ergo Cathólicus Chriſtiánus ſanctitátem jejúnii ſui: quod étiam inter máximas largitátes ſteriliſſimum erit, niſi de ſancti Spíritûs rigatióne procéſſerit. Cùm enim dicat Apóſtolus nullas ſibi virtútes ſinè caritáte prodéſſe, idémque dicat caritátem Dei diffúſam eſſe in córdibus noſtris per Spíritum ſanctum qui datus eſt nobis, cavéndum eſt ne bo-

na quæ fácere ſinè bonitáte non póſſumus, elatióne perdámus. Nam omni ſe mé ritò laude diſpóliat, qui de ſtúdiis indúſtriæ ſuæ, in ſe magìs quàm in Dómino, gloriátur.

℟. *ij*. Erunt, *p*. 411.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio III. *c*.5.*v*.17.*ad* 26.

Paralyticus ſanatus.

FActum eſt in una diérum, & ipſe Jeſus ſedébat docens. Et réliqua.

Homília ſancti Hilárii Epíſcopi.

Comm. in Matt. Cap. 8.n.6.

MOvet Scribas remíſſum ab hómine peccátum: hóminem enim tantùm in Jeſu Chriſto contuebántur. Et remíſſum eſt ab eo quod Lex laxáre non póterat: fides enim ſola juſtíficat. Deínde murmuratiónem eórum Dóminus intróſpicit, dicítque fácile eſſe Filio hóminis in terra peccáta dimíttere. Verùm enim nemo poteſt dimíttere peccáta, nisì ſolus Deus: ergo qui remíttit, Deus eſt. Quia nemo remittit, nisì Deus, Deus in hómine manens, curatiónem hómini præſtábat: & nulla ei agéndi & loquéndi erat difficúltas, cui ſubeſt totum poſſe quod lóquitur. Porrò autem ut ipſe eſſe in córpore póſitus intélligi poſſet, qui & ánimis peccáta dimítteret, & reſurrectiónem corpóribus præſtáret, ait: *Ut ſciátis quóniam Fílius hóminis habet poteſtátem in terra dimíttere peccáta*, ait Paralýtico: Surge. Sed quia omnis erat perficiéndi óperis rátio explicánda, adjécit: Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

℟. *iij*. De neceſſitátibus eórum liberávit eos. * Miſit verbum ſuum, & ſanávit eos, allelúia. *Pſ.* 106. 19. 20. ℣. Virtus Dómini erat ad ſanándum eos. *Luc.* 5. 17. * Miſit. Glória. * Miſit.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. c. Apóſtoli docuérunt turbam multam, ità ut cognominaréntur primùm Antiochíæ diſcípuli, Chriſtiáni, allelúia. *Act.* 11. 26.

Oratio.

DA, quæſumus, Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, ut ſancto Spíritu congregáta, hoſtíli nullátenùs incurſióne turbétur; Per Dóminum.... ejúſdem Spíritûs.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Stupor apprehéndit omnes, & magnificábant Deum; & repléti ſunt timóre, dicéntes: Quia vídimus mirabília hódie, allelúia. *Luc.* 5. 26.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM.

Pſal. 106. Confitémini Dómino ..... dicant qui redémpti ſunt, p. 47.

Diviſ. Pſal. 106. Suſcépit eos, p. 47.

Alter. diviſ. Pſal. 106. Póſuit flúmina, *p.* 48.

De Libro Levítici.

LECTIO I. *c.* 19. *v.* 30. *ad fin.*

SAbbata mea cuſtodíte, & Sanctuárium meum metúite. Ego Dóminus. Non declinétis ad magos, nec ab aríolis áliquid ſciſcitémini, ut polluámini per eos. Ego Dóminus Deus veſter. Coram cano cápite conſúrge, & honóra perſónam ſenis: & time Dóminum Deum tuum. Ego ſum Dóminus. Si habitáverit ádvena in terra veſtra, & morátus fúerit inter vos, non exprobrétis ei: ſed ſit inter vos quaſi indígena: & diligétis eum quaſi voſmetípſos: fuíſtis enim & vos ádvenæ in terra Ægýpti. Ego Dóminus Deus veſter. Nolíte fácere iníquum áliquid in judício, in régula, in póndere, in menſúra. Statéra juſta, & æqua ſint póndera, juſtus módius, æquúſque ſextárius. Ego Dóminus Deus veſter qui edúxi vos de terra Ægýpti. Cuſtodíte ómnia præcépta mea & univérſa judícia, & fácite ea. Ego Dóminus.

℟. *j.* Tibi, Dómine, sérviat omnis creatúra tua, quia dixíſti, & facta ſunt, * Miſíſti Spíritum tuum, & creáta ſunt, allelúia. *Judith.* 16. 17. ℣. Fecíſti nos Deo *noſtro regnum* & ſacerdótes. *Apoc.* 5. 10. * Miſíſti.

Sermo ſancti Leónis Papæ. *Serm. 79. De Jejun. Pentec.* 4. *Cap.* 3. 4.

LECTIO II.

AD hanc utilitátem nos, dilectíſſimi, præſens tempus invítat; ut à Reſurrectióne Dómini uſque ad advéntum Spíritûs ſancti quinquagínta diébus eménſis, quos in lætítiâ præcípuæ Feſtivitátis exégimus, ad jejuniórum remédia recurrámus: ne fortè per occaſiónem licéntiæ blandióris, áliquas negligéntiæ culpas delectabílium uſus incíderit. Terra enim carnis noſtræ, niſi aſsíduis fúerit ſubácta cultúris, citò de ſegni ótio ſpinas tribulóſque prodúcit, & partu degéneri dabit fructum, non hórreis inferéndum, ſed ígnibus concremándum, dicénte Dómino: Omnis plantátio quam non plantávit Pater meus cœléſtis, eradicábitur. Cuſtodiénda ígitur nobis ómnium gérminum ſeminúmque generóſitas, quã ex ſummi Agrícolæ plantatióne concépimus: & vígili ſollicitúdine providéndum, ne Dei múnera áliquâ inyidéntis inimíci fraude violéntur, & in paradíſo virtútum concréſcat ſylva vitiórum. Ad declinándum autem hoc malum, nihil eſt poténtius eleemóſynis atque jejúniis, dum & carnáles cupiditátes continéntia necat, & deſideriórum ſpirituálium fructus miſe-

ricórdiæ cultúra multíplicat.

℟. ij. Ego ſum Dóminus Deus veſter: * Sancti eſtóte, quia ego Sanctus ſum, allelúia. *Levit.* 11. 44. ℣. Quod eſt honóris, glóriæ, & virtútis Dei, & qui eſt ejus Spíritus, ſuper vos requiéſcit. 1. *Petr.* 4. 14. * Sancti.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

LECTIO III. *c.* 4. *v.* 31. *ad* 37.

Dæmonium ejectum.

DEſcéndit Jeſus in Caphárnaüm civitátem Galilǽæ, ibíque docébat illos Sábbatis. Et réliqua.

Homilía ſancti Ambróſii Epíſcopi.

In Luc. Lib. 4. n. 57. 58.

VIde cleméntiam Dómini Salvatóris. Nec indignatióne commótus, nec ſcélere offénſus, nec injúriâ violátus, Judǽam déſerit: quin étiam ímmemor injúriæ, memor cleméntiæ, nunc docéndo, nunc liberándo, nunc ſanándo, infidæ plebis corda demúlcet. Et benè ſanctus Lucas virum ab ſpíritu nequítiæ liberátum antè præmíſit, & ſubſtítuit féminæ ſanitátem. Utrúmque enim ſexum Dóminus curatúrus advénerat: & prior ſanári débuit, qui prior creátus eſt; nec prætermítti illa quæ mobilitáte magìs ánimi, quàm pravitáte peccáverat. Sábbato medicínæ Domínicæ ópera cœpta ſigníficat: ut inde nova creatúra cœ́perit, ubi vetus antè deſívit: nec ſub Lege eſſe Dei Fílium, ſed ſupra Legem, in ipſo princípio deſignáret: nec ſolvi Legem, ſed impléri.

℟. iij. In médio pópuli ſui exaltábitur, & * In plenitúdine ſancta admirábitur, allelúia. *Eccli.* 24. 3. ℣. Stupébant in doctrína Jeſu, quia in poteſtáte erat ſermo ipsíus. *Luc.* 4. 32. * In plenitúdine. Glória. * In plenitúdine.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. *g.* Divulgabátur fama de Jeſu in omnem locum regiónis, allelúia. *Luc.* 4. 37.

Oratio.

MEntibus noſtris, quǽſumus, Dómine, Spíritum ſanctum benígnus infúnde; cujus & ſapiéntiâ cónditi ſumus, & providéntiâ gubernámur; Per Dóminum... ejúſdem Spíritûs ſancti, Deus.

PROPRIUM SANCTORUM.

PARS VERNA.

FESTA FEBRUARII.

DIE V.
SANCTÆ AGATHÆ, Catanenſis Virginis & Martyris,
Commemoratio.

PRIDIE *in Veſperis Ferialibus.*

Ant. Infirma, ℣. Hæréditas, *p.* lij. *Oratio*, Deus, qui inter cœtera, *p.* lv.

Poſt Laudes Matutinas Officii Ferialis.

Sermo ſancti Methódii Epíſcopi Conſtantinopolitáni.
Apud Bollandum.

LECTIO.

HOdie Chriſtiána Eccléſia ſeſe exórnet, cùm jam ſuam glorióſam intínxerit púrpuram puríſſimo Mártyris Agathæ cruóre. Gaúdeat, & exúltet, canátque ejus victórias & triúmphos. Hæc Cátanæ in Sicília ſub Imperatóre Décio, Júdice Quintiáno, poſt álapas & cárcerem, poſt equúleum & torſiónes, poſt mamillárum abſciſſiónem, poſt volutatiónem in téſtulis ac carbónibus, tandem martýrio in cárcere consúmpta eſt. (Carmen de ea ſcripſit ſanctus Dámaſus Papa, in quo teſtátur beátæ Mártyris ope fuíſſe ſervátos ab Ethnæ montis ígnibus cives Catanénſes, oppóſito ſcílicet flammis erumpéntibus velo, quo ſacer vírginis túmulus obtegebátur. Qui mos hâctenùs Cátanæ perſevérat, ubi velum illud unà cum exímiæ Mártyris Relíquiis religióſè aſſervátur.)

Ant. Confírma. ℣. Deus. *Oratio*, Deus, qui inter cœtera, *p.* lv.

DIE VI.
SANCTI AMANDI, Trajectenſis Epiſcopi,
Commemoratio.

PRIDIE *in Veſperis Ferialibus.*

Ant. Ipſum, ℣. Beátus, *p.* xxj. *Oratio*, Da Eccléſiæ, *p.* xxiv.

Poſt Laudes Officii Ferialis.

cípuè ſanćto Budóco Laureacénſi Abbáti, brevì ipſe magíſter efféćtus eſt. Hujus consíliis, Tevenecénſe monaſtérium in Coriſopiténſi território fundávit, cujus fuit primus Abbas. Hoc in múnere, continéntiæ, abſtinéntiæ, pœnitentiǽque auſterióris vela pandens, pro vićtu panem hordeáceum cínere aſpérſum cum quibúſdam leguminibus hábuit, pro lećto cúlcitram corticibus árborum refértam. Nocte diéque oratióni vacábat. In Quadragéſima, bis tantùm per hebdómadā cibum ſumébat. Erga ſe ità auſtérus, nihil durum áliis, nihil áſperum: accéſſus lenis, mores fáciles, ánimus ſemper ſibi conſtans, vultus nuſquam hilaritáte aut triſtítia mutátus. Mortem ſuā præséntiens, ad Eccléſiam deférri vóluit, ſacriſque myſtériis peráćtis, in médio fratrum, quibus benedíxit, abſque ullo dolóris ſenſu, ánimam Deo réddidit, die tértiâ Mártii, anni quingentéſimi trigéſimi ſecúndi.

Ant. Dediſti. ℣. Veníte, *p.* xlij. *Oratio*, Deus, cujus múnere, *p.* xliij.

DIE VII.

SS. PERPETUÆ, ET FELICITATIS, Carthaginenſium Martyrum, *Commemoratio.*

PRIDIE *in Veſperis Ferialibus.*

Ant. Infirma. ℣. Hæréditas, *p.* lij. *Oratio*, Da nobis, *infrà.*

Poſt Laudes Officii Ferialis.

LECTIO.

Ex earum actis apud Ruinart.

PErpétua & Felícitas, in perſecutióne Sevéri Imperatóris, Carthágine, unà cum Revocáto, Saturníno, & Secúndulo, comprehénſæ ſunt, & in cárcerem detrúſæ, quibus ultrò adjúnxit ſe Sátyrus. Erant adhuc Catechúmenæ; ſed pauló pòſt baptizátæ ſunt. Paucis diébus interjéćtis, è cárcere ad forum dedúćtæ cum sóciis, poſt glorióſam confeſſiónem, ab Hilariáno Procuratóre damnántur ad béſtias. In amphiteátrum, toto inſpećtánte pópulo, producúntur cum sóciis generóſæ mulíeres, Nonis Mártii. Ac primùm flagéllis cædúntur: tum à ferocíſſima vacca aliquándiu jaćtátæ, plagis concíſæ, & in terram eliſæ ſunt. Demùm cum iiſdem sóciis qui à váriis béſtiis vexáti erant, gladiatórum énſibus confodiúntur.

Ant. Confírma. ℣. Deus, *p.* lv.

Oratio.

DA nobis, quǽſumus, Dómine, ſanćtárum Mártyrum tuárum Perpétuæ & Felicitátis palmas inceſſábili devotióne venerári; ut quas dignâ mente non póſſumus celebráre, humi-

libus ſaltèm frequentémus obſéquiis; Per Dóminum.

Die XII.

SANCTI PAULI,
Primi Leonenſis Epiſcopi,
Commemoratio.

Pridie *in Veſperis Ferialibus.*

Ant. Ipſum. ℣. Beátus, *p.* xxj. *Oratio*, Dírige, *p.* xxiv.

Poſt Laudes Officii Ferialis.

Lectio.
Ex Bolland. Le Cointe. Lobineau.

PAulus, cognoménto Aureliánus, in majóre Británnia ortu nóbilis ſancto Abbáti Ellúto à patre in diſciplínam tráditus, pietáte & doctrínâ coævos antecélluit. Magno ſolitúdinis amóre incénſus, ut oratióni Scripturarúmque meditatióni libériùs vacáret, in erémum ad fines Británniæ ſeceſſit, ubi ex órdine Eccleſiáſtico perfectiónis cúpidos ſibi ſócios complúres adjúnxit. Mox oblátam ſibi dignitátẽ Epiſcopálem devítans, fugiénſque bárbaros qui Británniã inváſerant, navigávit in Aremóricam, appulítque in Oſſam ínſulam non longè à Leonénſi óppido diſtántem: ibíque rurſùm in dilécta ſolitúdine conquiévit. Inde egréſſus, cùm apud Aremóricos pro Chriſto legatióne *fungerétur*, ad regem Childebértum primum à Províncíæ *Præfécto* miſſus cum lítteris, quibus eum ínſcium poſtulábat Leonénſis tractûs primum Epíſcopum inſtítui, jubénte Rege, fruſtráque repugnánte ipsíus humilitáte, conſecrátus eſt. Itaque ad gregem ſibi commíſſum rédiit, & ſicut Angelus Dei à Leonénſibus excéptus eſt. Exínde aſsíduis prædicatiónibus, frequentibúſque ſignis & prodígiis, resídua Ethnicæ ſuperſtitiónis veſtígia in tota paſſim regióne ferè omnínò ſúſtulit ac delévit. Quin imò ſat multis fidélibus Evangélica non modò præcépta, ſed & consília éxequi appeténtibus monaſtéria ædificávit, in quorum præcípuo, poſt dimíſſum Epiſcopátum, beátâ morte in Chriſto quiévit.

Ant. Dómine. ℣. Glóriâ & honóre. *Oratio*, Dírige, *p.* xxiv.

Die XVII.

SANCTI PATRICII,
Epiſcopi, Hyberniæ Apoſtoli,
Commemoratio.

Pridie *in Veſperis Ferialibus.*

Ant. Ipſum. ℣. Beátus, *p.* xxj.

Oratio, Da Ecclésiæ, *p.* xxiv.

Poſt Laudes Officii Ferialis.

Lectio.

PAtrícius, in Scótia patre Calphúrnio & matre Concéſſâ génitus, chriſtiánam pietátem cóluit. A prædónibus Hibérnis in captivi

tátem abdúctus pécora paſcébat herília: aſperiſque in móntibus, inter quotidiánas duríſſimæ ſervitútis ærúmnas, regnáre ſibi eſſe ducébat. Inde fúgiens, & cum pagánis návigans, in Scótiam rédiit, ubi ſe ſocióſque per deſérta fame peritúros ſeptem & vigínti dies non ſinè miráculo pavit, incoluméſque ſervávit. Mox álterâ captivitáte liberátus, in Majus monaſtérium ſeceſſit apud Turónes, ibíque tonsúrâ monáſticâ initiátus, beáti Martíni præclára geſta triénnio dídicit, ejúſque Apoſtólico ſpíritu imbútus eſt. Deínde, poſt várias, tum in Gállia, tum in Itália peregrinatiónes, Présbyter ordinátus, divinóque inſtínctu non ſemel admónitus ut Hibérniam Evangélii fulgóre illuminándam repéteret, ſublími vocatióni fidéliter óbſequens, ſuadénte ſancto Germáno Autiſſiodorénſi Epíſcopo, Romam priùs ſe cóntulit. A ſancto Celeſtíno primo, Románo Pontífice Hibernórum Epíſcopus conſecrátus, in ínsulam áppulit, quam incredíbili labóre, aſsíduâ verbi prædicatióne, ínſuper & frequéntium miraculórũ ſplendóre, novam Chriſto hereditátem acquisívit. Extrúctis dénique permúltis Eccléſiis, inter quas eminébat Armacána totíus ínſulæ ſedes Primatiális, atque ordinátis per loca Epíſcopis & Sacerdótibus, miſsiſque étiam ad extráneos, & præſértim ad Aremóricos ſanctíſſimis alúmnis, óbiit in ſuo Sabhullénſi monaſtério: eúmque in Eccléſia Dunénſi tumulátum ſecúta eſt prodigiórum glória.

Ant. Dómine. ℣. Glória. *Oratio*, Da Eccléſiæ, *p.* xxiv.

Die XVIII.

S. Alexandri, Epiſcopi Hieroſolymitani, & Martyris,

Commemoratio.

Pridie *in Veſperis Ferialibus.*

Ant. Bonus. ℣. Juſtus, *p.* ix. *Oratio*, Fac nos, *p.* xij.

Poſt Laudes Officii Ferialis.

Sermo ſancti Hierónymi Presbýteri.

Lectio.

De Script. Eccleſ. Cap. 62.

Alexánder, Epíſcopus Cappadóciæ, cùm deſidério ſanctórum locórum Hierosólymam pérgeret, & Narcíſſus Epíſcopus ejúſdem urbis jam ſenex régeret Eccléſiam, Narcíſſo & multis Clericórum ejus revelátum eſt álterâ die manè intráre Epíſcopum, qui adjútor ſacerdotális Cáthedræ eſſe debéret. Itaque re ità complétâ, ut prædícta fúerat, cunctis in Palæſtína Epíſcopis in unum congregátis, adniténte quoque ipſo vel máximè Narcíſſo, Hieroſolymitánæ Eccléſiæ cum eo gubernácu-

lum ſuſcépit. Hic in fine cujúſdam epíſtolæ quam ſcribit ad Antinóitas ſuper pace Eccléſiæ, ait: Salútat vos Narcíſſus, qui ante me hic ténuit Epiſcopálem locum, & nunc mecum eúmdem oratiónibus regit, annos natus círciter centum séxdecim, & vos mecum precátur ut unum idémque ſapiátis. Scripſit & áliam ad Antiochénſes, per Cleméntem Presbýterum Alexandrínum, nec non ad Orígenem, & pro Orígene contra Demétrium, eò quòd juxta teſtimónium Demétrii eum Presbýterum conſtitúerit. Sed & áliæ ejus ad divérſos feruntur epíſtolæ. Septimâ autem perſecutióne ſub Décio, quo témpore Bábylas Antiochíæ paſſus eſt, ductus Cæſaréam & clauſus in cárcere ob confeſſiónem Chriſti, martýrio coronátur. (Hunc Alexándrum eſſe qui in Cánone Miſſæ poſt Ignátiũ Mártyrem Antiochénum invocátur, tam ipſe invocatiónis ordo, quàm paſſiónis celébritas, & certa fides quæ nulli álii hujus nóminis cómpetit, ſufficiénter oſténdunt.)

Ant. Hoc pro certo. ℣. Dóminus, *p.* xj. *Oratio*, Fac nos, *p.* xij.

DIE XXV.

IN ANNUNTIATIONE ET INCARNATIONE *DOMINI.*

SOLEMNE MAJUS.

Si hoc Feſtum venerit in Majori Hebdomada, aut intra Hebdomadam Paſchæ, transfertur in Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, & ejus Officium ordinatur ut infrà.

IN I. VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni* g.

CReávit Dóminus novum ſuper terram: Fémina circúmdabit virum. *Jer.* 31. 22.

Ant. 7. G. Propè eſt ut véniat tempus ejus, & dies ejus non elongabúntur. *Iſ.* 14. 1.

Ant. 1. a. A Dómino Deo exercítuum exívit, ut mirábile fáceret consilium, & magnificáret juſtítiam. *Iſ.* 28. 29.

Ant. 6. F. Sánguinem ſervórum ſuórum ulciſcétur, & vindíctam retríbuet in hoſtes eórum. *Deut.* 32. 43.

Ant. 5. C. Síleat omnis caro à fácie Dómini, quia conſurréxit de habitáculo ſancto ſuo. *Zach.* 2. 13.

CAPITULUM. *Ezech.* 12. 28.

HÆc dicit Dóminus Deus: Nòn prolongábitur ultrà omnis ſermo meus; verbum quod locútus fúero, complébitur, dicit Dóminus Deus.

℟. Ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ: * Dícite fíliæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit. *Iſ.* 62. 11. ℣. Videns vidi afflictiónem pópuli mei. *Act.* 7. 34. * Dícite. Glória. *Reſumitur* ℟. Ecce.

HYMNUS.

HÆc illa ſolémnis dies,
Dies ſalútis núntia,
Quâ miſſa cœlo tríſtibus
Venére terris gaúdia.

UNIUS omnes crímine,
Caſu gravi lapſi ſumus:
Ut ipſe lapſos érigat,
Deſcéndit in terras Deus.

QUI Patris ætérno ſinu
Ætérna Proles náſcitur,
Obnóxius fit témpori,
Sinum nec horret Vírginis.

MORTALE corpus índuit,
Orbi piándo víctimam;
Ut innocénti ſánguine,

Scelus nocéntûm díluat.
Qui cuncta complet Númine,
Noſtros ſe in artus cólligit;
Ut nos redúcat ad Deum,
En ipſe nobíſcum Deus.
Mundo, Redémptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna sécula. Amen.
℣. Tu exúrgens, Dómine, miſeréberis Sion;
℟. Quia tempus miſeréndi ejus. *Pſ.* 101. 14.
Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Ecce Virgo concípiet & páriet Fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuël. *Iſ.* 7. 14.

Oratio.

Deus, qui Unigénitum tuum tibi coætérnum, ex María Vírgine hóminem in plenitúdine témporum fieri voluíſti; præſta, quæſumus, ut ejus Incarnatiónis Myſtério, adoptiónem filiórum recipiámus; Per eúmdem Dóminum noſtrũ, Jeſum Chriſtum.

Commemoratio de Feria Quadrageſimæ.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas, cum Pſalmis de Feria.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Verbum caro factum eſt; * Veníte, adorémus. *Joan.* 1. 14.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſolemni.*

Hymnus.

Cælestis Ales núntiat
Impléndа mox myſtéria:
Virtúte fecúndâ Deus
Illápſus implet Vírginem.
Qualis ſtupéndo glória
Te, Virgo, de partu manet!
Concéptus in tuo ſinu
Natus Deo, nunc eſt tuus;
De Virgináli sánguine,
Quem nulla labes ínficit,
Fingénte ſancto Spíritu,
Chriſti caro compíngitur.
Nobis per hanc mortálibus
Lactéſcit eſca cœlitûm:
Nos paſcit infántes Homo,
Qui paſcit Angelos Deus.
Mundo, Redémptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna sécula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

In Pſal. 18. Cœli enárrant, *p.* 31.

Ant. 1. f. In princípio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *Joan.* 1. 1.

In diviſionem Pſal. 18. Lex Dómini immaculáta, *p.* 31.

Ant. 2. D. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſinè ipſo factum eſt nihil. *Joan.* 1. 3.

In Pſal. 47. Magnus Dóminus, *p.* 107.

Ant. 3. g. Erat lux vera quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. *Joan.* 1. 9.

℣. Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ inténde: ℟. Próſperè procéde & regna. *Pſ.* 44.

De Daniéle Prophéta.

Lectio I. *c.* 9. *v.* 1. *ad* 4. & 19.

IN anno primo Darii filii Aſſuéri de sémine Medórum, qui imperávit ſuper regnum Chaldæórum: anno uno regni ejus, ego Dániel intelléxi in libris númerum annórum, de quo factus eſt ſermo Dómini ad Jeremíam Prophétam, ut compleréntur deſolatiónis Jerúſalem ſeptuagínta anni. Et póſui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre & deprecári in jejúniis, ſacco, & cínere. Et orávi Dóminum Deum meum, & conféſſus ſum, & dixi: Obſecro, Dómine Deus magne & terríbilis, cuſtódiens pactum & miſericórdiam diligéntibus te, & cuſtodiéntibus mandáta tua.... Exaúdi, Dómine; placáre, Dómine; atténde & fac; ne moréris propter temetípſum, Deus meus.

℟. *j.* Egrediétur qui ſit Dominátor in Iſraël, * Et egréſſus ejus ab inítio à diébus æternitátis. *Mich.* 5. 2. ℣. Erat in princípio apud Deum. *Joan.* 1. 2. * Et egréſſus. Glória. * Et egréſſus.

Lectio II. *v.* 20. *ad* 24.

CUmque adhuc lóquerer, & orárem, & confitérer peccáta mea, & peccáta pópuli mei Iſraël, & proſtérnerem preces meas in conſpéctu Dei mei, pro monte ſancto Dei mei, adhuc me loquénte in oratióne, ecce vir Gábriel, quem víderam in viſióne à princípio, citò volans tétigit me in témpore ſacrifícii veſpertíni. Et dócuit me, & locútus eſt mihi, dixítque: Dániel, nunc egréſſus ſum ut docérem te, & intelligeres. Ab exórdio precum tuárum egréſſus eſt ſermo: ego autem veni ut indicárem tibi, quia vir deſideriórum es. Tu ergo animadvérte ſermónem, & intéllige viſiónẽ. Septuagínta hebdómades abbreviátæ ſunt ſuper pópulum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam: ut conſummétur prævaricátio, & finem accípiat peccátum, & deleátur iníquitas, & adducátur juſtítia ſempitérna, & impleátur víſio & prophétia, & ungátur Sanctus ſanctórum.

℟. *ij.* Exultávit ut gigas ad curréndam viam; * A ſummo cœlo egréſſio ejus. *Pſ.* 18. 6. 7. ℣. Mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognóvit. *Joan.* 1. 10. * A ſummo. Glória. * A ſummo.

Lectio III. *v.* 25. *ad fin.*

SCito ergo, & animadvérte: Ab éxitu ſermónis, ut íterùm ædificétur Jerúſalem, uſque ad Chriſtum Ducem, hebdómades ſeptem, & hebdómades ſexagínta duæ erunt: & rurſùm ædificábitur platéa, & muri in anguſtia témporum. Et poſt hebdómades ſexa-

gínta duas occidétur Chriſtus : & non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus eſt. Et civitátem & Sanctuárium diſſipábit pópulus cum duce ventúro : & finis ejus váſtitas : & poſt finem belli ſtatúta deſolátio. Confirmábit autem pactum multis hebdómada una : & in dimídio hebdómadis defíciet hóſtia & ſacrifícium : & erit in Templo abominátio deſolatiónis : & uſque ad conſummatiónem & finem perſeverábit deſolátio.

℟. *iij*. Inter benedíctos benedicétur, dicens : * Ego ex ore Altíſſimi prodívi. *Eccli*. 24. 4. 5. ℣. Unigénitus Fílius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrávit. *Joan*. 1. 18. * Ego. Glória. *Reſumitur* ℟. Inter.

IN II. NOCTURNO.

In Pſal. 44. Eructávit cor meum, *p*. 74.

Ant. 8. G. Miſſus eſt Angelus Gábriel à Deo, in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem deſponsátam viro cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen Vírginis María. *Luc*. 1. 26. 27.

In diviſ. Pſal. 44. Audi, fília, *p*. 75.

Ant. 1. *D*. Ingréſſus Angelus ad eam, dixit : Ave, grátiâ plena, Dóminus tecum. *Luc*. 1. 28.

In Pſal. 84. Benedixíſti, Dómine, *p*. 78.

Ant. 3. *a*. María cogitábat qualis eſſet iſta ſalutátio : & ait Angelus ei : Ne tímeas, María ; inveníſti enim grátiam apud Deum. *Luc*. 1. 29. 30.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ*. 131. 13.

Sermo ſancti Leónis Papæ. *Serm*. 21. *in Nativ*. *Dom*. 2. *Cap*. 1.

LECTIO IV.

DEus omnípotens & clemens, cujus natúra bónitas, cujus volúntas poténtia, cujus opus miſericórdia eſt, ſtatim ut nos diabólica malígnitas venéno ſuæ mortificávit invídiæ, præparáta renovándis mortálibus ſuæ pietátis remédia, inter ipſa mundi primórdia præſignávit ; denúntians ſerpénti futúrum ſemen mulíeris, quod nóxii cápitis elatiónem ſuâ virtúte contéreret, Chriſtum ſcílicet in carne ventúrum, Deum hominémque ſigníficans, qui natus ex Vírgine, violatóré humánæ propáginis, incorrúptâ nativitáte damnáret.

℟. *iv*. Suſcitábo ſemen tuum poſt te, quod * Egrediétur de útero tuo, & firmábo regnum ejus. 2. *Reg*. 7. 12. ℣. Quod naſcétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc*. 1. 35. * Egrediétur. Glória. * Egrediétur.

LECTIO V.

NAm quia gloriabátur diábolus, hóminem ſuâ fraude decéptum, divinis caruíſſe munéribus, & immortalitátis dote nudá-

tum, duram mortis ſubiiſſe ſenténtiam, séque in malis ſuis quoddam de prævaricatóris consórtio inveniſſe ſolátium, Deum quoque juſtè, ſeveritátis exigénte ratióne, erga hóminem quem in tanto honóre condíderat, antíquam mutáſſe ſenténtiam: opus fuit, dilectíſſimi, ſecréti diſpenſatióne consílii, ut incommutábilis Deus, cujus volúntas non poteſt ſuâ benignitáte privári, primam pietátis ſuæ diſpoſitiónem Sacraménto occultióre compléret, & homo diabólicæ iniquitátis versútiâ actus in culpam, contra Dei propóſitum, non períret.

℟. v. Omnes pópuli, tribus, & linguæ ipſi sérvient: * Potéſtas ejus, potéſtas ætérna, quæ non auferétur. *Dan.* 7. 14. ℣. Regnábit in domo Jacob in ætérnum: & regni ejus non erit finis. *Luc.* 1. 32. 33. * Potéſtas. Glória. * Potéſtas.

Lectio VI. *Cap.* 2.

ADdveniéntibus ergo tempóribus, dilectíſſimi, quæ redemptióni hóminum fúerant præſtitúta, ingréditur hæc ínfima Jeſus Chriſtus Fílius Dei, de cœléſti ſede deſcéndens, & à patérna glória non recédens, novo órdine, novâ nativitáte generátus. Novo órdine, quia invisíbilis in *ſuis*, visíbilis factus eſt in *noſtris*: incomprehensíbilis vóluit comprehéndi: ante témpora manens, eſſe cœpit ex témpore: univerſitátis Dóminus, ſervílem formam, obumbrátâ majeſtátis ſuæ dignitáte, ſuſcépit: impaſsíbilis Deus non dedignátus eſt homo eſſe paſsíbilis, & immortális mortis légibus ſubjacére. Novâ autem nativitáte génitus eſt, concéptus à Vírgine, natus ex Vírgine, ſinè patérnæ carnis concupiſcéntia, ſinè matérnæ integritátis injúria. Quia futúrum hóminum Salvatórem talis ortus decébat, qui & in ſe habéret humánæ ſubſtántiæ natúram, & humánæ carnis inquinaménta neſcíret.

℟. vj. Multiplicábitur ejus impérium, & pacis non erit finis: * Super sólium David & ſuper regnum ejus ſedébit. *Iſ.* 9. 7. ℣. Hic erit magnus, & Fílius Altíſſimi vocábitur. *Luc.* 1. 32. * Super. Glória. *Reſumitur* ℟. Multiplicábitur.

IN III. NOCTURNO.

In Pſal. 86. Fundaménta ejus, *p.* 108.

Ant. 8. G. Quod in María natum eſt, de Spíritu ſancto eſt: páriet autem Fílium. *Matt.* 1. 20. 21.

In Pſal. 96. Dóminus regnávit, exúltet, *p.* 36.

Ant. 7. d. Vocábunt nomen ejus Emmánuel; quod eſt interpretátum, Nobiſcum Deus. *Matt.* 1. 23.

In Pſal. 97. Cantáte Dómino cánticum novum. *

qui

quia mirabília fecit, *p.* 80.

Ant. 2. *D.* Hoc totum factum eſt, ut adimplerétur quod dictum eſt à Dómino per Prophétam dicéntem: Ecce Virgo in útero habébit & páriet Fílium. *Matt.* 1. 22. 23.

℣. Recordátus eſt Dóminus miſericórdiæ ſuæ, ℟. Et veritátis ſuæ dómui Iſraël. *Pſ.* 97. 3.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Titum.

LECTIO VII. *c.* 2. *v.* 11. *ad finem.*

APpáruit grátia Dei Salvatóris noſtri ómnibus homínibus, erúdiens nos: ut abnegántes impietátem, & ſeculária deſidéria, sóbriè, & juſtè, & piè vivámus in hoc século, expectántes beátam ſpem & advéntum glóriæ magni Dei, & Salvatóris noſtri Jeſu Chriſti, qui dedit ſemetípſum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, & mundáret ſibi pópulum acceptábilem, ſectatórem bonórum óperum. Hæc lóquere, & exhortáre, & árgue cum omni império. Nemo te contémnat.

℟. *vij.* Ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî, filia Sion, ait Dóminus; * Et applicabúntur gentes multæ ad Dóminum in die illa. *Zach.* 2. 10. 11. ℣. Ero illórum Deus; & ipſi erunt mihi pópulus. 2. *Cor.* 6. 16. * *Et applicabúntur.* Glória. * *Et applicabúntur.*

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

LECTIO VIII. *c.* 1. *v.* 1. *ad* 13.

MUltifáriàm, multíſque modis olim Deus loquens pátribus in Prophétis, noviſſimè diébus iſtis, locútus eſt nobis in Fílio, quem conſtítuit hærédem universórum, per quem fecit & sécula. Qui cùm ſit ſplendor glóriæ, & figúra ſubſtántiæ ejus, portánſque ómnia verbo virtútis ſuæ, purgatiónem peccatórum fáciens, ſedet ad déxteram Majeſtátis in excélſis, tantò mélior Angelis effectus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit. Cui enim dixit aliquándo Angelórum: Fílius meus es tu, Ego hódie génui te? Et rursùm: Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Fílium? Et cùm íterùm introdúcit Primogénitum in orbem terræ, dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpíritus, & miníſtros ſuos flammam ignis. Ad Fílium autem: Thronus tuus, Deus, in séculum séculi: virga æquitátis, virga regni tui. Dilexíſti juſtítiam, & odíſti iniquitátem: proptéreà unxit te, Deus, Deus tuus óleo exultatiónis præ participibus tuis. Et tu in princípio, Dómine, terram fundáſti: & ópera mánuum tuárum ſunt

cœli. Ipſi períbunt, tu autem permanébis, & omnes ut veſtiméntum veteráſcent :& velut amíctum mutábis eos, & mutabúntur : tu autem idem ipſe es; & anni tui non defícient. Ad quem autem Angelórum dixit aliquándo : Sede à dextris meis, quoadúſque ponam inimícos tuos ſcabéllum pedum tuórum?

℟. *viij*. Sciet pópulus meus nomen meum in die illa; * Quia ego ipſe qui loquébar, ecce adſum. *Iſ.* 52. 6. ℣. Implétum eſt tempus, & appropinquávit regnum Dei. *Marc.* 1. 15. * Quia. Glória. * Quia.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio IX. *c.* 1. *v.* 26. *ad* 38.

Angelus Gabriel annuntiat Verbi Incarnationem.

MIſſus eſt Angelus Gábriel à Deo, in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Expoſ. Evangel. ſecund. Luc. Lib. 2. *Cap.* 1. n. 15. 16.

TAnti mandáti Myſtérium, non hóminis fuit, ſed Angeli ore proméndum. Hódie primùm audítur : Spíritus ſanctus ſupervéniet in te. Et audítur, & créditur. Ecce, inquit, ancílla Dómini : contíngat mihi ſecúndùm verbum tuum. Vide humilitátem, vide devotiónem. Ancíllam ſe dicit Dómini, quæ mater elígitur; nec repentíno exaltáta promíſſo eſt. Simul ancíllam dicéndo, nullam ſibi prærogatívam tantæ grátiæ vindicávit, quæ fáceret quod juberétur. Mitem enim humilémque paritúra, humilitátem débuit étiam ipſa præférre. Ecce ancílla Dómini : contíngat mihi ſecúndùm verbum tuum. Habes obſéquium, vides votum. Ecce enim ancílla Dómini, apparátus officii eſt : Contíngat mihi ſecúndùm verbum tuum, concéptus eſt voti.

℟. *ix*. Indúere veſtiméntis glóriæ tuæ, Jerúſalem, cívitas Sancti: quia * Non adjíciet ultrà, ut pertránſeat per te incircumcíſus & immúndus. *Iſ.* 52. 1. ℣. Non erit impoſſíbile apud Deum omne verbum. *Luc.* 1. 37. * Non. Glória. *Reſumitur* ℟. Indúere.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*. Miſericórdias Dómini in ætérnum cantábo, ℟. In generatiónem & generatiónem. *Pſ.* 88. 2.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 1. A. Feciſti in nobis, Dómine Deus noſter, ſecúndùm omnem bonitátem tuam. *Bar.* 2. 27.

Ant. 5. a. Feciſti mirabília, cogitatiónes antí-

quas, fidéles. *Iſ.* 25. 1.

Ant. 3. *a.* Quid eſt homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? *Job.* 7. 17.

Ant. 6. F. Collaúdent.

CANTICUM ISAIÆ.

c. 52. *v.* 7. *ad* 10.

Prænuntiatur Incarnationis Myſterium.

QUàm pulchri ſuper montes pedes annuntiántis & prædicántis pacem, * annuntiántis bonum!

Prædicántis ſalútem, * dicéntis Sion: Regnábit Deus tuus!

Vox ſpeculatórum tuórum, * levavérunt vocem, ſimul laudábunt:

Quia óculo ad óculum vidébunt, * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte & laudáte ſimul, desérta Jerúſalem; * quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum, redémit Jerúſalem.

Parávit Dóminus bráchium ſanctum ſuum, * in óculis ómnium géntium;

Et vidébunt omnes fines terræ * ſalutáre Dei noſtri.

Glória Patri.

Ant. Collaúdent te, omnes qui novérunt nomen tuum, in hymnis. 1. *Mach.* 4. 33.

Ant. 1. *g.* Fac ſicut locútus es, permaneátque & magnificétur nomen tuum *uſque in ſempitérnum.* 1. *Par.* 17. 23. 24.

CAPITULUM. 1. *Joan.* 4. 9.

IN hoc appáruit cáritas Dei in nobis: quóniam Fílium ſuum unigénitum miſit Deus in mundum, ut vivámus per eum.

HYMNUS.

PUlsum ſupérnis ſédibus,
Umbris tot annos óbſitum,
Cœléſtis ignárum viæ,
Errábat humánum genus.

Cœlestis en Rex cúriæ,
Ut monſtret ad cœlum viam,
Secúmque ducat éxules,
Se ſpontè fecit éxulem.

Se déviis præbet ducem,
Vires dat ambulántibus;
Eſt ipſe, quâ ducit, via,
Quò ducit, ipſe términus.

Deus, ſupréma Véritas
Umbráta velo córporis,
Puris vidénda méntibus,
Luſtra tuo nos lúmine.

Et tu, tuórum ſis memor,
Quæ, dum modéſto péctore
Te dicis ancíllam Dei,
Regína mundi díceris.

Mundo Redémptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna sécula.
Amen.

℣. Redemptiónem miſit Dóminus pópulo ſuo; ℟. Mandávit in ætérnum teſtaméntum ſuum. *Pſ.* 110. 9.

Ad Benedictus, Ant. 6. F. Impléſti verba tua, Dómi-

ne, quóniam juſtus es; & vidíſti afflictiónem patrum noſtrórum. 2. *Eſdr.* 9. 8. 9.

Oratio.

DEus, qui in beátæ Mariæ Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem ſuſcípere voluíſti; præſta ſupplícibus tuis, ut qui verè eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eúmdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat, in unitáte.

Commemoratio de Feria Quadrageſimæ, per Lectionem Evangelii cum Homilia, Antiphonam, ℣. & Orationem, ut in Proprio de Tempore.

Ad Horas, *Doxologia.*

Mundo Redémptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna sécula.
Amen.

Pſalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. Fecíſti in nobis.

Capitulum. *Tit.* 2. 14.

DEdit ſemetípſum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, & mundáret ſibi pópulum acceptábilem, ſectatórem bonórum óperum.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matt.* 1. 16.

AD TERTIAM.

Ant. Fecíſti mirabília.

Capitulum. *Eccli.* 11. 4.

MIrabília ópera Altíſſimi ſolíus, & glorióſa, & abſcónſa, & inviſa ópera illíus.

℟. *breve.* Deus Rex noſter ante sécula, * Operátus eſt ſalútem. ℟. Deus. ℣. In médio terræ. * Operátus. Glória. ℟. Deus. *Pſ.* 73. 12.

℣. Dóminus memor fuit noſtrî; ℟. Et benedíxit nobis. *Pſ.* 113. 12.

AD SEXTAM.

Ant. Quid eſt.

Capitulum. *Act.* 13. 32. 33.

ANnuntiámus eam quæ ad patres noſtros repromíſſio facta eſt, quóniam hanc Deus adimplévit.

℟. *breve.* Miſericórdia & véritas * Obviavérunt ſibi. ℟. Miſericórdia. ℣. Juſtítia & pax oſculátæ ſunt. * Obviavérunt. Glória. ℟. Miſericórdia. *Pſ.* 84. 11.

℣. Véritas de terra orta eſt; ℟. Et Juſtítia de cœlo proſpéxit. *Pſ.* 84. 12.

AD NONAM.

Ant. Fac.

Capitulum. 1. *Joan.* 4. 10.

IN hoc eſt cáritas: Non quaſi nos dilexérimus Deum, ſed quóniam ipſe prior diléxit nos, & miſit Fílium ſuum propitiatiónem pro peccátis noſtris.

℟. breve. Dómini eſt * Aſſúmptio noſtra. ℟. Dó-

mini. ℣. Et Sancti Iſraël Regis noſtri. * Aſsúmptio noſtra. Glória. ℟. Dómini. *Pſ.* 88. 19.

℣. Magnificáte Dóminum mecum ; ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípſum. *Pſ.* 33. 4.

AD VESPERAS.

In Pſal. 109. Dixit Dóminus, *p.* 22.

Ant. 1. f. Appáruit grátia Dei Salvatóris noſtri ómnibus homínibus. *Tit.* 2. 11.

In Pſal. 112. Laudáte, púeri, *p.* 23.

Ant. 7. d. Maniféſtum eſt quòd ex Juda ortus ſit Dóminus noſter. *Hebr.* 7. 14.

In Pſal. 121. Lætátus ſum, *p.* 116.

Ant. 5. a. Nuſquam Angelos apprehéndit, ſed ſemen Abrahæ apprehéndit. *Hebr.* 2. 16.

In Pſal. 126. Nisi Dóminus ædificáverit, *p.* 56.

Ant. 4. E. Propter quam cauſam, non confúnditur fratres eos vocáre, dicens : Nuntiábo nomen tuum frátribus meis. *Hebr.* 2. 11. 12.

In Pſal. 147. Lauda, Jerúſalem, Dóminum, *p.* 80.

Ant. 3. *a.* Quis audívit unquam tale, & quis vidit huic símile ? *Iſ.* 66. 8.

Capitulum. *Hebr.* 2. 14. 15.

QUia púeri communicavérunt carni & sánguini, & ipſe ſimíliter participávit eíſdem, ut per mortem deſtrúeret eum qui habébat mortis impérium, id eſt, diábolum, & liberáret eos qui timóre mortis, per totam vitam obnóxii erant ſervitúti.

Hymnus. Hæc illa ſolémnis dies, *ſuprà, in I. Veſperis, p.* 428.

℣. In humilitáte noſtra memor fuit noſtrî, ℟. Quóniam in ætérnum miſericórdia ejus. *Pſ.* 135. 23.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Viſitávit nos Oriens ex alto, illumináre his qui in ténebris, & in umbra mortis ſedent. *Luc.* 1. 78. 79.

Commemoratio de Feria Quadrageſimæ.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 3. *à.* Vidébit omnis caro Salutáre Dei. *Luc.* 3. 6.

Hymnus. Virgo Dei Génitrix, *p.* lxxxix.

Capitulum. 2. *Joan.* *v.* 7.

MUlti ſeductóres exiérunt in mundum, qui non confiténtur Jeſum Chriſtum veníſſe in carnem. Hic eſt ſedúctor & Antichríſtus.

℟. *breve.* In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 7. d. Diligámus Deum, quóniam Deus prior diléxit nos. 1. *Joan.* 4. 19.

Oratio, Deus, qui in caſto ſinu, *p.* lxxxix.

IN ANNUNTIATIONE
ET INCARNATIONE DOMINI,
TEMPORE PASCHALI.

In I. Veſperis et Completorio, *omnia ut in Officio præcedenti, addendo ſemel* Allelúia, *in fine Antiphonarum & Reſponſorii.*

Ad Officium Nocturnum, *Invitatorium & Hymnus ut in Officio præcedenti, addendo ſemel* Allelúia *poſt Invitatorium, quoties repetitur. Pſal. Ant. & ℟℟. è III. Nocturno Officii præcedentis, addendo ſemel* Allelúia, *in fine Antiph. & Reſponſ.*

Lectio I. De Daniéle Prophéta, *ut in I. Nocturno ejuſdem Officii, tribus in unam junctis p. 430.*

Lectio II. Sermo ſancti Leónis Papæ, *ut in II. Nocturno ejuſdem Officii, tribus pariter in unam junctis, p. 431.*

Lectio III. *Evangelium cum Homilia, p. 434.*

Ad Laudes et alias Horas, *omnia ut in Officio præcedenti, addito ſemel* Allelúia, *poſt ſingulas Antiphonas, & duplici* Allelúia, *in ℟℟. brevibus, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ.*

FESTA APRILIS.

DIE II.
IN FESTO SANCTI FRANCISCI DE PAULA,
Inſtitutoris Ordinis Minimorum.

Si hoc Feſtum venerit in Quadrageſima, de eo in Officio Feriæ fiet Commemoratio; in I. Veſperis, per Ant. Sedébit, ℣. Pinguéſcent, *p.* xl. *& Orat.* Deus, humílium, *infrà.*

In Laudibus, per Lectionem ſequentem, Franciſcus, Paulæ, &c. *infrà, Ant.* Veníſti, ℣. Aſcenſiónes, *p.* xliij. *& Orationem,* Deus humílium, *infrà.*

TEMPORE PASCHALI.
Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Monachi, p. xxxix. *additis quæ ſequuntur.*

Duæ priores Lectiones, de Scriptura occurrente, nempè de Actibus Apoſtolorum: omittitur enim tertia quæ deſumitur ex Epiſtolis Canonicis. Et ſic in omnibus Semiduplicibus & Simplicibus Temporis Paſchalis.

LECTIO III.

Ex ejus vita apud Bolland.

FRancíſcus, Paulæ in Calábria natus, à téneris annis ſolitúdinem dilígere, ac jejúniis & oratiónibus vacáre cœpit. Eccléſiam propè Paulam ædificávit: ac prima ibi ſui Ordinis fundaménta jecit. Cúmque præ humilitáte, ómnium mínimus habéri vellet, alúmnos quoque ſuos Mínimos vóluit appellári. A Ludovíco undécimo Francórum rege, propter miraculórum famam expetítus, jubénte Sixto quarto, ad eum ſe cóntulit. Quem Rex magno cum honóre excépit in palátio Plexítio propè Turónes: eóque in loco monaſtérium illi conſtrúxit. Ibi Francíſcus mortis ſuæ præſcius, ánimam Chriſto réddidit, anno ætátis círciter nonagéſimo, ſalútis milléſimo quingentéſimo séptimo. Eũ Leo décimus in Sanctórum númerum adſcripſit.

Oratio.

DEus, humílium celſitúdo, qui beátum Francíſcum Sanctórum tuórum glóriâ ſublimáſti; tríbue, quæſumus, ut ejus méritis & imitatióne, promíſſa humílibus prǽmia felíciter conſequámur; Per Dóminũ.

DIE III.

IN FESTO SANCTI JUSTINI, *Philoſophi* & Martyris.

Si hoc Feſtum venerit in Quadrageſima, de eo in Officio Feriæ fiet Commemoratio; in I. Veſperis, per Ant. Bonus. ℣. Juſtus, *p.* ix. *& Orationem,* Adéſto, *p.* xij.

In Laudibus, per Lectionem ſequentem, Juſtínus Philóſophus, &c. *infrà, Ant.* Hoc pro certo, ℣. Dóminus, *p.* xj. *& Orationem,* Adéſto, *p.* xij.

TEMPORE PASCHALI.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, p. viij. *additis quæ ſequuntur.*

Ex Libro ſancti Hierónymi Presbýteri, de Scriptóribus Eccleſiáſticis.

LECTIO III.

JUſtínus Philóſophus, hábitu quoque Philoſophórũ incédens, de Neápoli urbe Palæſtínæ, patre Priſco Bácchio, pro religióne Chriſti plúrimùm laborávit: in tantùm ut Antoníno Pio, & Fíliis ejus, & Senátui librum contra gentes ſcriptum daret, ignominiámque crucis non erubéſceret, & álium librum ſucceſſóribus ejúſdem Antoníni, Antoníno Vero & Aurélio Cómmodo. Extat ejus & áliud volúmen contra Gentes. Hic cùm in urbe Roma Creſcéntem Cýnicum, qui multa advérsùs Chriſtiános blaſphemábat, redargúeret gulóſum & mortis tímidum, luxuriǽque & libídinum ſectatórem, ad extrémùm ſtúdio ejus & inſídiis accusátus quòd Chriſtiano

eſſet, pro Chriſto ſánguinem fudit.

Oratio. Adéſto, *p.* xij.

DIE XVI.

IN FESTO

SANCTI PATERNI,

Primi Venetenſis Epiſcopi.

Si hoc Feſtum venerit in Quadrageſima, de eo in Officio Feriæ fiet Commemoratio; in I. Veſperis, per Ant. Ipſum, ℣. Beátus, *p.* xxj. *& Orationem.* Da Eccléſiæ, *p.* xxiv.

In Laudibus, per Lectionem ſequentem, Patérnus, &c. *infrà, Ant.* Dómine, ℣. Glóriâ, *& Orationem*, Da Eccléſiæ, *p.* xxiv.

TEMPORE PASCHALI.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Pontificis, p. xx. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex Antiq. Eccleſ. Veneten-ſis monum. Lobin. Bolland.

PAtérnus, paréntibus proſápiâ illúſtribus in Británnia minóri natus eſt circa médium séculi quarti. Vitam in erémo auſterióre ampléxus, ſanctitátis ſplendórem aſſecútus eſt, qui diſcípulos ad ipſum addúcere non déſtitit. Hos inte ad Epiſcopátum evécti ſunt nonnúlli, ac præcipuè Patérnus alter, quem in ſede Veneténſi ſucceſsórem hábuit. Patérnus promovénte Rege Conáno, & expoſtulántibus ómnium votis, ſolitúdini raptus eſt, & ad Epiſcopálem dignitátem evéctus. Hoc in múnere, aſſuétis non ſolùm nihil detráxit auſteritátibus, ſed oratióni, jejúnio, vigíliis, fervéntiùs ac rigidiùs inſtitit. Virtútibus quibus antè præfulgébat, caritátem in paſcéndis paupéribus, peregrínis hoſpitándis inexplébilē adjúnxit. At quò magis ſanctitáte fulgébat, eò graviórem in ſe non paucórum incitávit invidórum inſectatiónem. Hanc invíctâ lenitáte & patiéntiâ diu tolerátam, cùm ſedáre nequivíſſet, loco nécnon regióne ſpontè ceſſit, & erémum repétiit. Ibi auſteritátibus ſicut sénio conféctus, vitæ ſanctíſſimæ ſtádium abſólvit, plúſquā nonagenárius, circa annum quadringentéſimum quadragéſimū octavū.

Oratio. Da Eccléſiæ; *p.* xxiv.

DIE XXIII.

IN FESTO

SANCTI GEORGII,

Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris, p. viij. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex S. Fortun. & Greg. Tur.

GEórgius, inter Orientáles Mártyres, Magni título commendátus, longo & multíplici certámine claruíſſe ſcríbitur. Sub ejus nómine, insígnis Basílica ab Imperatóribus Chriſtiánis ejus túmulo ſuperſtrúcta eſt in Palæſtína, Ly-

dam inter & Rámulam: unde fama ejus propter collátam multis peregrinántibus opem, in Occidéntem perváſit. Hanc célebrem ſuo témpore per Itáliam fuiſſe teſtis eſt Gregórius magnus in epiſtolis: & in Gállia latè jam ſuâ ætáte percrebuiſſe mémorant Gregórius Turonénſis in libro de miráculis, & ſanctus Fortunátus Pictaviénſis in carmínibus. Antiquiórem étiam intra Galliárum fines nóminis ejus veneratiónem teſtántur, tum Cœnóbia multa, tum innúmeræ ferè Parochiáles Eccléſiæ, quæ paſſim in ipſis, ſub ejus invocatióne, plúribus ab hinc ſéculis Deo dicátæ deprehendúntur.

Oratio, Da nobis, *p.* xij.

DIE XXV.

IN FESTO SANCTI MARCI, Evangeliſtæ.

Si hoc Feſtum venerit intra Hebdomadam Paſchæ, transfertur unà cum Litaniis in primam diem poſt Dominicam primam à Paſchate, Feſto Duplici minori aut ſuprà, non impeditam. Si incidat in aliquam è Dominicis poſt Paſcha, transfertur unà cum Litaniis, in Feriam ſecundam ſequentem, modò non impediatur, ut ſuprà.

IN I. VESPERIS.

Antiphona. 1. *toni* a.

ECce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne, & nubes magna, & ignis invólvens, & ſpendor in circúitu ejus, allelúia. *Ezech.* 1. 4.

Ant. 7. c. In médio ejus ſimilitúdo quátuor animálium, & hic aſpéctus eórum: ſimilitúdo hóminis in eis, allelúia. *Ezech.* 1. 5.

Ant. 3. a. Aſpéctus eórum quaſi carbónum ignis ardéntium, & quaſi aſpéctus lampadárum, allelúia. *Ezech.* 1. 13.

Ant. 2. D. Cùm ambulárent, quaſi ſonus erat multitúdinis, ut ſonus caſtrórum, allelúia. *Ezech.* 1. 24.

Ant. 5. a. Ibant & revertebántur, in ſimilitúdinem fúlguris coruſcántis, allelúia. *Ezech.* 1. 14.

CAPITULUM. *Apoc.* 4. 7.

ANimal primum ſímile leóni, & ſecúndùm ánimal ſímile vítulo, & tértium ánimal habens fáciem quaſi hóminis, & quartum ánimal ſímile áquilæ volánti.

℟. Audívi poſt me vocem commotiónis magnæ: * Benedícta glória Dómini de loco ſuo, allelúia. *Ezech.* 3. 12. ℣. Quátuor animália réquiem non habébant, die ac nocte dicéntia. *Apoc.* 4. 8. * Benedícta. Glória. * Benedícta.

HYMNUS.

SINÆ ſub alto vértice,
Cœlo tonánte, Lex data:
Inter tubas & fúlgura,
Præſens minabátur Deus.
NUNC, temperáto Númine,

Per vela carnis blándiùs
Amat vidéri, lánguidis
Se lumen aptans sénſibus.
Insculpta ſaxo Lex vetus,
Præcépta non vires dabat;
Inſcrípta cordi Lex nova,
Præcépta dat cum víribus.
Scripsistis hanc fidâ manu;
Hanc voce, voci cónſonis
Hanc prædicáſtis móribus;
Signáſtis hanc & sánguine.
Afflante divo Spíritu,
Quæ verba vitæ tráditis,
Hæc ille noſtris ímprimat
Deléndа nunquam córdibus.
Da, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat,
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Pſ.* 67. 12.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. *g.* Ubi erat ímpetus ſpíritûs, illuc gradiebántur, nec revertebántur cùm ambulárent, allelúia. *Ezech.* 1. 12.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Deum qui vocávit nos per Evangélium, * Veníte, adorémus, allelúia. 2. *Theſſ.* 2. 13.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus. Prædícta Chriſti, *in Comm. Apoſt. p.* iij.

Ant. 4. a. Quàm ſpecióſi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! allelúia. *Rom.* 10. 15.

Ant. 2. D. Levavérunt vocem, ſimul laudábunt, quia óculo ad óculum vidébunt, allelúia. *Iſ.* 52. 8.

Ant. 1. a. Evangélium virtus Dei eſt, in ſalútem omni credénti, allelúia. *Rom.* 1. 16.

℣. Atténdite, pópule meus, legem meam; ℟. Inclináte aurem veſtram in verba oris mei. *Pſ.* 77. 1.

Lectio I. de Scriptura occurrente, id eſt, de Actibus Apoſtolorum, duabus in unam junctis, omittitur enim tertia. Et ſic toto Tempore Paſchali, ſi fiat de Duplici.

℟. j. Ecce ſuper montes pedes evangelizántis, & annuntiántis pacem; *Célebra, Juda, Feſtivitátes tuas, & redde vota tua, allelúia. *Nah.* 1. 15. ℣. Appropinquávit regnum Dei; pœniténini, & crédite Evangélio. *Marc.* 1. 15. * Célebra.

Sermo ſancti Hierónymi Presbýteri.
De Script. Eccleſ. Cap. 8.

LECTIO II.

Marcus, diſcípulus & intérpres Petri, juxta quòd Petrum referéntem

audíerat, rogátus Romæ à fratribus, breve ſcripſit Evangélium. Quod cùm Petrus audiviſſet, & probávit, & Eccléſiæ legéndum ſuâ autoritáte dedit. Méminit hujus Marci & Petrus in Epíſtola prima, ſub nómine Babylónis figuráliter Romam ſigníficans: Salútat vos Eccléſia quæ eſt in Babylóne coëlécta, & Marcus fílius meus. Aſsúmpto ítaque Evangélio quod ipſe conféceraт, perréxit in Ægýptum: & primus Alexandríæ Chriſtū annúntians, conſtítuit Eccléſiam, tantâ doctrínâ & vitæ continéntiâ, ut omnes ſectatóres Chriſti ad exémplum ſuî cógeret. Dénique Philo diſertíſſimus Judæórum, videns Alexandríæ primam Eccléſiam adhuc Judaïzántem, quaſi in laudem gentis ſuæ librum ſuper eórum converſatióne ſcripſit. Et quómodo Lucas narrat Jeroſólymæ credéntes ómnia habuíſſe commúnia, ſic & ille, quod Alexandríæ ſub Marco fieri doctóre cernébat, memóriæ trádidit. Mórtuus eſt autem Marcus octávo Nerónis anno, & ſepúltus Alexandríæ, ſuccedénte ſibi Aniáno.

℟. *ij*. Veritátem meditábitur guttur meum, & lábia mea deteſtabúntur ímpiū: * Juſti ſunt omnes ſermónes *mei; non eſt* in eis pravum *quid*, *neque* pervérſum, *allelúia*. *Prov.* 8. 7. 8. ℣. Suſcípite ínſitum verbum quod poteſt ſalváre ánimas veſtras. *Jac.* 1. 21. * Juſti.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio III. *c.* 13. *v.* 10. *ad* 13.

Prædicitur paſſuros eſſe Chriſti Diſcipulos.

Dixit Jeſus Diſcípulis ſuis: In omnes gentes primùm opórtet prædicári Evangélium. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 33. *in Matt.* n. 4.

Habébant in médio póſitos illos ínfimæ conditiónis viros, quos ligábant, verberábant, circumagébant, nec póterant eórum ora claúdere: ſed ſicut rádium ſolis vincíre nemò poteſt, ſic non póterant ipſórum linguam alligáre. Cujus rei cauſa erat, non illi quidem qui loquebántur, ſed Spíritûs virtus. Quòd ſi dicas, idóneam ipſis conſolatiónem dediſſe Chriſtum, cùm dixit: Spíritus Patris veſtri erit qui loquétur: & ídeò máximè ſtúpeo, quòd nec dubitáverint, nec liberári à malis rogáverint, & hæc non duóbus vel tribus annis iſta paſsúri, ſed per totam vitam. Illud enim dictum: Qui autem perſeveráverit uſque in finem, hic ſalvus erit, hoc ſubíndicat. Vult enim Deus non ſuâ tantùm ope, ſed ipſórum propóſito, ópera bona fieri.

℟. iij. Qui didícerint iſta

invénient quid reſpóndeant. * Concupiſcite ergo ſermónes meos, dilígite illos, & habébitis diſciplínam, allelúia. *Sap.* 6. 11. 12. ℣. Spíritu ſancto inſpiráti, locúti ſunt ſancti Dei hómines. 2. *Petr.* 1. 21. * Concupiſcite. Glória. * Concupiſcite.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Magnificéntiam glóriæ ſanctitátis tuæ, Dómine, loquéntur: ℟. Et mirabília tua narrábunt. *Pſ.* 144. 5.

Ant. 8. c. Locútus eſt Dóminus ad vos.... vocem verbórum ejus audíſtis, allelúia. *Deut.* 4. 12.

Ant. 2. D. Dilécti à Deo, quòd elégerit vos Deus, primítias in ſalútem, in ſanctificatióne Spíritûs, & in fide veritátis, allelúia. 2. *Theſſ.* 2. 12.

Ant. 5. a. Oſténdit vobis pactum ſuum, quod præcépit ut facerétis, allelúia. *Deut.* 4. 13.

In Canticum, Quàm pulchri, *p.* iv.

Ant. 3. *a.* Annuntiáte in géntibus, & audítum fácite; leváte ſignum, prædicáte, & nolíte celáre, allelúia. *Jer.* 50. 2.

Ant. 6. F. Oráte pro nobis, ut ſermo Dei currat, & clarificétur, allelúia. 2. *Theſſ.* 3. 1.

CAPITULUM. *Joſ.* 1. 8.

NOn recédat volúmen Legis hujus ab ore tuo; ſed meditáberis in eo diébus ac nóctibus, ut cuſtódias & fácias ómnia quæ ſcripta ſunt in eo.

HYMNUS.

CHRISTI perénnes núntii,
Retécta qui cœléſtibus
Scriptis Dei myſtéria
Totum per orbem ſpárgitis;

OLIM ſub umbris cóndita,
Vates ſacri quæ víderant,
Umbris procul cedéntibus,
Vidíſtis hæc pleno die.

HUMANA quæ tulit Deus,
Divína quæ geſſit Homo,
Seris legénda póſteris,
Dictánte ſcripsíſtis Deo.

LOCO remótos, témpore,
Vox rexit idem Spíritus;
Et quiſque, pro ductu Dei,
Scribéndo Chriſtum réddidit.

NOS ut docéret, índuit
Vocis ſonos Verbum Patris:
Veſtris adhuc in páginis
Nobis loqui non déſinit.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus,
Amen.

℣. Ignítum, Dómine, elóquium tuum vehementer; ℟. Et ſervus tuus diléxit illud. *Pſ.* 118. 140.

Ad Benedictus, Ant. 4. E. Præcepíſti ei, Dómine ſcríbere Legem tuam,

ram filiis Iſraël, allelúia. *Bar.* 2. 28.

Oratio.

DEus, qui beátum Marcum Evangeliſtam tuũ Evangélicæ prædicatiónis grátia ſublimáſti; tríbue, quǽſumus, ejus nos ſemper & eruditióne profícere, & oratióne defféndi; Per Dóminum.

Qui non interſunt Proceſſioni Litaniarum, dicant privatim, poſt Laudes Matutinas, Litanias, cum ℣ ℣. & Orationibus ſequentibus, p. xcix.

AD PRIMAM.

Ant. Locútus eſt.

CAPITULUM. *Jac.* 1. 23. 24.

SI quis audítor eſt verbi & non factor, hic comparábitur viro conſideránti vultum nativitátis ſuæ in ſpéculo; conſiderávit enim ſe, & ábiit, & ſtatim oblítus eſt qualis fúerit.

℟. *breve.* Chriſte.

AD TERTIAM.

Ant. Diléćti.

CAPITULUM. 2. *Cor.* 10. 14. 15.

USque ad vos pervénimus in Evangélio Chriſti, non in imménſum gloriántes in aliénis labóribus, ſpem autem habéntes creſcéntis fidei veſtræ in vobis magnificári.

℟. *breve.* Bonum mihi lex oris tui, Dómine, * Allelúia, allelúia. ℟. Bonum. ℣. Super míllia auri & argénti. * Allelúia. Glória. ℟. Bonum. *Pſ.* 118. 72.

℣. Da mihi intelléctum, Dómine; ℟. Et diſcam mandáta tua. *Pſ.* 118. 73.

AD SEXTAM.

Ant. Oſténdit.

CAPITULUM. *Coloſſ.* 1. 6.

EVangélium pervénit ad vos, ſicut & in univérſo mundo eſt, & fructíficat, & creſcit ſicut in vobis, ex ea die quâ audíſtis.

℟. *breve.* Suſcitávit Dóminus teſtimónium in Jacob, * Allelúia, allelúia, ℟. Suſcitávit. ℣. Et legem póſuit in Iſraël. * Allelúia. Glória. ℟. Suſcitávit. *Pſ.* 77. 5.

℣. Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum; ℟. In conſpéctu géntium revelávit juſtítiam ſuam. *Pſ.* 67. 2.

AD NONAM.

Ant. Oráte.

CAPITULUM. 1. *Joan.* 1. 4. 5.

HÆc ſcríbimus vobis, ut gaudeátis, & gáudium veſtrum ſit plenum. Et hæc eſt annuntiátio quam audívimus ab eo, & annuntiámus vobis.

℟. *breve.* Elóquia Dómini, elóquia caſta, * Allelúia, allelúia. ℟. Elóquia. ℣. Argéntum igne examinátum. * Allelúia. Glória. ℟. Elóquia. *Pſ.* 11. 7.

℣. Præcéptum Dómini lúcidum, ℟. Illúminans óculos. *Pſ.* 18. 9.

AD VESPERAS.

Ant. 8. c. Sciámus quæ à Deo donáta ſunt nobis

quæ & lóquimur, allelúia. 1. Cor. 2. 12. 13.

Ant. 2. D. Beátus qui in iſtis versátur bonis; qui ponit illa in corde ſuo, sápiens erit ſemper, allelúia. *Eccli.* 50. 30.

Ant. 5. a. Per patiéntiam & conſolatiónem Scripturárum, ſpem habeámus, allelúia. *Rom.* 15. 4.

Ant. 3. a. Judicábit Deus occúlta hóminum, secúndùm Evangélium, allelúia. *Rom.* 2. 16.

Ant. 6. F. Quis finis eórum qui non credunt Dei Evangélio! allelúia. 1. *Petr.* 4. 17.

Capitulum. *Gal.* 1. 11. 12.

NOtum vobis fácio, fratres, Evangélium quod evangelizátum eſt à me, quia non eſt ſecúndùm hóminem: neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici; ſed per revelatiónem Jeſu Chriſti.

Hymnus. Sinæ ſub alto vértice, *ſuprà, ut in I. Veſperis*, *p.* 441.

℣. Dabit Deus voci ſuæ vocem virtútis; ℟. Date glóriam Deo. *Pſ.* 67. 34. 35.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. c. Pro Chriſto legatióne fúngimur, tanquam Deo exhortánte per nos, allelúia. 2. *Cor.* 5. 20.

Commemoratio de S. Cleto, Papa & Martyre.

Ant. Bonus, ℣. Juſtus, *p.* ix. *Oratio*, Fac nos, *p.* xij.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Si opértum eſt Evangélium noſtrum, in iis qui péreunt eſt opértum, allelúia. 2. *Cor.* 4. 3.

Hymnus. Jeſu Redémptor, *p.* 318.

Capitulum. *Gal.* 1. 9.

FRatres, ſi quis vobis evangelizáverit præter id quod accepiſtis; anáthema ſit.

℟. *breve.* In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 1. a. Conſummábitur mystérium Dei, ſicut evangelizávit per ſervos ſuos, allelúia. *Apoc.* 10. 7.

Oratio, Deus, qui, *p.* 318.

DIE XXVI.

IN FESTO SANCTI CLETI, Papæ & Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris, p. viij. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex S. Irenæo, Euſebio, SS. Hieron. & Epiph.

QUi Lino in Romána Sede ſecúndus à ſancto Petro Póntifex ſuccéſſit, is Græcis ómnibus, excépto Epiphánio, Anenclétus, id eſt, Irreprehensíbilis; Latínis, Anaclétus; contrácto verò nómine, à plúribus Cletus apellátur. Illum cum Lino, à beáto Petro, dum víveret, in partem ſollicitúdinis áliquam aſſúmptum fuiſſe, antíqui tradunt. Románam ergo Eccléſiam, per annos duódecim guberná-

vit: & ſecúndâ poſt Neró-nem perſecutióne, glorióſi Martýrii corónā adéptus eſt.

Oratio, Fac nos, *p.* xij.

DIE XXVIII.

IN FESTO SANCTI POLYCARPI, Smyrnenſis Epiſcopi & Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, p. viij. *additis quæ ſequuntur.*

Ex Epiſtola Ecclẽſiæ Smyrnénſis ad Ecclẽſias Ponti.

Apud Euſeb. Lib. 4. *Hiſt. Eccleſ. Cap.* 15.

LECTIO III.

ALácriter & próperè pergébat ad ſtádium Polycárpus. Aiénte verò Procónſule: Jura, & dimítto te, convícium fac Chriſto, Polycárpus reſpóndit: Octogínta & ſex anni ſunt, ex quò sérvio ei, nec ullâ me affécit injúriâ: & quómodo poſſum convícia dicere advérsùs Regem meum qui me ſalvum fecit? Urgénte rursùs illo, ac inquiénte: Jura per génium Cǽſaris, reſpóndit: Si ambitiósè conténdis, ut jurem per Cǽſaris, ut tu vocas, génium, símulas autem te ignoráre quis ſim, palàm audi: Chriſtiánus ſum. Tunc plácuit illis, ut vivum Polycárpum ignis exúreret. Quando autem rogus apparátus eſt, cum clavis affigéndus eſſet, dixit: *Sínite me ſic; qui enim mihi dat ignem pati, dabit & ſinè veſtra ex clavis* cautióne immótum in pyra permanére. Illi ergo, non quidem clavis defixérunt, ſed ligavérunt eum. Hic verò, mánibus poſt tergum póſitis, ac revinctus tanquam áries insígnis ex magno grege deléctus, qui in gratíſſimum holocaúſtum offértur, cœlum contúitus dixit: Pater unigéniti & benedícti Fílii tui Jeſu Chriſti, benedíco te, qui me ad hanc horam perdúcere dignátus es, ut partem cáperem in consórtio Mártyrum, in cálice Chriſti tui, ad reſurrectiónem vitæ ætérnæ, ánimæ ſimul & córporis: inter quos, quæſo, ſuſcípiar hódie coram te, tanquam hóſtia pinguis & accépta. Cúmque precatiónem compléſſet, miníſtri ignem accendérunt. Cùm verò ingens flamma emicáſſet; ignis, fórnicis ſpéciem præbens, tanquam navis velum à vento replétum atque ſinuátum, úndique circúmdedit Mártyris corpus. Cernéntes autem ímpii corpus flammis non poſſe consúmi, confectórē própiùs accédere, ensémque altè in corpus adígere juſsérunt. Quo facto, tanta vis sánguinis efflúxit, ut ignis prorsùs extinguerétur. Oſſa ipsíus gemmis pretiosíſſimis carióra, & quólibet auro punióra, ubi decébat condídimus. Quo in loco, nobis ut fieri póterit congregátis, concédet Deus nat-

ejus Martyrii diem cum gaúdio & hilaritáte celebráre.

Oratio.

IMple, Dómine, petitiónes noſtras; & cum beáto Polycárpo Mártyre tuo atque Pontífice, cujus hódie paſſiónem cólimus, tanquam pingiſſimum nos holocaúſtum aſsúme; Per Dóminum.

Veſperæ à Capitulo de ſequenti, cum Commemoratione de S. Polycarpo.

DIE XXIX.

IN FESTO
SANCTÆ MARIÆ
Ægyptiæ, Pœnitentis.
Semiduplex.

IN I. VESPERIS.

CAPITULUM. *Jer.* 3. 12.

REvértere, aversátrix Iſraël, ait Dóminus, & non avértam fáciem meam à vobis: quia Sanctus ego ſum, dicit Dóminus, & non iráſcar in perpétuum.

HYMNUS.

O Vos, cum cítharis júngite cantus,
Cœtus Angélici: Fémina ſacris
Quondam pulſa áditis, débita cœlo,
Nunc ad ſydéreas tránſvolat arces.

SACRIS quæ répulit lóngiùs arcens
Templi limínibus crímine fœdam,
Hæc eſt illa manus quæ modò amíca,
Ablútam lácrymis ádmovet aris.

HÆC olim ténebris óbſita denſis,
Jam cœlo nova lux áddita fulget,
Et monſtrat fáciles prǽvia portus
Paſſis naufrágium triſte pudóris.

QUÆ non divus amor péctora mutat!
Ut cœli rádius fulſit ab alto,
Urbes, séque fugit: nulla sàt altos,
Quò ſe condat, habet ſylva recéſſus.

ILLI pro thálamo frígida rupes,
Lautis pro dápibus grámini herba:
Nec ſoles cálidos veſte repéllit,
Nec duras hýemes péllibus arcet.

PATRI máxima laus, máxima Nato:
Sit laus æqua tibi, Spíritus alme,
Qui, dum ſacrílegum pellis amórem,
Puros insínuas córdibus ignes. Amen.

℣. Miſerátor & miséricors Dóminus, ℟. Longánimis, & multùm miséricors. *Pſ.* 102. 8.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Deus noſter multus eſt ad ignoſcéndum: non enim cogitatiónes meæ, cogitatiónes veſtræ; neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dóminus, allelúia. *Iſ.* 55. 7. 8.

Oratio, Largíre nobis, *infrà*, ad Laudes, p. 451.

Commemoratio de S. Polycarpo.

Ant. Qui amat, *p.* xiv.
℣. Si conſiſtant, *p.* xiij.
Oratio, Imple, *ſuprà*, *p.* 448.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 6. F. Propóſuit Deus propitiatiónem per fidem, in ſánguine Chriſti Jeſu, allelúia. *Rom.* 3. 25.

Hymnus. Jeſu Redémptor séculi, *p.* 318.

Capitulum. *Jer.* 31. 16.

HÆc dicit Dóminus: Quiéſcat vox tua à plorátu, & óculi tui à lácrymis, quia eſt merces óperi tuo, ait Dóminus.

℟. *breve.* In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 1. a. Qui mórtui ſumus peccáto, quómodo adhuc vivémus in illo! allelúia. *Rom.* 6. 2.

Oratio, Deus, qui ómnia, *p.* 318.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Chriſtum qui venit in hunc mundum peccatóres ſalvos fácere, * Veníte, adorémus, allelúia. 1. *Tim.* 1. 15.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſimplici.*

Hymnus.

Ultrix ipſa ſuos ſævit in artus,
Per quos & pótuit pulchra placére:
Defórmis mácies íncubat ori:
Sed formam mélior grátia penſat.

In pœnam ſcélerum ſæpè recúrſant
Importúna malæ gaúdia vitæ:
Sed verſans ánimo débita noxis
Tot torménta, graves cómprimit æſtus.

Jam, tu digna polo, déſere terras:
Placáſti lácrymis Núminis iram:
Jam, tu paſta ſacro córpore Chriſti,
Ætérnæ cápias pábula menſæ.

Patri máxima laus, máxima Nato:
Sit laus æqua tibi, Spíritus alme,
Qui dum ſacrílegum pellis amórem,
Puros insínuas córdibus ignes. Amen.

Ant. 2. D. Induens ſe cilício, póſuit cínerem ſuper caput ſuum, & proſtérnens ſe Dómino, clamábat ad Dóminum, allelúia. *Judith.* 9. 1.

Ant. 1. *g.* Súbveni, quæſo te, Dómine Deus meus, mihi, allelúia. *Judith.* 9. 3.

Ant. 4. f. Exaúdi me míſeram deprecántē, & de tua miſericórdia præſuméntem, allelúia. *Judith.* 9. 17.

℣. Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo, ℟. Multum eſt enim. *Pſ.* 24. 11.

Duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. j. Ibat poſt amatóres ſuos, & meî obliviſcebá-

tur, dicit Dóminus: propter hoc, ecce ego lactábo eam, * Et ducam eam in ſolitúdinem, & loquar ad cor ejus, allelúia. *Oſee* 2. 13. 14. ℣. Vocábo non diléctam, Diléctam; & non miſericórdiam conſecútam, Miſericórdiam conſecútam. *Rom.* 9. 25. * Et ducam.

℟. *ij.* Lava à malítia cor tuum, ut ſalva fias: * Uſquequò morabúntur in te cogitatiónes nóxiæ? allelúia. *Jer.* 4. 14. ℣. Ego, quos amo, árguo & caſtígo: æmuláre ergo, & pœniténtiam age. *Apoc.* 3. 19. * Uſquequò.

LECTIO III.

Ex ejus vita ab Autore ferè coævo & S. Joan. Damaſ.

MAría Ægýptia duodecénnis, témpore Juſtíni Imperatóris, relíctis paréntibus, Alexandríam venit, fuítque per annos ſeptémdecim in ea civitáte peccátrix. Cùm autem Jerosólymam proféćta, Calváriæ templum, in Feſto Exaltatiónis ſanctæ Crucis, íngredi tentáſſet, ter divínitus repúlſa in átrio, coram imágine Deíparæ Vírginis vovit pœniténtiam, ſi licéret ſibi vivíficum Crucis Lignum vidére & adoráre. Móxque templum ingréſſa, vidit & adorávit. Inde ſumpto trium panum viático, perceptâque Euchariſtiâ in oratório ſancti Joánnis, ad ripam Jordánis ultra flumen, in vaſtíſſimam ſolitúdinem ſecéſſit. Ibi consúmpto viático, derritíſque véſtibus, ignóta permánſit annis quadragínta ſeptem, donec ad torréntem quemdam occúrrit ei Zózimas Présbyter, à quo obtínuit ut véſpere in Cœna Dómini, in advérſam Jordánis ripam afférret ſibi Corpus & Sánguinem Dómini, quorum participatióne tot annos carúerat. Condícto die, accéſſit ad eúmdem locum Zózimas, quò & María pervénit: recitatóque Sýmbolo & Oratióne Domínicâ, ut moris erat, accépto étiam pacis óſculo, divína dona ſuſcépit: rursúmque precáta eſt Zózimam, ut anno recurrénte, ad eúmdem torréntem veníret. Qui cùm eò acceſsíſſet, conſpéxit corpus ejus jacens in terra, in qua ſcripta hæc legit: Sépeli, Abba Zózima, míſeræ Maríæ corpúſculum: redde terræ quod ſuum eſt; & púlveri ádjice púlverem, orans Deú pro me, quæ mórior nocte ſalutíferæ Paſſiónis, poſt divínæ & ſacræ Cœnæ Communiónem. Pio voto obtémperans Zózimas, corpus beátum in ipſo loco, terræ mandávit. Hic póſteà vitam ejus ſcripſit, per quam memóriæ ejus venerátio per Oriéntem & Occidéntem propagáta eſt.

℟. iij. Pœniténtibus dedit Deus viam juſtítiæ, &

* Confirmávit deficiéntes ſuſtinére, & deſtinávit illis ſortem veritátis, allelúia. *Eccli*. 17. 20. ℣. Miſit Filium ſuum propitiatiónem pro peccátis noſtris. 1. *Joan*. 4. 10. * Confirmávit. Glória. * Confirmávit.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*. Exultábunt, Dómine, lábia mea, cùm cantávero tibi; ℟. Et ánima mea quam redemíſti. *Pſ*. 70. 23.

Ant. 3. c. Ut mulíerem derelíctam & mœréntem ſpíritu, vocávit te Dóminus, allelúia. *Iſ*. 54. 6.

Ant. 8. G. In miſericórdia ſempitérna misértus ſum tuî, dixit Redémptor tuus Dóminus, allelúia. *Iſ*. 54. 8.

Ant. 1. a. Auferétur iníquitas tua, & peccátum tuũ mundábitur, allelúia. *Iſ*. 6. 7.

Ant. 4. a. Non confundéris.

CANTICUM MICHÆÆ. *c*. 7. *v*. 18. *ad finem*.

Dei erga peccatores miſericordia celebratur.

QUis deus símilis tuî, Dómine, qui aufers iniquitátem, * & tranſis peccátum reliquiárum hæreditátis tuæ?

Non immíttet ultrà furórem ſuum, * quóniam volens miſericórdiam eſt.

Revertétur & miſerébitur *noſtrî*; * depónet iniquitátes noſtras;

Et projíciet in profúndum maris. * ómnia peccáta noſtra.

Dabis veritátem Jacob, miſericórdiam Abraham, * quæ juráſti pátribus noſtris à diébus antíquis.

Glória Patri.

Ant. Non confundéris, neque erubéſces; non enim te pudébit; quia confuſiónis adoleſcéntiæ tuæ oblivíſcéris, allelúia. *Iſ*. 54. 4.

Ant. 2. D. Fides tua te ſalvam fecit, allelúia. *Marc*. 5. 34.

CAPITULUM. *Jer*. 2. 2.

HÆc dicit Dóminus: Recordátus ſum tuî, míſerans adoleſcéntiam tuá & caritátem deſponſatiónis tuæ, quando ſecúta es me in desérto, in terra quæ non ſeminátur.

Hymnus. O vos, cum cítharis, *ſuprà*, *in I. Veſperis*, *p*. 448.

℣. Bonum mihi, Dómine, quia humiliáſti me, ℟. Ut diſcam juſtificatiónes tuas. *Pſ*. 18. 71.

Ad Benedíctus, *Ant*. 3. a. Miſeréris ómnium, Dómine, quia ómnia potes, & diſsímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam, allelúia. *Sap*. 11. 24.

Oratio.

LArgíre nobis, miséricors Deus, ut beáta María, quæ, te ſuper ómnia diligéndo, ſuórum accépit véniam delictórum, pœniténtiæ ſalutáris donum nobis obtíneat; Per Dóminum

AD PRIMAM.

Ant. Ut mulíerem.

Capitulum. *Tob.* 13. 8.

Convertímini, peccatóres, & fácite juſtitiam coram Deo, credéntes quòd fáciat vobíſcum miſericórdiam ſuam.

℟. *breve.* Chriſte.

AD TERTIAM.

Ant. In miſericórdia.

Capitulum. *Tob.* 13. 11. 12.

Caſtigávit te Dóminus in opéribus mánuum tuárum: confitére Dómino in bonis tuis, & bénedic Deum ſeculórum.

℟. *breve.* Dixi: Nunc cœpi, * Allelúia, allelúia. ℟. Dixi. ℣. Hæc mutátio déxteræ Excélſi. * Allelúia. Glória. ℟. Dixi. *Pſ.* 76. 11.

℣. Vias meas enuntiávi, Dómine; ℟. Et exaudíſti me. *Pſ.* 118. 26.

AD SEXTAM.

Ant. Auferétur.

Capitulum. *Jer.* 31. 25.

Hæc dicit Dóminus exercítuum: Inebriávi ánimam laſſam, & omnem ánimam eſuriéntem ſaturávi.

℟. *breve.* Noli oblivíſci omnes retributiónes ejus, * Allelúia, allelúia. ℟. Noli. ℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis.* Allelúia. Glória. ℟. Noli. *Pſ.* 102. 2. 3.

℣. Memor ero tuî, Dómine, ℟. De terra Jordánis. *Pſ.* 41. 7.

AD NONAM.

Ant. Fides tua.

Capitulum. *Eccli.* 17. 24.

Cognóſce juſtítias & judícia Dei, & ſta in ſorte propoſitiónis & oratiónis altíſſimi Dei.

℟. *breve.* Apud me orátio Deo vitæ meæ, * Allelúia, allelúia. ℟. Apud. ℣. Dicam Deo: Suſcéptor meus es. * Allelúia. Glória. ℟. Apud. *Pſ.* 41. 9. 10.

℣. Quare triſtis es, ánima mea, & quare contúrbas me? ℟. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi. *Pſ.* 41. 12.

AD VESPERAS,

Quæ ſunt à Capitulo de ſequenti.

Ant. 2. D. Venit Fílius hóminis quærere & ſalvum fácere quod períerat, allelúia. *Luc.* 19. 10.

Ant. 3. a. Relínquit nonagínta novem oves in móntibus, & vadit quærere eam quæ errávit, allelúia. *Matt.* 18. 12.

Ant. 6. F. Cùm invénerit eam, impónit in húmeros ſuos gaudens, allelúia. *Luc.* 15. 5.

Ant. 4. a. Gaudet ſuper eam magis quàm ſuper nonagínta novem, quæ non erravérunt, allelúia. *Matt.* 18. 13.

Ant. 5. a. Ità gaúdium erit in cœlo, ſuper uno peccatóre pœniténtiam agénte, allelúia. Luc. 15. 7.

Cœtera omnia in Officio ſequenti.

Die XXX.
In Festo
SANCTI EUTROPII, Santonenſis Epiſcopi & Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, p. viij. *additis quæ ſequuntur.*

In primis Veſperis, Commemoratio de S. Maria Pœnitente.

Ant. Remittúntur ei peccáta multa, quóniam diléxit multùm: cui autem minùs dimíttitur, minùs díligit, allelúia. *Luc.* 7. 47.

℣. Miſericórdia tua magna eſt ſuper me, Dómine: ℟. Et eruíſti ánimam meam ex inférno inferióri. *Pſ.* 85. 13.

Oratio, Largíre nobis, *ſuprà*, *p.* 451.

Lectio III.
Ex S. Greg. Turonenſi.

Eutrópius in Gállias ad prædicándam Fidem miſſus, poſt adimplétum ritè munus, apud Santónas, illíſo ab incrédulis cápite, Martyr occúbuit, & ob inſtántem perſecutiónem, loco minùs digno ſepúltus eſt. Cúmque témporum lapſu, nulla, niſi nóminis ejus & ſanctitátis, ſuperéſſet memória, à Fidélibus ut Sanctus, non ut Martyr, habebátur, donec eum pro Chriſto sánguinem fudiſſe ſic fuit revelátum. Palládius Santonénſis Epíſcopus, in ejus honórem, circa annum Dómini ſexcentéſimum, Basílicam extrúxit: ad quam convocátis Abbátibus, dum è túmulo ſacras Eutrópii relíquias honorificéntiùs collocándas tranſférret, duo ex illis Abbátibus, amóto opertório, conſpexérunt ictu ſecúris illíſum caput. Quibus étiam nocte ſequénti idem Sanctus appáruit, dicens: Scitóte me per eam cicatrícem quam vidíſtis in cápite, martýrium conſummáſſe. Ex eóque, quòd Martyr eſſet innótuit, quia non áderat hiſtória paſſiónis.

Oratio, Omnípotens, *p.* xij.

Veſperæ de feſto ſequenti cum Comm. de S. Eutropio.

FESTA MAII.

DIE I.
IN FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI, Apoſtolorum.

Duplex majus.

Omnia de Communi Apoſtolorum, p. j. *additis quæ ſequuntur.*

IN I. VESPERIS.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. *a.* Vóluit Jeſus exíre in Galilǽam, & invénit Philíppum, & dicit ei Jeſus: Séquere me, allelúia. *Joan.* 1. 43.

Oratio. Deus, qui, *infrà, ad Laudes, p.* 455.

Comm. de S. Eutropio.

Ant. Qui amat, *p.* xiv. ℣. Si consíſtant, *p.* xiij. *Oratio*, Omnípotens, *p.* xij.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Lectio I. de Scriptura occurrente, duabus in unam junctis.

LECTIO II.

Ex Evang. Euſeb. & aliis Hiſt. Eccleſ.

PHilíppus, Bethsáidæ natus, unus fuit ex iis qui primùm à Chriſto vocáti ſunt: deínde in númerum Apoſtolórum ab ipſo cooptátus eſt. Invénit Philíppus Nathánaël, cui cùm dixíſſet veníſſe Meſsíam in Lege & Prophétis promíſſum, ipſum Nathánaël addúxit ad Jeſum. Quàm verò Chriſtus Philíppum familiáriter adhibéret, illud fácilè declárat, quòd cùm in ſolitúdine hóminum multitúdinem páſcere vellet, ſic Philíppum affátus eſt: Unde emémus panes, ut mandúcent hi? Gentíles quoque Salvatórem vidére cupiéntes, ad Philíppum acceſsérunt. Is accépto Spíritu ſancto, in utráque Phrýgia fidem prædicávit: tandem glorióſo fine quiévit, & Hierápoli ſepúltus eſt. Jacóbus autem Alphǽi, unus ex Duódecim, qui idem ac Jacóbus frater Dómini, hoc eſt, Maríæ ſorór is Matris Dómini fílius, cognoménto Juſtus, ab ipſo matris útero Sanctus fuit, id eſt, Conſecrátus. Vinum & síceram non bibit, carne abſtínuit, nunquam tonſus eſt, nec unguénto, nec bálneo uſus. Tam aſsíduè in Templo, génibus flexis, pro peccátis pópuli oráre conſuéverat, ut génua ipsíus, inſtar caméli, occallúerint. Poſt Chriſti Aſcenſiónem, Eccléſiæ Jeroſolymitánæ adminiſtratiónem unâ cum cœ́teris Apóſtolis ſuſcépit, quam, poſt eórum in várias orbis partes diſperſiónem, ſolus gubernávit. Hic, auctóre Hegeſíppo, cùm à Phariſǽis in faſtígio Templi collocátus, ut Judǽos alloqueret-

tur, præclárum de Chriſto teſtimónium præter ſpem Phariſæórum, perhibuiſſet coram multitúdine, ex ipſo Templi faſtígio præcipitátus eſt. Cúmque nondùm eſſet mórtuus, lapídibus primùm eſt impetítus: deínde, cùm pro perſecutóribus, licèt ſemivívus, oráret, fullónis fuſte in cápite percúſſus, ánimam Deo réddidit, circa annum ſexagéſimum ſecúndum. Unam ſcripſit Epíſtolam, quæ prima inter ſeptem Cathólicas annumerátur.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio III. *c.* 14. *v.* 1. *ad* 13.

Multæ manſiones in domo Dei.

Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Non turbétur cor veſtrum. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Evang. Tract. 67. n. 1.

Erigénda eſt nobis, fratres, ad Deum major inténtio, ut verba ſancti Evangélii, quæ modò in noſtris áuribus ſonuérunt, étiam mente cápere utcúmque poſsímus. Ait enim Dóminus Jeſus: Non turbétur cor veſtrum: crédite in Deum, & in me crédite. Ne mortem tanquam hómines timérent, & ídeò turbaréntur, conſolátur eos, étiam ſe Deum eſſe contéſtans. *Crédite*, inquit, *in Deum*, & *in me crédite*. Cónſequens eſt enim, ut ſi in Deum créditis, & in me crédere debeátis. Quod non eſſet cónſequens, ſi Chriſtus non eſſet Deus.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. * Invénit Philíppus Nathánaël, & dicit ei: Quem ſcripſit Móyſes in Lege, & Prophétæ, invénimus Jeſum, allelúia. *Joan.* 1. 45.

Oratio.

Deus, qui Apóſtolis tuis teípſum Viam, Veritátem, & Vitam exhibuíſti; fac intercedéntibus ſanctis Philíppo & Jacóbo, ut per te ad ſplendórem tuæ veritátis ambulántes, in te requiéſcere mereámur; Qui vivis & regnas.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. C. Chriſtus viſus eſt Jacóbo, deínde Apóſtolis ómnibus, allelúia. 1. *Cor.* 15. 7.

Comm. de S. Athanaſio.

Ant. Qui docti fúerint, ℣. Beátus, *p.* xxviij. *Oratio*, Dómine Jeſu, *infrà*, *p.* 457.

Die II.

In Feſto Sancti Athanasii, Alexandrini Epiſcopi, & Eccleſiæ Doctoris.

Duplex minus.

Omnia de Communi unius S. Doctoris, p. xxvij. *additis quæ ſequuntur.*

Lectio II.

Ex ejus operibus, Rufino, Sozom. & aliis antiquis Scriptoribus.

Athanáſius Diáconus, ab Alexándro Epíſcopo Alexandríno ductus ad

Concilium Nicænum, Ariános ácriter impugnávit. Alexándro ſuffectus, Arium conſtánter ab Eccléſiæ communióne répulit: unde Euſébii Nicomediénſis Epiſcopi, aliorúmque multórum in ſe ódium concitávit. Hi cum Meletiánis ſchiſmáticis ínito consílio, ſuis calúmniis à Conſtantino óptimo príncipe, ſed nímiùm crédulo, impetrárunt, ut Tréviros amandarétur, ubi à Maximíno Epíſcopo honorificentiſſimè excéptus eſt. Poſt óbitum Conſtantini revocátus, íterùm ab inimícis, tam apud Július Papam, quàm apud Conſtántium Imperatórem, eſt impetitus. Hujus autoritáte coácta eſt Sýnodus apud Antiochíam, in qua depóſitus eſt, & depóſito Gregórius Cáppadox ſubſtitútus. Sed à Júlio Papa in Sýnodo quinquagínta Epiſcopórum innocens declarátus, agénte Conſtánte Conſtántii germáno, in Sýnodo Sardicénſi ex utróque Império congregátâ, absólvitur, & ſedi ſuæ reſtitúitur. Subláto è vivis Conſtánte, ſex annis latére coáctus eſt Athanáſius, quòd eum Conſtántius íterùm ab Ariánis circumvéntus, ad necem quæreret. Poſt mortem verò Conſtántii, Alexandríam revérſus, Sýnodum hábuit cum Confeſſóribus, de recipiéndis iis qui ab Ariánis decépti fúerant: tantâque prudéntiâ rem graviſſimam definiit, ut Eccléſiam viſus fúerit imminénti perículo eripuíſſe. Sed cùm idolórum cultóribus gravis eſſet, à Juliáno exagitátus, Alexandríæ delítuit, donec ſedáta eſſet perſecútio. Sub Joviáno Cathólico príncipe, pacíficè ſuam rexit Eccléſiam. Valens autem Joviáni ſucceſſor, ab Eudóxio Ariáno baptizátus, Athanáſium in patérno monuménto quatuor menſes delitéſcere coégit. Tandem Alexandríam poſt tot labóres & tempeſtátes revérſus, in pace quiévit: & anno Epiſcopátûs ſui quadragéſimo ſexto, Chriſti trecentéſimo ſeptuagéſimo tértio, in léctulo ſuo mórtuus eſt.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

LECTIO III. *c.* 10. *v.* 23. *ad* 28.

Perſecutio fugienda.

DIxit Jeſus duódecim Diſcípulis ſuis: Cùm perſequéntur vos in civitáte iſta, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homília ſancti Athanáſii Epiſcopi.

Apol. De fuga ſua. n. 15 *&* 16.

DOminus, útpotè Deus ac Verbum Patris, non ignórans quodnam próprio córpori ad patiéndum tempus præfiniviſſet, more noſtro, ſeſe, dum quæreréntur, occultábat. Sancti autem hâc à Salvatóre accéptâ normâ, cùm advérsùs perſecutóre

perſecutóres decertárent, aufugiébant, utì fas erat: dúmque ab illis perquireréntur, ſeſe abdébant. Cúmque, útpotè hómines, definíti ſibi à providéntia témporis términum ignorárent, nolébant ſeípſos inſidiatóribus dedititios offérre. Cúmque itèm noſſent illud quod ſcriptum eſt, nempè in mánibus Dei eſſe ſortes hóminum, & Dóminum mortificáre & vivificáre, ídeò ad finem uſque expectárunt, ut ait Apóſtolus: Circumeúntes in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, anguſtiáti, in ſolitudínibus errántes, in ſpelúncis & in cavérnis terræ laténtes, donec definítum mortis tempus adveníret, aut qui tempus definíerat Deus, eos alloquerétur, ac inſidiatóres ſedáret, aut certè perſecutóribus perſecutiónem patiéntes tráderet, ut ſibi cóngruum viſum foret.

Oratio.

DOmine Jeſu, pro cujus honóre beátus Athanáſius paſſiónes invíctâ fide ſuſtinuit; da nobis ejus exémplo, magìs elígere afflígi in hoc século, quàm temporális peccáti habére jucunditátem; Qui vivis & regnas cum Deo Pátre in unitáte Spíritûs ſancti, Deus.

Veſpera de ſequenti, cum Commemoratione de ſancto Athanaſio.

Nann. Pars Vern.

DIE III.

IN INVENTIONE S. CRUCIS.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 1. *toni f.*

RAdix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populórum, ipſum gentes deprecabúntur, allelúia. *Iſ.* 11. 10.

Ant. 6. F. Levábit ſignum in natiónes, & congregábit prófugos Iſraël, allelúia. *Iſ.* 11. 12.

Ant. 1. D. Aſcéndet ſicut virgúltum coram eo, & ſicut radix de terra ſitiénti, allelúia. *Iſ.* 53. 2.

Ant. 7. c. Erit Jerúſalem ſancta, & aliéni non tranſíbunt per eam ámpliùs, allelúia. *Joël.* 3. 17.

Ant. 2. D. Dabit lignum agri fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, allelúia. *Ezech.* 34. 27.

CAPITULUM. *Ezech.* 17. 24.

EXaltávi lignum húmile; & ſiccávi lignum víride; & frondére feci lignum áridum. Ego Dóminus locútus ſum, & feci.

℞. Locútus eſt Dóminus ad Móyſen: Fac ſerpéntem æneum, & pone eum pro ſigno: * Qui percúſſus aſpéxerit eum, vivet, allelúia. *Num.* 21. 8. ℣. Exeámus ad Jeſum extra caſtra, impropérium ejus portántes. *Hebr.* 13. 13. * Qui percúſſus. Glória. * Qui percúſſus.

Hymnus.

Tellus, tot annos quid tegis
Noſtræ ſalútis pígnora?
Crux monte toto quǽritur:
Ultrò tuos pandas ſinus.

Quid, dura foſsóris manus,
Scrutáris alta víſcera?
Celáre lignum ſit pudor,
Quo noſtra ſurgit glória.

En illa gemma pérdita,
Invénta tot labóribus:
En qui latébat, érutus
Theſaúrus agro pródiit.

Regina quæsítam Crucem,
Monſtránte Chriſto, réppterit;
Oblíta faſtus régios,
Sceptro repértam prǽtulit.

Crux ſancta, Chriſti córporis
Virtus ſalúbrem te facit:
Contíngit ut te mórtuus,
Vitæ prióri rédditur.

Fulgore cujus térrita
Pallent tremúntque tártara,
Hæc arma ſi quis índuat,
Ridébit hoſtis ímpetus.

Qui per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna sécula.
Amen.

℣. De torrénte in via bibet: ℟. Proptéreà exaltábit caput. *Pſ.* 109. 7.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. *D.* * *Hæc* dicit Dóminus Deus: Ecce levábo ad gentes manum meam, & ad pópulos exaltábo Signum meum, allelúia. *Iſ.* 49. 22.

Oratio, Deus, qui, *infrà, ad Laudes, p.* 462.

Commemoratio de ſancto Athanaſio.

Ant. Omnis. ℣. Præcéptum, *p.* xxxij. *Oratio,* Dómine Jeſu, *ſuprà, p.* 457.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Jeſum, qui crucifixus eſt, * Veníte, adorémus, allelúia. *Matt.* 28. 5.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici.*

Hymnus.

Signum novi, Crux, fœ́deris,
Crux, orbis arca naúfragi,
Cùm jam perímus, nos ratis
Portus refers in pátrios.

Telis rubéntem flámmeis
Ultóris exármas manum:
Placátur, ut te réſpicit,
Iras & oblivíſcitur.

Lethale ſi vulnus ferat
Inférnus anguis mórſibus,
Læſi ſimul te víderint,
Repéntè tu medéberis.

Ara ſub illa par Deo
Se conſecrávit Hóſtia:
Hâc ſede læſum Fílius
Placávit orátor Patrem.

Crux ſancta, Crux amábilis,

Crux tincta Christi ſánguine,
Haurire da nos lárgiùs
Vitam Dei de fúnere.

Qui per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna sécula.
Amen.

Ant. 3. c. Ecce vicit Leo de tribu Juda, Radix David, allelúia. *Apoc.* 5. 5.

Ant. 6. F. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit útraque unum, allelúia. *Eph.* 2. 14.

Ant. 1. a. Cùm maledicerétur, non maledicébat; cùm paterétur, non comminabátur, allelúia. 1. *Petr.* 2. 23.

℣. Dedíſti, Dómine, metuéntibus te ſignificatiónem; ℟. Ut fúgiant à fácie arcûs. *Pſ.* 59. 5.

Prima Lectio de Scriptura occurrente, duabus in unam junctis.

℟. *j.* Benedíctum eſt lignum per quod fit juſtítia: * Per manus autem quod fit idólum, maledíctum eſt, & ipſum, & qui fecit illud, allelúia. *Sap.* 14. 7. 8. ℣. Mihi abſit gloriári, niſì in Cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti. *Gal.* 6. 14. * Per manus.

De Epíſtola ſancti Paulíni Epíſcopi ad Sevérum.

Lectio II. *Epiſt.* 31. §. 3. 4. 5. *nov. Edit.*

Adriánus Imperátor, exíſtimans ſe fidem Chriſtiánam loci injúriâ perem ptúrum, in loco Paſſiónis ſimulácrum Jovis conſecrávit: & Béthlehem Adónidis fano profanáta eſt: ut quaſi radix & fundaméntum Eccléſiæ tollerétur, ſi in iis locis idóla coleréntur, in quibus Chriſtus natus eſt ut paterétur, paſſus eſt ut resúrgeret, ſurréxit ut regnáret, judicátus ut judicáret. Manſit hoc séculi prióris nefas in témpora noſtris próxima Conſtantíni, qui Princeps eſſe princípibus Chriſtiánis, non magìs ſuâ, quàm matris Helénæ fide méruit. Regína illa venerábilis, ut venit Jeroſólymam, Crucem Dómini ſtudioſíſſimè inquírere adórſa eſt. De loco tantùm Paſſiónis cértior fieri ſtúduit. Juſſit íllicò, urgénte ſinè dúbio concéptæ revelatiónis inſtínctu; in ipſum locum óperam foſſiónis accíngi: paratâque mox cívium páriter & militári manu, brevì labórem iſtíus molitiónis hauſit: & contra ſpem ómnium, ſed ſecúndùm ipsíus tantùm Regínæ fidem, altâ egeſtióne reſerátis terræ sínibus, ábditæ Crucis arcána patuérunt. Sed cùm tres páriter cruces, ut quondàm fixæ Dómino & latrónibus ſtéterant, repértæ fuiſſent; gratulátio repertárum cœpit ánxiâ dubitatióne confúndi, juſto piórum metu, ne forſitàn aut pro Cruce Dómini

tíbulum latrónis elígerent, aut ſalutáre Lignum pro ſtípite latrónis abjiciéndo violárent. Reſpéxit pias fidéliter æſtuántium curas Dóminus, & ipſi potiſſimùm, quæ tam piæ ſollicitúdinis princeps erat, hujus consílii lumen infúdit, ut áliquem recens mórtuum inquíri & inférri jubéret. Nec mora: verbum factum; cadáver illátum eſt; depónitur; jacénti una de crúcibus admovétur, & áltera: ſed reórum ligna mors ſprevit. Poſtrémò Domínicam Crucem prodit reſurréctio, & ad ſalutáris ligni tactum morte prófugâ funus excúſſum, & corpus eréctum eſt, tremefactiſque vivéntibus, ſtetit mórtuus: & funébribus, ut Lázarus quondàm, vínculis expedítus, íllicò inter expectatóres ſuos redivívus incéſſit.

℟. *ij.* Ego in Dómino gaudébo, & exultábo in Deo Jeſu meo; * Deus Dóminus, fortitúdo mea, allelúia. *Habac.* 3. 18. 19. ℣. Chriſto confixus ſum Cruci; vivo autem, jam non ego. *Gal.* 2. 19. 20. * Deus.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio III. *c.* 13. *v.* 44. *ad* 46.

Theſaurus in agro abſconditus.

Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Símile eſt regnum cœlórum theſáuro abſcóndito in agro. Et réliqua.

Homília ſancti Andréæ Creténſis Epíſcopi.

Oratio in Exaltat. ſanctæ Crucis.

Qui crucem póſſidet, póſſidet theſáurum. De auri me fórſitàn putátis loqui theſáuro, aut margaritárum ac lápidum pretioſórum Indicórum, quibus córporis ſui ſtudióſi & nihil excélſi cogitántes, ſeſe obléctant. Ego verò id quod ómnium bonórum pulchérrimum eſt, re ac nómine theſáurum jure appelláverim, in quo, & per quem, & in quem ſalútis noſtræ ſumma repóſita, & príſtino ſtátui reſtitúta eſt. Si Crux non eſſet, Vita ligno clavis ſuffixa non eſſet. Si ex clavis ſuffixa non eſſet, ex látere Chriſti fontes immortalitátis ſánguinem & aquam, quæ mundum éxpiant, non fudíſſent. Si Crux non eſſet, mors proſtráta non eſſet, inférnus non ſpoliátus, non enéctus nóxius ſerpens. Magna ígitur & pretióſa res Crux eſt. Magna quidem, quia multa per ipſam bona effécta ſunt: pretióſa verò, quia Dei trophæum eſt, & in ipſa diábolus ſauciátus, & cum eo mors devícta eſt.

℟. *iij.* Commoveátur à fácie Dómini univérſa terra: * Dícite in géntibus: Quia Dóminus regnávit, allelúia. Pſ. 95. 9. 10. ℣. Humiliávit ſemetípſum, factus obédiens uſque ad mor-

tem, mortem autem crucis: propter quòd & Deus exaltávit illum. *Philipp.* 2. 8. 9.* Dícite. Glória.* Dícite. Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Exaltáre, Dómine, in virtúte tua; ℟. Cantábimus, & pſallémus virtútes tuas. *Pſ.* 20. 14.

Ant. 4. f. Ut non eſſent vácua, Dómine, ſapiéntiæ tuæ ópera, propter hoc étiam & exíguo ligno credunt hómines ánimas ſuas, allelúia. *Sap.* 14. 5.

Ant. 3. a. Ad correptiónem in brevi turbáti ſunt, ſignum habéntes ſalútis, ad commemoratiónem mandáti legis tuæ, allelúia. *Sap.* 16. 6.

Ant. 1. a. Qui convérſus eſt, non per hoc quod vidébat, ſanabátur, ſed per te ómnium Salvatórem, allelúia. *Sap.* 16. 7.

Ant. 8. G. Fílios.

CANTICUM. *Iſaiæ. c.* 49. *v.* 22. *ad finem.*

Evangelii Crucis gloria & fructus.

ECce levábo ad gentes manum meam, * & ad pópulos exaltábo ſignum meum.

Et ásferent fílios tuos in ulnis, * & fílias tuas ſuper húmeros portábunt.

Et erunt reges nutrítii tui, * & regínæ nutríces tuæ: *Vultu in terram demíſſo adorábunt te*, * & púlverem pedum tuórum lingent.

Et ſcies quia ego Dóminus, * ſuper quo non confundéntur qui expéctant eũ.

Nunquid tollétur à forti præda? * aut quod captum fúerit à robúſto, ſalvum eſſe póterit?

Quia hæc dicit Dóminus: Equidem & captívitas à forti tollétur: * & quod ablátum fúerit à robúſto, ſalvábitur.

Eos verò qui judicavérunt te, ego judicábo; * & fílios tuos ego ſalvábo.

Et cibábo hoſtes tuos cárnibus ſuis; * & quaſi muſto, ſánguine ſuo inebriabúntur.

Et ſciet omnis caro quia ego Dóminus ſalvans te, * Redémptor tuus Fortis Jacob.

Glória Patri.

Ant. Fílios tuos, nec dracónum venenatórum vicérunt dentes: miſericórdia enim tua advéniens ſanábat illos, allelúia. *Sap.* 16. 10.

Ant. 5. a. In hoc oſtendíſti inimícis noſtris, quia tu es qui líberas ab omni malo, allelúia. *Sap.* 16. 8.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 1. 23. 24.

PRædicámus Chriſtum crucifixum, Judǽis quidem ſcándalum, Géntibus autem ſtultítiam, ipſis autem vocátis, Judǽis atque Græcis, Chriſtum, Dei Virtútem, & Dei Sapiéntiam.

Hymnus.

Crux, ſola languórum Dei
Pendéntis in te cónſcia,
Ejus dolóres íntimos,
Dic verba, dic ſuſpíria.

Clavi pedes, clavi manus,
Fixére duro ſtípiti;
Cinctum cruéntis vépribus,
In te recumbébat caput.

Cum morte luctántis Dei
Legis ſuprémos ſpíritus:
Chriſtus tuo, volens mori,
Vitam relíquit in ſinu.

Tu lectus in quo nos parit,
Suggéſtus è quo nos docet;
Olim treméndum sóntibus
Eris tribúnal Júdicis.

Qui per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Notam fecíſti, Dómine, in pópulis virtútem tuam; ℟. Redemíſti in bráchio tuo pópulum tuum. *Pſ.* 76. 15. 16.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. d. Tu, Deus noſter, liberáſti nos de iniquitáte noſtra, & dedíſti nobis ſalútem, allelúia. 1. *Eſdr.* 9. 13.

Oratio.

Deus, qui in præclára ſalutíferæ Crucis Inventióne, Paſſiónis tuæ mirácula ſuſcitáſti; concéde, ut vitális Ligni prétio, vitæ ætérnæ ſuffrágia conſequámur; Qui vivis & regnas.

Ad Horas, *Doxologia:*

Qui per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. Ut non.

Capitulum. *Hebr.* 12. 1. 2.

Currámus ad propóſitum nobis certámen, aſpiciéntes in Autórem fidei & Conſummatórem Jeſum, qui propóſito ſibi gaúdio, ſuſtínuit Crucem.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui per Crucem nos líberas.

AD TERTIAM.

Ant. Ad correptiónem.

Capitulum. *Philipp.* 3. 18. 19.

Multi ámbulant, quos ſæpè dicébam vobis, nunc autem & flens dico, inimícos Crucis Chriſti, quorum finis intéritus.

℟. *breve.* Apud Dóminum miſericórdia, * Allelúia, allelúia. ℟. Apud. ℣. Et copióſa apud eum redémptio. * Allelúia. Glória. ℟. Apud. *Pſ.* 129. 7.

℣. Redemptiónem miſit Dóminus, ℟. Pópulo ſuo. *Pſ.* 110. 9.

AD SEXTAM.

Ant. Qui convérſus eſt.

Capitulum. *Act.* 5. 31.

Hunc Príncipem & Salvatórem Deus exaltávit déxterâ ſuâ, ad dandam pœniténtiam Iſraëli, & remiſſiónem peccatórum.

℟. *breve.* Redémit nos Dóminus ab inimícis noſtris, * Allelúia, allelúia. ℟. Redémit. ℣. Quóniam in ætérnum miſericórdia ejus. * Allelúia. Glória. ℟. Redémit. *Pſ.* 135. 24.

℣. Deus noſter, Deus ſalvos faciéndi; ℟. Et Dómini Dómini éxitus mortis. *Pſ.* 67. 21.

AD NONAM.

Ant. In hoc.

Capitulum. *Coloſſ.* 1. 19. 20.

In ipſo complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre, & per eum reconciliáre ómnia in ipſum, pacíficans per sánguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt.

℟. *breve.* Remiſíſti, Dómine, iniquitátem plebis tuæ, * Allelúia, allelúia. ℟. Remiſíſti. ℣. Operuíſti ómnia peccáta eórum. * Allelúia. Glória. ℟. Remiſíſti. *Pſ.* 84. 3.

℣. Mitigáſti omnem iram tuam; ℟. Avertíſti ab ira indignatiónis tuæ. *Pſ.* 84. 4.

AD VESPERAS.

Ant. 3. *a.* Chriſtus mórtuus eſt pro peccátis noſtris, ſecúndùm Scriptúras, allelúia. 1. *Cor.* 15. 3.

Ant. 1. f. Peccáta noſtra ipſe pértulit in córpore ſuo ſuper Lignum, ut peccátis *mórtui, juſtítiæ vivámus, allelúia.* 1. *Petr.* 2. 24.

Ant. 8. c. Chirógraphum decréti quod erat contrárium nobis, tulit de médio, affigens illud Cruci, allelúia. *Coloſſ.* 2. 14.

Ant. 2. D. Nos redémit de maledícto Legis, factus pro nobis maledíctum; quia ſcriptum eſt: Maledíctus omnis qui pendet in ligno, allelúia. *Gal.* 3. 13.

Ant. 7. d. Verbum Crucis pereúntibus quidem ſtultítia eſt; iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt, allelúia. 1. *Cor.* 1. 18.

Capitulum. 1. *Cor.* 2. 1. 2.

Ego, cùm veníſſem ad vos, fratres, veni, non in ſublimitáte ſermónis aut ſapiéntiæ, annúntians vobis teſtimónium Chriſti: non enim judicávi me ſcire áliquid inter vos, nisì Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.

Hymnus. Tellus, *ſuprà, in I. Veſperis, p.* 458.

℣. Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid vólui ſuper terram? ℟. Deus cordis mei & pars mea, Deus in ætérnum. *Pſ.* 72. 25. 26.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Jeſus dixit Diſcípulis ſuis: Si quis vult poſt me veníre, ábneget ſemetípſum, & tollat crucem ſuam, & ſequátur me, allelúia. *Matt.* 16. 24.

Commemoratio de S. Brioco Epiſcopo.

Ant. Ipſum. ℣. Beatus, p. xxj. Oratio. Dirige, p. xxiv

AD COMPLETORIUM.

Ant. 4. a. Nónne hæc opórtuit pati Chriſtum, & ità intráre in glóriam ſuam? allelúia. *Luc.* 24. 26.

Hymnus. Jeſu Redémptor, *p.* 318.

Capitulum. *Apoc.* 5. 6.

Vidi; & ecce in médio throni & quátuor animálium, & in médio ſeniórum, Agnum ſtantem, tanquam occíſum.

℟. *breve.* In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Parébit Signum Fílii hóminis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ, & vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cœli, allelúia. *Matt.* 24. 30.

Oratio. Deus, qui, *p.* 318.

DIE IV.

IN FESTO SANCTI BRIOCI,

Civitatis ejus nomine donatæ Epiſcopi.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Pontificis, p. xx. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex ejus vita apud Bolland. Lobin. &c.

Briócus, in majóre Británnia paréntibus natus génere ſimul & pietáte conſpícuis, à ſancto Germáno, ſeu Gormáno in Hibérnia Epíſcopo enutrítus eſt verbis fidei & bonæ doctrínæ, atque à pueritia in virtútibus exercitátus. Póſteà ſacris Ordínibus, ipſóque inſignítus fuit Epiſcopátu. Natáli ſolo cum áliis multis expúlſus ab Anglo-Saxónibus qui Británniam armis ſubáctam ſævo domnátu vexábant, in Aremóricam trajécit, in cujus ora ſeptentrionáli, Lexóbiam inter & Alétam, monaſtérium ædificávit, & munus Epiſcopále, non ſinè magno populórum fructu, exércuit ibíque nonagenário major óbiit. Atque is locus, & eximiâ viri ſanctitáte, & miraculórum famâ, tam célebris evâſit, ut non multò pòſt cóndita ibídem fúerit Cívitas nómine Sancti Brióci nuncupáta, quæ Diœcéſeos caput facta, hunc primum ſibi víndicat Pontíficem.

Oratio. Dírige, *p.* xxiv.

DIE VI.

IN FESTO SANCTI JOANNIS,

Apoſtoli & Evangeliſtæ, ante Portam Latinam.

Semiduplex.

Omnia de Communi Apoſtolorum, p. j. *additis quæ ſequuntur.*

IN I. VESPERIS.

Hymnus.

Urbem Romúleam quis furor íncitat?
Chriſti Diſcípulus, Cǽſare júdice,
Damnátus rápitur: nil venerábilis
Frontis caníties movet.

In fervens ólei conjícitur mare:

Nil æſtus nócuit : flamma
ſed hóſpiti
Parcit blanda ſuo : ceu pu-
gil úngitur,
Hinc & fórtior éxilit.
Edicto ſtériles pulſus
in ínſulas,
Exul tunc sócio perfrúitur
Deo :
Hîc ventúra videt, quæ
cálamo notans,
Sublúſtri nébulâ tegit.
Sic nos Chriſtus amet,
ſic dóceat pati;
Diſcámuſque mori, fúne-
ris ut ſacri
Simus partícipes : non áliis
patet
Cœlum conditiónibus.
Patri máxima laus,
máxima Fílio;
Amborúmque ſacro máxi-
ma Flámini :
Hæc eſt certa fides, fón-
tibus è tuis,
Quam divínitùs haúſi-
mus. Amen.

℣. Impinguáſti, Dómine, in óleo caput meum : ℟. Et calix meus inébrians quàm præclárus eſt! *Pſ.* 22. 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Hæc dicit Dóminus : Cùm ambuláveris in igne, non comburéris, & flamma non ardébit in te, allelúia. *Iſ.* 43. 2.

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem Apóſtolum, partícipem in tribulatióne & *patiéntia Dómini* Jeſu effe*cíſti; fac nos* ejúſdem Chri*ſti paſſiónibus* communicántes ſic gaudére, ut in revelatióne glóriæ ejus gaudeámus exultántes; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia sécula ſeculórum.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente.

Sermo ſancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 1. *adverſ. Jovinian. Cap.* 14.

Lectio III.

Joánnes, unus ex Diſcípulis, qui mínimus tráditur fuiſſe inter Apóſtolos, & quem fides Chriſti vírginem repérerat, virgo permánſit : & ideò plus amátur à Dómino, & recúmbit ſuper pectus Jeſu : & quod Petrus qui uxórem habúerat, interrogáre non audet, illum rogat ut intérroget. Et poſt Reſurrectiónem, nuntiánte Maríâ Magdaléne quòd Dóminus reſurrexíſſet, utérque cucúrrit ad ſepúlcrum : ſed ille prævénit. Cúmque eſſent in navi, & piſcaréntur in lacu Genézareth, Jeſus ſtabat in líttore, nec ſciébant Apóſtoli quem vidérent : ſolus Virgo Vírginem agnóſcit, & dicit Petro : Dóminus eſt. Eſt Joánnes, & Apóſtolus, & Evangeliſta, & Prophéta. Apóſtolus, quia ſcripſit ad Eccléſias, ut magiſter : Evangeliſta, quia librum Evangélii có-

didit, quod, excépto Matthǽo, álii ex Duódecim Apóſtoli non fecérunt: Prophéta, vidit enim in Patmos ínſula, in qua fúerat à Domitiáno príncipe ob Dómini martýrium relegátus, Apocalýpſim infiníta futurórum myſtéria continéntem. Refert autem Tertulliánus, quòd Romæ miſſus in fervéntis ólei dólium, púrior & vegétior exíverit quàm intráverit.

Te Deum.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. g. Liberáſti me, Dómine, à preſsúra flammæ quæ circúmdedit me, & in médio ignis non ſum æſtuátus, allelúia. *Eccli.* 51. 6.

Oratio.

DEus, qui beátum Joánnem Apóſtolum, partícipem in tribulatióne & patiéntia Dómini Jeſu effecíſti; fac nos ejúſdem Chriſti paſſiónibus communicántes ſic gaudére, ut in revelatióne glóriæ ejus gaudeámus exultántes; Qui tecum vívit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia ſǽcula ſæculórum.

AD VESPERAS.

Hymnus. Urbem Romúleam, *ut ſuprà, in I. Veſperis, p.* 464.

℣. Vitam pétiit à te, Dómine; ℟. Et tribuíſti ei longitúdinem diérum. *Pſ.* 20. 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Mórtuus eſt in ſenectúte bona, provectǽque ætátis, & plenus diérum, allelúia. *Gen.* 25. 8.

DIE IX.

IN FESTO S. GREGORII NAZIANZENI, Conſtantinopolitani Epiſcopi & Eccleſiæ Doctoris.

Duplex minus.

Omnia de Communi unius S. Doctoris, p. xxvij. *additis quæ ſequuntur.*

Prima Lectio de Scriptura occurrente, duabus in unam junctis.

LECTIO II.

Ex ipſius operibus, & ex antiq. Scriptor. Eccleſ.

GRegórius, ob ſinguárem Divinárum Litterárum ſciéntiam Theólogus appellátus, Ariánzi, in Cappadócia ſecúnda, natus eſt, Gregório patre, qui Nazianzénæ Eccléſiæ Epíſcopus fuit, & Nonnâ matre, quæ nondùm in lucem éditum Deo conſecrávit. Adoléſcens Cæſaréam primùm, deínde Alexandríam, hinc Athénas, diſcéndi ſtúdio, perréxit; ubi amicítiam íniit cum Basílio, & ab Atheniénſibus eloquéntiæ Proféſſor eſt deſignátus. In pátriam revérſus anno ætátis trigéſimo, baptizátus eſt. Tum Présbyter à patre, invítus licèt, creátus, mox ne ab eódem Epíſcopus conſecrarétur, fugit in Ponti ſolitúdinem, ubi cum Basílio Monáſticæ vitæ inſtitu-

cóndidit. Imperánte Juliáno, Naziánzum venit, ubi patrem nonagenárium, qui decéptus ab Ariánis, confeſſióni Ariminénſi ſubſcripſerat, addúxit ut ſubſcriptiónem revocáret, eúmque mónachis & magnæ gregis parti, quæ ab ipſo deſcíverat, reconciliávit. Saſimórum Eccléſiæ à Basílio præféctus, ne cauſa eſſet diſsídii Basílium inter & Anthimum Tyanénſem Epíſcopum, de Saſimórum óppido, Epiſcopátu ceſſit: & poſtquàm aliquándiu in Noſocómio ægrótis miniſtráſſet, Naziánzum in auxílium patris eâ conditióne venit, ut illo vitâ functo recéderet. Conſtantinópolim ad reſtaurándam hujus civitátis Eccléſiam miſſus, Ariános & Apollinariſtas expugnávit: multiſque ab hæreſi ad fidem revocátis, lapídibus ob fidem Trinitátis appetítus, orat pro perſecutóribus, & ut ſeditióſus tráhitur ad judícium, ſed absólvitur. Illum tantis perfúnctum labóribus, Petrus Alexandrínus, Conſtantinopolitanórum Epíſcopum per epíſtolas inſtítuit: at pauló pòſt, mutáto consílio, ad eam ſedem Máximum Cýnicum, Clero & plebe repugnántibus, evéxit. Convocátâ deínde Conſtantinopolitánâ Sýnodo; *Máximus dejícitur; Gregórius* verò confirmátur, operâ *Melétii* Antiochéni, ante advéntum Timóthei Alexandríni, & Epiſcopórum Ægýpti, aliorúmque ex Macedónia: qui cùm adéſſent, negaréntque citra ſuum consénſum Conſtantinópoli dari Epíſcopum potuíſſe, Gregórius in Concílio, ſtúdio pacis, ſe ábdicans, dixit: Si vobis ullo modo diſcídii cauſa ſum, Jonam Prophétam vitæ integritáte non súpero, projícite me in mare, & hæ tumúltuum procéllæ conquiéſcent. Poſt hæc à Sýnodo diſcédens, cùm Nectárius ei ſubſtitútus eſſet; Ariánzum ſe recépit: unde Cæſaréam proféctus, in laudem Basílii nuper defúncti, oratiónem fúnebrem hábuit. Dehinc Naziánzum Præſule orbátam aliquándiu adminiſtrávit; eíque Eccléſiæ hæreſi expurgátæ præficiéndum curávit Eulálium. Rus deínde ſeceſſit, ubi mónachi vitam agens, graviſſimas carnis tentatiónes oratiónibus, jejúniis ac vigíliis ſuperávit. Demùm Theodóſio imperánte, decéſſit, multis ſuper energúmenos & ægros patrátis in vita miráculis.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio III. *c. 5. v. 13. ad 19.*

Paſtores ſal terræ & lux mundi.

Dixit Jeſus Diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Nazianzéni.

Orat. hab. Conſtantinop. in Conc. 150. Epiſcop. quando Cathedr. Epiſc. reliquit.

HAbétis, ô viri, noſtri in hanc urbem advéntûs apológiam: quæ ſi laudem mereátur, Deo & vobis, quorum accítu huc veni, grátiam hábeo. Sin autem ſpem veſtram minùs implévi, ſic quoque grátiam hábeo: non enim omnínò vituperánda eſt, ut mihi perſuádeo, ac vobis id affirmántibus fidem haud ábrogo. Nunquid pópulum hunc per avarítiam circumvénimus? Nunquid privátis utilitátibus conſulúimus? quemádmodum multos fácere vídeo. Nunquid Eccléſiam moléſtiâ affécimus? Labórum prǽmium mihi date: diutúrnis labóribus leváte ac recreáte. Móveat vos hæc caníties; ſit apud vos honóri noſtra peregrinátio. Alium ſubrogáte, qui puris ſit mánibus, qui voce non inerudítâ, qui ómnibus in rebus vobis óbſequi, curáſque eccleſiáſticas ſimul perférre poſſit. Vidébit ſibi Dóminus Paſtórem ad præfectúram, quemádmodum ovem vidit ad holocaúſtum. Ego autem his verbis extrémùm vos ſalutábo. Filíoli, depóſitum, quæſo, cuſtodíte.

Oratio. Excita, Dómine, *p.* xxx.

DIE XI.

IN FESTO SANCTI GILDASII, Rhuvigienſis Abbatis, in territorio Venetenſi.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Abbatis, p. xxxix. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex Mabill. Lobin. Bolland. & aliis.

GIldáſius in Británnia majóre natus eſt, exeúnte século quinto, & vix adoléſcens, relíctis paréntibus, ſancti Hítuli tot ſanctórum inſtitutóris, ſe ſpontè trádidit diſciplínæ. Hac in ſchola, omni génere virtútum mirum in modum profécit. Humilitáte præſértim, obediéntiâ, lenitáte, patiéntiâ, abſtinéntiâ. Sacerdótio inſignítus, Evangélii propagándi deſidério fervéſcens, Hibérniam pétiit, doctrínâ & ſanctitáte insígnes Patrícii diſcípulos invisúrus. Hinc, vitæ resíduum cœléſtium contemplatióni trádere decérnens, Aremóricam, juſſu Dei, inquit primævus Gildáſii Actórum exarátor, áppulit, & in ínſulam quæ Horáta nuncupátur ſoli Deo vacatúrus ſe recépit. Mox tantâ diſcipulórum turmâ circumcínctus eſt, ut locum extruéndo amplióri cœnóbio aptum inquírere ſit coáctus. Hoc in eo quod Rhuvígium dícitur território extrúctum, per decénnium ſanctíſſimè rexit, virtútum

eximiárum, & ſtupendórum miraculórum famâ, cum diſcipulórum affluéntia quotídie creſcénte. Horátam ínſulam, paucis ſtipátus alúmnis ſolo Deo fruitúrus, idéntidem repetébat. Ibi, plenus diérum, & ſacro Viático recreátus, die vigéſimâ nonâ Januárii manus inter diſcipulórum óbiit. Corpus ejus, ut ſepelirétur honorificéntiùs, die undécimâ Maii ejúſdem anni, cœnóbio Rhuvigiénſi rédditum eſt. Et hæc eſt Tranſlátio, quam antíquitùs hâc eâdem die commémorat Ecclésia Nannetênſis, in cujus finibus extat ab undécimo século, ſub ejúſdem Sancti patrocínio, monaſtérium.

Oratio. Deus, cujus múnere, *p.* xliij.

Die XIII.

In Festo SANCTI MAMERTI, Viennenſis Epiſcopi.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Pontificis, p. xx. *additis quæ ſequuntur.*

Lectio III.

Ex Sidonio Apollin. Alcimo, Avito, Greg. Tur.

Mamértus, circa témpora Clodovǽi magni, poſt Simplícium, Viennénſis Epíſcopus, ipsâ Domínicæ Reſurrectiónis Vigíliâ, deflagránte regális palátii arce, cùm cives facultátibus domibúſque ſuis metuéntes, ex Ecclésia diſceſsíſſent, ipſe ſolus in ea remánſit, & lácrymis, & oratiónibus incéndium extínguere méruit. Sed jam ánteà ferè per anni ſpátium frequéntes terræ motus, plures ejúſdem civitátis domos & Basílicas concúſſerant: insóliti quoque sónitus noctúrni, & lupi, urſi ac cervi per urbem oberrántes exitiále quiddam ac ferále minitabántur. Quæ flagélla ut avérteret, eâdem nocte cívibus poſt extínctum incéndium ad Eccléſiam revérſis, ánimo concépit inſtitúere Litánias uſitátis ſolemnióres; quas póſteà indíxit tríduo ante Aſcenſiónem Dómini celebrándas, in jejúniis, compunctióne cordis, précibus & eleemóſynis: ad quas univérſis Fidélibus concurréntibus, coórta ceſsávit calámitas. Eas ſupplicatiónes mox in tota Gállia præſcríptas & obſervátas, Roma ipſa, Leónis tértii auctoritáte, ampléxa eſt. Obiit Mamértus anno círciter quadringentéſimo ſeptuagéſimo ſexto.

Oratio.

Clamántes ad te, quǽſumus, Dómine, ut ſicut ad preces beáti Pontíficis tui Mamérti, pópulo tuo in afflictióne pósito pepercíſti, ità & nobis, ejus interceſſióne, in omni tribulatióne ſuccúrras; Per Dóminum.

Die XVII.
In Festo Sancti Joannis Nepomuceni,
Eccleſiæ Pragenſis Presbyterii Canónici, & Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, p. viij. *additis quæ ſequuntur.*

Lectio III.
Ex inſtrum. Canoniſ. & variis Hiſt. Eccleſ.

JOánnes, à loco nativitátis ſuæ Nepomucénus dictus, inter Canónicos Metropolitánæ Eccléſiæ Pragénſis cooptátus, prædicándi Evangélii múnere functus eſt, non ſinè laudábili fructu, étiam coram Rege Wenceſláo, à quo oblátas ſibi dignitátes conſtantíſſimè recusávit. Póſtmodùm Wenceſláus in vítia præceps abréptus, poſtulábat à Joánne ut crédita ſibi in ſacramentáli confeſſióne Regínæ arcána reveláret. Fórtiter óbſtitit Joánnes, nec blandítiis, nec torméntis cedens, nec cárceris ſqualóre victus. Reverténtem Boleſláviâ Joánnem, è fenéſtra conſpicátus rex, accersívit: & próximam in aquis ſubmerſiónem intentávit, ſi obluctári pérgeret. Ridens Joánnes terróres ac minas, regis império in flumen noctu dejéctus Martýrii corónam adéptus eſt, anno ſalútis milléſimo trecentéſimo octogéſimo tértio. Corpus ejus fácibus flúmini ſupernatántibus detéctum, & ex aréna poſtrídie elátum, ſolémni pompâ ſepultúræ mandárunt Canónici, iram regis non timéntes. Poſt trecéntos & ámpliùs annos, in jurídica recognitióne córporis quod támdiu ſub humo jacúerat, lingua ejus incorrúpta repérta eſt, quæ ſexto póſt anno, Judícibus à Sede Apoſtólica delegátis exhíbita, novo prodígio intúmuit, & ſubobſcúrum rubórem in purpúreũ commutávit. Joánnem his & áliis miráculis ritè probátis clarum, Benedíctus décimus tértius, tanquàm primum que ſigílli ſacramentális fidem sánguine obſignáverit, ſanctórum Mártyrum catálogo adſcripſit, anno milléſimo ſeptingentéſimo vigéſimo primo.

Oratio.

DEus, qui beáto Joánni tantam ánimi fortitúdinem dedíſti, ut mori malúerit quàm ſacramentále arcánum pródere, da Miniſtris tuis, ut nec minis, nec pœnis cedéntes, munus ſuum fidéliter & incontaminátè adímpleant; Per Dóminum.

Die XIX.
In Festo Sancti Yvonis,
Presbyteri Trecoricenſis.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Presbyteri, p. xxxiij. *additis quæ ſequuntur.*

Lectio III.
Ex Bulla Canoniz. Bolland. & Lobin.

YVo, Helóvi in diæcéſi Trecorénſi natus, prima fidei ſcientiarúmque rudiménta in pátris ſolo dídicit. Annum aſſecútus décimum quartum, & ardénti perfectiónis deſidério flagrans, Paríſios miſſus eſt, ut Philoſóphiæ ac Theológiæ, Juríque Pontificio & Civili navâret óperam: & poſt decénnium Auréliam pétiit, in utróque jure partas cognitiónes ampliatúrus. Utróbique magiſtrórum & condiſcipulórum admiratiónem méruit, & ingénii excellentiâ, & inſuéta pietáte. Ut inter lúbricos adoleſcéntiæ ímpetus caſtam in córpore caſto mentem ſervâret, virginitátem Deo vovit; ipsíque cuſtódem perpétuum dedit, à vino & cárnibus abſtinéntiam. Ad Sacerdótium evéctus, Rhédonis primùm, deínde Trecórii, ob exímiam in útróque jure perítiam, Judex Eccleſiáſticus, ſeu Officiális, conſtitútus eſt. Hujus Officii partes, ingénti animárum lucro & ſummo ómnium plauſu implévit, unicuíque juſtítiam célerem fáciens, litigántium ánimos mirificè ad pacem & concórdiam flectens, & paúperum cauſas ultrò ſuſcípiens & agens: unde indigéntium patrónus commúniter appellátus. Abdicáto Officiális múnere, duábus ſucceſsívè Parochiálibus Eccléſiis præpóſitus eſt: atque in iſto novo gradu, boni veríque paſtóris virtútum ómnium ſtatim ſe præbuit exémplar. De aſperióris vitæ génere nihil unquam remíſit, néquidem in extrémis. Tandem labóribus fractus & cœlo matúrus, ſacrâ Euchariſtiâ & Unctióne munítus, felíciter obdormívit in Dómino, anno ætátis quinquagéſimo, & ſalútis milléſimo trecentéſimo tértio, décimâ nonâ Maii. Corpus ejus in Eccléſia Trecorénſi honorificè cónditum, magno populórũ concúrſu cólitur.

Oratio.

DEus, qui beátum Yvónem Presbýterum miſericórdiæ viſcéribus implevíſti; præſta, quæſumus, ut quem paúperum patrem tuâ grátiâ effecíſti, benígnum apud te júgiter habeámus interceſsórem; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

DIE XXIV.

In Festo

SS. DONATIANI ET ROGATIANI

Nannetensium Martyrum.

SOLEMNE MAJUS.

Si Feſtum SS. Martyrum venerit, vel in vigilia, vel per Octavam, vel poſt Octavam Pentecoſtes, de eo fiet Feriâ ſextâ poſt Octavam Aſcenſionis.

IN I. VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Ant. 1. D. Oculi Dómini contemplántur univérſam terram, & præbent fortitúdinem his qui corde perfécto credunt in eum, allelúia. 2. *Par.* 16. 9.

Ant. 2. D. Omnes ſancti in manu illíus ſunt: & qui appropínquant pédibus ejus, accípient de doctrína illíus, allelúia. *Deut.* 33. 3.

Ant. 3. a. Dexterâ ſuâ teget eos, & bráchio ſancto ſuo deféndet illos, allelúia. *Sap.* 5. 17.

Ant. 4. A. Grátia Dei & miſericórdia eſt in ſanctos ejus, & reſpéctus in eléctos illíus, allelúia. *Sap.* 4. 15.

Ant. 5. C. Deus omnis grátiæ módicùm paſſos ipſe perfíciet, confirmábit, ſolidabítque, allel. 1. *Petr.* 5. 10.

Capitulum. *Rom.* 8. 29.

DEus, quos præſcívit, & prædeſtinávit confórmes fíeri imáginis Fílii ſui, ut ſit ipſe Primogénitus in multis frátribus.

℟. Novit Dóminus dies immaculatórum, & hæréditas eórum in ætérnum erit: * Non confundéntur in témpore malo, allelúia. *Pſ.* 36. 18. 19. ℣. Novit Dóminus pios de tentatióne erípere. 2. *Petr.* 2. 9. * Non confundéntur. Glória. *Reſumitur* ℟. Novit.

Hymnus.

QUantis noſtra fides empta labóribus,
Quam tot purpúrei sánguine Mártyres
Signátam, cáleant ut ſacra péctora,
Tranſmiſére nepótibus!

Hac ſpirámus adhuc, vívimus hâc fide;
Hinc ſpes certa venit, náſcitur hinc ſalus.
Si non degéneres, nos ſéquimur patres,
Noſtrî laus erit & patrum.

Ex hoc fonte ſacro pléniùs haúſimus:
Chriſti Relígio móribus íntegra
Ad nos uſque redit: plena Deo fluit
His doctrína canálibus.

Fuso progéniti sánguine Mártyrum,
Nos, ô ſancta proles! fundere sánguinem
Si non, pace datâ, póſſu

mus, hos juvet
Saltèm móribus áſſequi.
Patri máxima laus;
máxima Fílio;
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
Cui ſe ritè litans fúnere ſpléndido,
Duplex cónſecrat hóſtia.
Amen.

℣. Novit Dóminus viam Juſtórum: ℟. Et iter impiórum períbit. *Pſ.* 1. 6.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Deus tentávit eos, & invénit illos dignos ſe: tanquam aurum in fornáce probávit illos; & quaſi holocaúſti hóſtiam accépit illos, allelúia. *Sap.* 3. 5. 6.

Oratio.

Concéde, quæſumus, omnípotens Deus, ut ſanctórum Mártyrum tuórum Donatiáni & Rogatiáni quorum celebrámus victórias, patiéntiæ & fortitúdinis exémpla ſequámur; Per Dóminum.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas, cum Pſalmis de Feria.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Dóminum legítimè certántes coronántem, * Veníte, adorémus, allelúia. 2. *Tim.* 2. 5.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſolemni.*

Hymnus.

Non hos vincla trahunt qui próperant mori:
Illis ſolus amor, turba ſatéllitum:
Non ſic victor ovans, exúviis ferox,
Conſcéndit Capitólia.
Aptantur gládii, vérbera, cómpedes;
Illi ſupplícium delícias putant.
Subdunt ſe gládiis; & ſimul óccidunt,
Et cœlo ſimul ádvolant.
O vos, qui súperas incólitis domos!
Arcis ſydéreæ pándite límina:
En ſeſe próperant indígetes novi
Veſtris áddere cœ́tibus.
Sanctis milítibus pródeat óbviàm
Impéllens cítharas Alígerum chorus,
Et plauſum géminans, pérſonet invicèm
Feſtis ǽthera cántibus.
Sit rerum Dómino jugis honor Patri;
Sit par Unígenæ glória Fílio;
Almo laus símilis Spirítui ſonet,
Qui dat víncere Mártyres.
Amen.

In Pſ. 45. Deus noſter refúgium & virtus, *p.* 75.

Ant. 7. C. Viri Regis dixérunt ad illos: Resíſtitis & nunc adhuc? Exíte, & fácite ſecúndùm verbum Regis, & vivétis: Et dixérunt: Non faciémus verbum Regis, allelúia. 1. *Mach.* 2. 33. 34.

In Pſ. 59. Deus, repuliſti nos, *p.* 113.

Ant. 8. G. Abſit à nobis hoc ſcelus, ut recedámus à Dómino, & ejus veſtígi relinquámus, all. Joſ. 22.

In Pſ. 78. Deus, venérunt gentes, *p.* 114.

Ant. 3. *à.* Tunc omnes ſimul benedixérunt miſericórdem Dóminum, & convaluérunt ánimis, allelúia. 2. *Mach.* 11. 9.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte, juſti; ℟. Et gloriámini, omnes recti corde. *Pſ.* 31. 11.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio I. *Cap.* 6. *v.* 9. *ad* 11.

CUm Angelus qui loquebátur mecum, aperuíſſet ſigíllum quintum, vidi ſubtus altáre ánimas interfectórum, propter verbum Dei, & propter teſtimónium quod habébant. Et clamábant voce magnâ, dicéntes: Uſquequò, Dómine, Sanctus & Verus, non júdicas, & non víndicas sánguinem noſtrum, de iis qui hábitant in terra? Et datæ ſunt illis ſíngulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt illis ut requiéſcerent adhuc tempus módicum, donec compleántur consérvi eórum, qui interficiéndi ſunt, ſicut & illi.

℟. *j.* Dixérunt: Non audiémus verba Regis, * Nec ſacrificábimus, tranſgrediéntes Legis noſtræ mandáta, ut eámus álterâ viâ, allelúia. 1. *Mach.* 2. 22. ℣. Habéntes eúmdem ſpíritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Crédidi, propter quòd locútus ſum, & nos crédimus, propter quòd & lóquimur. 2. *Cor.* 4. 13. * Nec. Glória. * Nec.

Lectio II.

Ex eorum Actis apud Bolland. Greg. Tur. & aliis.

DOnatiánus & Rogatiánus fratres, Nannétis in Aremórica propter Chriſti Religiónem in perſecutióne Diocletiáni & Maximiáni comprehénſi ſunt: ille ætáte matúrior, & jam baptizátus; hic júnior, & Cathecúmenus tantū. Quare Donatiánus, poſtquàm interrogátus, Chriſtiánum ſe coram Præſide confésſus eſt, ſtatim convíctus desértæ religiónis públicæ, in cárcerem conjícitur. Rogatiánus verò blandítiis & illécebris tentátur, ne à deórum cultu témerè recéderet, aut baptíſma Chriſtianórum expéteret. Sed cùm Præſidi in utróque consentíre conſtánter recusáret, in eámdem cuſtódiam cum fratre detrúſus eſt: qui cum illum mœſtum ſensíſſet quòd ſacro baptíſmate nondùm tinctus in mortis diſcrímine verſarétur, & cuſtódia ſtricta omnem ſpem illíus ſuſcipiéndi præcidíſſet, orávit Dóminum, ut pura fides illi baptíſmatis vicem præſtáret, & ſacraménti grátiam sánguinis obtinéret effúſio. Quo facto, cùm ambo poſtrídie ante Præſidem dedúcti eſſent, eódem jubénte, in catáſta equúlei ſuſpénſi, crudéliter laniáti ſunt. Sed nihilóminùs Chriſtum intrépidè confiténtes, lánceâ militári perfóſſi tandem cæſis capítibus

martýriũ conſummavérunt. Horum précibus Nannéticam noſtram civitátem ab obſidióne barbarórum liberátam Clodovéi Regis tempóribus, & patres noſtri tradidérunt nobis, & in Libro hiſtoriárum ſcripſit ſanctus Gregórius Turonénſis.

℟. *ij*. Pugnábimus pro animábus noſtris, & légibus noſtris: & * Ipſe Dóminus cónteret adversários ante fáciem noſtram, allelúia. 1. *Mach*. 3. 21. 22. ℣. Perſecutiónem pátimur, ſed non derelínquimur: dejícimur, ſed non perímus. 2. *Cor*. 4. 9. * Ipſe. Glória. * Ipſe.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio III. *c*. 12. *v*. 1. *ad* 5.

Amicis Dei non timenda perſecutio.

DIxit Jeſus Diſcípulis ſuis: Atténdite à ferménto Phariſæórum, quod eſt hypócriſis. Et réliqua.

Homília ſancti Máximi Epíſcopi.

De SS. Octav. Adv. & Sol.

CUm ómnium ſanctórum Mártyrum, fratres, devotíſſimè Natálem celebráre debeámus, tum præcípuè eórum Solémnitas totâ nobis veneratióne curánda eſt, qui in noſtris domicíliis próprium ſánguinem profudérunt. Nam licèt univérſi ſancti ubíque ſint, & ómnibus proſint, ſpeciáliter illi tamen pro nobis intervéniunt, qui & ſupplícia pertulére pro nobis. Martyr enim cùm pátitur, non ſibi tantùm pátitur, ſed & cívibus. Sibi enim pátitur ad prǽmium, cívibus ad exémplũ. Exémplo eórum didícimus Chriſto crédere, didícimus contuméliis vitam ætérnã quǽrere, mortem didícimus non timére. Beáti ígitur Mártyres nec ſibi vixérunt, nec ſibi ſunt mórtui. Exémplum enim nobis reliquérunt; benè vivéndo, converſatiónis; tolerándo fórtiter, paſſiónis. Nam ídeò Dóminus per totum mundum divérſis in locis pati Mártyres vóluit, ut tanquàm idónei teſtes nos præſénti quodam fídei exémplo ſuæ confeſſiónis urgérent: ut humána fragílitas quæ prædicatióni Domínicæ áditu longióre vix credit, vel præſénti oculórum teſtimónio, martýrio créderet Beatórum. Cuncti ígitur Mártyres devotíſſimè recoléndi ſunt: ſed ſpeciáliter ii venerándi ſunt à nobis, quorum Relíquias poſſidémus. Illi enim nos oratiónibus ádjuvant, iſti étiam ádjuvant paſſióne. Cum his autem nobis familiáritas eſt: ſemper enim nobíſcum ſunt; nobíſcum morántur: hoc eſt, & in córpore nos vivéntes cuſtódiunt, & de córpore recedéntes excípiunt: hic ne peccatórum nos labes aſſúmat, ibi ne inférni horror invádat.

℟. *iij*. Illi quidem armis confidunt, ſimul & aud

ciâ : nos autem, * In omnipoténte Dómino, qui poteſt, & veniéntes advérſum nos, & univérſum mundum uno nutu delére, confídimus, allelúia. 2. *Mach.* 8. 18. ℣. In mortem trádimur propter Jeſum, ut & vita Jeſu manifeſtétur in carne noſtra mortáli. 2. *Cor.* 4. 11. * In omnipoténte. Glória. *Reſumitur* ℟. Illi quidem.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Lætámini, juſti, in Dómino ; ℟. Et confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus. *Pſ.* 96. 12.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 2. D. Quóniam eſtis filii, miſit Deus Spíritum Fílii ſui in corda veſtra, allelúia. *Gal.* 4. 6.

Ant. 4. f. Rememorámini príſtinos dies, in quibus illumináti, magnum certámen ſuſtinuíſtis paſſiónum, allelúia. *Hebr.* 10. 32.

Ant. 7. c. Non injúſtus Deus, ut oblivíſcátur óperis veſtri, & dilectiónis quam oſtendíſtis in nómine ipsíus, allelúia. *Hebr.* 6. 10.

Ant. 3. a. Qui ſuſcitávit.

CANTICUM. *Sap. Cap.* 5. *v.* 16. *ad* 18.

Martyrum triumphus & gloria.

JUſti in perpétuum vivent ; & apud Dóminum *eſt merces eórum ;* * & cogitátio illórum apud Altíſſimum :

Ideò accípient regnum decóris, * & diadéma ſpeciéi de manu Dómini :

Quóniam déxterâ ſuâ teget eos ; * & bráchio ſancto ſuo defféndet illos.

Accípiet armatúram zelus illíus : * & armábit creatúram ad ultiónem inimicórũ.

Glória Patri.

Ant. Qui ſuſcitávit Jeſum Chriſtum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora veſtra, allelúia. *Rom.* 8. 11.

Ant. 5. a. Gaudéte in illa die & exultáte ; ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo, allelúia. *Luc.* 6. 23.

CAPITULUM. *Dan.* 3. 88.

LAudáte & ſuperexaltáte eum in sécula, qui éruit nos de inférno, & ſalvos fecit de manu mortis.

HYMNUS.

VOBIS quanta venit de
nece dígnitas !
Quæ delúbra Deo súrgere
cérnimus,
Altis veſtra ferunt nómina
fróntibus,
Chriſti glória, Mártyres.

ULTOR nempè Deus
córpora Mártyrum
Condi pulvéreo non pátitur
ſitu.
Triſtes relliquias, oppróbrium necis,
Sacris penſat honóribus.

NON hoc Cæsáribus cóntigit ímpiis ;
Deteſtáta manent crímina
póſteris.
Virtus veſtra viget, nec
violábitur,
Seris trádita séculis.

Fuſus pro Dómino fumat adhuc cruor,
Sacris pignóribus fumat adhuc fides.
Præcónes fídei frígida péctora
Linguâ sánguinis éxcitant.
Patri máxima laus; máxima Fílio;
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
Qui dat Martýribus mille neces pati,
Et per fúnera víncere. Am.

℣. Vox exultatiónis & ſalútis, ℟. In tabernáculis juſtórum. *Pſ.* 117. 15.

Ad Benedíctus, *Ant. 6. C.* Qui indúxit vobis mala, Deus, ipſe rursùm addúcet vobis ſempitérnam jucunditátem cum ſalúte veſtra, allelúia. *Bar.* 4. 29.

Oratio.

DEus, fortitúdo & glória Mártyrum, qui beátos Donatiánum & Rogatiánum, ad tui nóminis confeſſiónem, mirâ virtúte roboráſti; quæſumus, ut ſicut nos eórum triúmpho lætíficas, ità ſemper protectióne defendas; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. Quóniam.

Pſalmi de Dominica: & ſic in aliis horis.

Capitulum. *Dan.* 3. 90.

BEnedícite, omnes religióſi, Dómino Deo deórum; laudáte, & confitémini ei, quia in ómnia *sécula* miſericórdia ejus.

℟. *breve.* Chriſte.

Canon *proprius habetur ad calcem Breviarii.*

AD TERTIAM.

Ant. Rememorámini.

Capitulum. 1. *Mach.* 14. 29.

DEdérunt ſe perículo, & reſtitérunt adversáriis gentis ſuæ, ut ſtarent Sancta ipsórum, & Lex; & glóriâ magnâ glorificavérunt gentem ſuam.

℟. *breve.* Lætáti ſumus, Dómine, pro diébus quibus nos humiliáſti, * Allelúia, allelúia. ℟. Lætáti. ℣. Annis quibus vídimus mala. * Allelúia. Glória. ℟. Lætáti. *Pſ.* 89. 15.

℣. Quàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine! ℟. Nimis profúndæ factæ ſunt cogitatiónes tuæ. *Pſ.* 91. 6.

AD SEXTAM.

Ant. Non injúſtus Deus.

Capitulum. *Rom.* 9. 22. 23.

SUſtínuit Deus in multa patiéntia vaſa iræ apta in intéritum, ut oſténderet divítias glóriæ ſuæ in vaſa miſericórdiæ, quæ præparávit in glóriam.

℟. *breve.* Nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus, * Allelúia, allelúia. ℟. Nimis. ℣. Nimis confortátus eſt principátus eórum. * Allelúia. Glória. ℟. Nimis. *Pſ.* 138. 17.

℣. Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum: ℟. facti ſumus lætántes. *Pſ.* 125. 3.

AD NONAM.

Ant. Gaudéte.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 2. 20. 21.

SI benefaciéntes patiénter ſuſtinétis, hæc eſt grátia apud Deum: in hoc enim vocáti eſtis.

℟. *breve.* Qui séminant in lácrymis, * Allelúia, allelúia. ℟. Qui séminant. ℣. In exultatióne metent. * Allelúia. Glória. ℟. Qui séminant. *Pſ.* 125. 5.

℣. Exúltent juſti in conſpéctu Dei; ℟. Et delectÉntur in lætítia. *Pſ.* 67. 4.

AD VESPERAS.

In Pſ. 109. Dixit Dóminus, *p.* 22.

Ant. 1. J. Audiérunt vocem magnam de cœlo dicéntem eis: Aſcéndite huc, allelúia. *Apoc.* 11. 12.

In Pſ. 110. Confitébor tibi, Dómine, *p.* 22.

Ant. 2. D. Aſcendérunt in cœlum in nube, & vidérunt illos inimíci eórum, allelúia. *Apoc.* 11. 12.

In Pſ. 111. Beátus vir qui timet Dóminum, *p.* 23.

Ant. 3. *à.* Decantavérunt, Dómine, nomen ſanctum tuum, & victrícem manum tuam laudavérunt páriter, allelúia. *Sap.* 10. 20.

In Pſ. 112. Laudáte, púeri, Dóminum, *p.* 23.

Ant. 4. E. In perpétuum vivent; & apud Dóminum eſt merces eórum, allelúia. *Sap.* 5. 16.

In Pſ. 125. In convertén-do Dóminus captivitátem Sion, *p.* 86.

Ant. 5. C. Réliqui in timórem ſunt miſſi, & dedérunt glóriam Deo, allelúia. *Apoc.* 11. 13.

CAPITULUM. *Tob.* 13. 6.

ASpícite quæ fecit nobiſcum Dóminus; & cum timóre & tremóre confitémini illi; Regémque ſeculórum exaltáte in opéribus veſtris.

HYMNUS.

AD ſacros cíneres cúrrite, Cívitas:
Sunt hæc plena Deo pígnora Mártyrum.
Hîc cunæ fídei, fúneris in ſinu,
Vitam pléniùs haúſimus.

Hic dum juſta parant prælia Príncipes,
Flexis poplítibus, præsídium petunt:
Veſtros ante pedes, régia ſúpplices
Depónunt diadémata.

Hic quot prodígiis ſe Deus áſſerit!
Hîc ſurdi pátulis aúribus aúdiunt:
Cœcis hîc ſua lux rédditur, & ſuus
Contráctis vigor ártubus.

His quæ fervet adhuc, veſtra fides locis,
Accéndat gélidis pectóribus fidem,
Quando veſtra, Patres, progénies ſumus,
Et veſtro ſata ſánguine.

Si jam, pace datâ, non liceat mori,
Si nos víncla, rotæ, de-

ficiunt cruces,
Durus quiſque ſibi plectat
& immolet
Duris membra labóribus.
Patri máxima laus;
máxima Fílio;
Amborúmque ſacro máxima Flámini
Cui ſe ritè litans fúnere
ſpléndido,
Duplex cónſecrat hóſtia.
Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in ætérnum erit: ℟. Non confundéntur in témpore malo. *Pſ.* 36. 18. 19.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Semen benedictórum Dómini eſt, & nepótes eórum cum eis. Erítque: Antequàm clament, ego exaúdiam, dicit Dóminus, allelúia. *Iſ.* 65. 23. 24.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 1. *g.* Hîc eſt patiéntia & fides ſanctórum, allelúia. *Apoc.* 13. 10.

Hymnus, ante Aſcenſionem. Jeſu, redémptor ſéculi, *p.* 318.

Poſt Aſcenſionem, Jam Chriſtus, *p.* 373.

Capitulum. *Sap.* 3. 2. 3.

Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori, & eſtimáta eſt afflíctio éxitus illórum: & quod à nobis eſt iter, extermínium: illi autem ſunt in pace.

℟. *breve.* In manus.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 2. A. Pro nobis ipſis oráte ad Dóminum Deum noſtrum, allelúia. *Bar.* 1. 13.

Oratio, ante Aſcenſiónem, Deus, qui ómnia, *p.* 318.

Poſt Aſcenſionem, Da, quæſumus, omnípotens Deus, *p.* 373.

FESTA JUNII.

Die II.

In Festo SANCTI POTHINI, Lugdunenſis Epiſcopi, & Sociorum, Martyrum.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, p. xiv. *additis quæ ſequuntur.*

Ex Epíſtola Eccleſiárum Viennénſis & Lugdunénſis, ad Eccléſias Aſiæ & Phrýgiæ.

Apud Euſeb. Hiſt. Lib. 5. *Cap.* 1.

Lectio II.

Beatíſſimus Pothínus, qui Epiſcopátum Lugdunénſis Eccléſiæ adminiſtrábat, nonagenário major, & córpore ádmodum infirmo, ob præséntem quidem córporis imbecillitátem ægrè ſpíritum trahens, cǽterum, præ cupiditáte imminéntis Martýrii, mirábili alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal ferebátur. Quò perlátus à milítibus, proſequéntibus ipſum Ma

giſtrátibus civitátis, & univérsâ plebe váriis eum acclamatiónibus impeténte, tanquam ipſe Chriſtus eſſet, egrégium édidit teſtimónium. Interrogátus à Prǽſide, quiſnam eſſet Chriſtianórum Deus, reſpóndit: Si dignus fúeris, cognóſces. Poſt hæc abſque ullo humanitátis reſpéctu raptátus, atque innúmeris plagis affectus eſt: cùm ii quidem qui própiùs aſtábant, cálcibus & pugnis illum contumelióſè appéterent; qui verò lóngiùs diſtábant, quidquid ad manum erat, in ipſum conjícerent. Exínde vix adhuc ſpirans, in cárcerem projéctus eſt, tandémque poſt bíduum, ánimum exhalávit. Matúrus neóphytus, & Sanctus Diáconus Viennénſis, cum Blandína ancílla, pluribúſque áliis, ducti ſunt ad béſtias in amphitheátrum ad públicum ſpectáculum. Et Matúrus quidem ac Sanctus ómnia tormentórum génera in amphitheátro ſubiérunt. Hi ergo máximo certámine perfúncti, cùm vitálem ſpíritum diu protraxíſſent, tandem juguláti ſunt. Blandína verò ad palum ſuſpénſa, béſtiis objécta eſt. Cúmque nulla tunc béſtia corpus illíus attigíſſet, depóſita ex ſtípite, rurſùs in cárcerem conjícitur, in áliud certámen reſervata. Ineúnte ſolémni apud nos mercátu, Præſes beatíſſimos Mártyres ad tribúnal addúci juſſit, tanquam in theatráli pompa eos pópulo oſténtans. Cúmque illos dénuò interrogáſſet, quicúmque cives Románi repérti ſunt, cápite truncáti, réliqui tráditi ſunt béſtiis. Poſt hos omnes, último tandem ſpectaculórũ die, Blandína ómnium poſtréma, poſt flagra, poſt ferárum vellicatiónem, poſt ſartáginem, retículo inclúſa, tauro objécta eſt: à quo diu in altum jactáta, tandem & ipſa víctimæ inſtar juguláta eſt.

Oratio. Mártyris tui, *p.* xviij.

Veſpera à Capitulo de ſequenti, cum Commemoratione de SS. Pothino & Sociis.

DIE III.

IN FESTO S. CLOTILDIS, Francorum Reginæ, & Viduæ.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Viduæ, p. lxv. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex S. Greg. Tur. & aliis Script. Eccleſ.

Clotíldis, Chilpeíci Regis filia, paréntibus à pátruo Gundebáldo Burgundiórum Rege necátis, Clodováeo, adhuc éthnico in cónjugem trádita eſt. Quæ, cùm primogénitum pepeíſſet, eum, tolerante magìs quàm approbánte Clodovæo, baptizári juſſit.

Cù

Cùm autem infántis, cui nomen Ingomer impoſitum fúerat, in albis defuncti mortem ægrè ferret Clodováeus, ac Baptiſmo imputáret, gráviter Clotildem objurgávit, aſſérens deos pátrios ob contémptum núminis ſui irátos, ſibi filium eripuíſſe. At illa: Deo, inquit, omnipoténti, Creatóri ómnium, grátias ago, qui me non uſquequáque judicávit indígnam ut de útero meo génitum regno ſuo dignarétur aſcíre. Alterum filium Regína cùm genuiſſet, hunc quoque baptizári vóluit, & Clódomir appellátus eſt. Qui cùm ægrotáre cœpíſſet, affirmánte Rege fore ut ei idem quod fratri contíngeret, matris précibus convâluit. At Regína non ceſſábat hortári virum, ut abjéctâ idolatríâ, Deum verum cóleret. Sed ille ſuperſtitióni Francórum adhæſit, donec in expeditióne Alamánnica inclinátam cernens ſuórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Chriſti imploráto, de hóſtibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei geſtæ cognóvit, advocávit ſanctum Remígium, à quo Clodováeus fidem edóctus, baptizátus eſt, & chriſmate ſancto inúnctus. Poſt mortem *Clodováei*, Turónes *ádiit Clotíldis*: ibíque ad *ſepúlcrum* ſancti Martíni ſummâ pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemóſynis, aliíſque piis opéribus inténta. Tandem plena diérum, Turónis migrávit ad Dóminum: & Paríſios inter pſalléntium choros tranſláta, ſepúlta eſt ad latus Clodováei, in ſacrário Baſilícæ ſancti Petri, ubi corpus ſanctæ Genovéfæ quieſcit.

Oratio.

Reſpice, Dómine, ad Francórum benígnus Impérium: & quibus, per devótam ſanctæ Clotildis inſtántiam, donum fídei contuliſti, iiſdem, per ejus interceſſiónem, tríbue ſincérum Chriſtiánæ pietátis affectum; Per Dóminum.

Ad Vesperas, Commemoratio de SS. Marcellino & Petro.

Ant. Agnóſcent. ℣. Viríliter, *p.* xv. *Oratio*, Exaúdi nos, *p.* xviij.

Die IV.

In Festo SS. Marcellini et Petri, Romæ Martyrum.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, p. xiv. *additis quæ ſequuntur.*

Lectio III.

Ex Carm. S. Damaſi Papæ.

Maximiáno & Diocletiáno, circa inítium séculi quarti, Eccléſiam devaſtántibus, & vehementer in eos omnes qui Chriſtiáno gloriabántur nómine ſæ-

viéntibus, glorióſo Martýrio Románam illuſtrárunt Eccléſiam, ſanctus Marcellínus ejúſdem Eccléſiæ Présbyter, & ſanctus Petrus Exorciſta. Utérque cápite truncáto palmam obtínuit. Illórum Mártyrum laudes cármine célebrat ſanctus Dámaſus Papa: & ipſi ſunt quorum nómina quotídie in altáris Sacrifício commemorántur.

Oratio, Exaúdi nos, *p.* xviij.

DIE V.

IN FESTO

S. VINCENTII FERERII, Presbyteri, è Familia Prædicatorum.

Duplex minus.

Omnia de Communi unius S. Presbyteri, p. xxxiij. *additis quæ ſequuntur.*

Prima Lectio de Scriptura occurrente, duabus in unam junctis.

LECTIO II.

Ex Bulla Canoniz. S Anton. Lobin. & aliis.

VIncéntius, Valéntiæ in Hiſpánia natus eſt anno ſuprà milléſimum & trecentéſimũ quinquagéſimo séptimo; & Prædicatórum Ordinem anno décimo séptimo ætátis ampléxus eſt. Philosóphiæ docéndæ magiſtério cum laude aliquándiu perfúnctus, Theológiæ laúream aſſecútus eſt, & Valéntiæ revocátus, ut ſacræ Theológiæ, ad efflagitátum Præſulis & Capítuli, públicis lectiónibus óperam daret. Poſt ſexénnium à Cardináli Petro de Luna creáto Pontífice ſub nómine Benedícti décimi tértii, Aveniónem vocátus eſt, & Magíſter ſacri Palátii creátus. Nihil non egit apud Pontíficem, ut Eccléſiæ ſchíſmate diſcíſſæ abdicatióne Pontificátûs consúleret, ſed fruſtrà. Hinc ex aula diſcédens, nec précibus, nec oblátâ púrpurâ deténtus, ad curréndum miſſiónis Apoſtólicæ ſtádium ſpirítui ſe grátiæ trádidit. At ipsíus Apoſtólicæ vitæ perpétuus æmulátor, exínde cœpit à cárnibus abſtinére, Domínicis diébus excéptis, diſtríctiùs jejunáre, quartâ autem ſextâque fériâ in pane tantùm & aqua, ſtramínibus aut ſarméntis, & ad ſomnum parcíſſimum incubáre. Poſt Miſſam ſummo manè celebrátam, in platéis plerúmque ob pópuli frequéntiam, incúmbere, per annos quadragínta non déſtitit. Európam penè íntegram, pœniténtiæ præſértim diſtrictíque judícii præco peragrávit, miráculis ſtupeſécit, extremíque judícii terróre replévit. Permúlta Saracenórum & Judæórum míllia ad fidem addúxit, peccatóres autem ad pœniténtiam innumerábiles. In Aremóricam lítteris ſupplícibus Joánnis quinti Príncipis addúctus, Venétiæ manſiónem fixit, atque ibi ante biénnium auſteritátibus la

boribúſque fractus, curſum conſummávit, Nonis Aprílis anni milléſimi quadringentéſimi décimi noni. In Eccléſia Cathedráli ſepúltus eſt, nec abhinc miráculis déſtitit coruſcáre.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio III. *Cap.* 10. *v.* 1. *ad* 6.

Septuaginta Diſcipulorum Miſſio.

DEſignávit Dóminus álios ſeptuagínta duos, & miſit illos binos ante fáciem ſuam. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbýteri.

Com. in Matt. L. 1. *c.* 9. & 10.

MEſſis multa populórum ſignificat multitúdinem, operárii pauci penúriam magiſtrórum. Et ímperat ut rogent Dóminum meſſis ut mittat operários in meſſem ſuam. Iſti ſunt operárii de quibus lóquitur Pſalmíſta, dicens: Qui séminant in lácrymis, in gaúdio metent. Eúntes ibant, & flebant, portántes sémina ſua: veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos ſuos. Et ut apértiùs loquar, meſſis multa, omnis turba credéntium eſt: operárii autem pauci, & Apóſtoli, & imitatóres eórum, qui mittúntur ad meſſem. Eúntes autẽ, prædicáte, dicéntes: Quia appropinquávit regnum cœlórum: infirmos curáte, mórtuos ſuſcitáte, leprósos mundáte, dæmones ejícite. Ne homínibus ruſticánis & abſque elóquii venuſtáte, indóctis & illitterátis nemo créderet pollicéntibus regna cœlórum, dat poteſtátem infírmos curáre, lepróſos mundáre, dæmones ejícere: ut magnitúdinem promiſſórum probet magnitúdo ſignórum. Et quia ſemper dona ſpirituália, ſi merces média ſit, vilióra fiunt, adjúngitur avarítiæ condemnátio: Gratìs accepíſtis; gratìs date. Ego magíſter & Dóminus abſque prétio hoc vobis tríbui: & vos ſinè prétio date, ne Evangélii grátia corrumpátur.

Oratio.

DEus, qui diverſitátem géntium ad tuî dilectiónis ardórem, diſtrictíque judícii formídinẽ, beáti Vincéntii ſalutíferâ prædicatióne misericórditer evocáſti; fac nos in treméndo judício ſecúros comparére, & tuis promiſſiónibus in ætérna felicitáte gaudére; Per Dóminum.

Ad Vesperas, Commemoratio de S. Norberto.

Ant. Ipſum. ℣. Beátus, *p.* xxj. *Oratio*, Da Eccléſiæ, *p.* xxiv.

Die VI.

In Festo SANCTI NORBERTI, Magdeburgenſis Epiſcopi.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius S. Pontificis, p. xx. addi*tis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex ipſius vita à beato Hugone, ejus diſcip. & ſucc. ſcripta.

NObértus, Sanctis Clíviæ óppido in Diœcéſi Colonienſi, nóbili proſápiâ ortus, relicta Imperatóris aulâ, in Clerum aſcríptus eſt. Sacris Diaconátûs & Presbytérii Ordínibus ſuſcéptis, verbi Dei prædicatióni totum ſe conſecrávit. Innúmeros hæréticos ad fidem, peccatóres ad pœniténtiam, diſſidéntes ad concórdiam revocávit. Cùm eſſet Laudúni, à Bartholomæo Epíſcopo rogátus ne ab ipſius Diœcéſi diſcéderet, desértum in ea locum, qui Præmonſtrátus dicebátur, ſibi delégit, ex quo totus Ordo, quem ibi ſub régula ſancti Auguſtíni inſtítuit, nomen accépit. Sacramentáriam & adamíticam Tanchelíni hǽreſim Antuérpiæ graſſántem, eò vocátus profligávit: & qui multò antè oblátum ſibi Cameracénſem Epiſcopátum recusáverat, ad Magdeburgénſem Archiepiſcopátum pòſteà raptus, Eccleſiáſticam diſciplínam, præſertímque ſacrórũ miniſtrórum cœlibátum, conſtánter propugnávit ac promóvit. Romam, cum áliis Epíſcopis proféctus, ſchiſma Petri Leónis compréſſit, Innocéntio ſecúndo ſuæ Sedi rédditp. Exáctis in Pontificátu annis ferè octo, ábiit ad Dóminum, anno milléſimo centéſimo trigéſimo quarto: húncque Gregórius décimus tértius, anno milléſimo quingentéſimo octogéſimo ſecúndo, in Sanctórum órdinem rétulit.

Oratio, Da Eccléſiæ, *p.* xxiv.

Ad Vesperas, *Commemoratio de S. Mereadoco.*

Ant. Ipſum, ℣. Beátus, *p.* xxj. *Oratio*, Dírige, *p.* xxiv.

DIE VII.

IN FESTO SANCTI MEREADOCI Venetenſis Epiſcopi.

Simplex.

Omnia de Communi unius S. Pontificis, p. xx. *additis quæ ſequuntur.*

LECTIO III.

Ex Henſchen. Le Cointe, Lobin.

MEreadócus, Británnus & circa inítia séptimi séculi natus, à pueritia futúram ſanctitátem præmonſtrávit. Unde Clero Veneténſi adſcríptus, & deinde Sacérdos inaugurátus, humilitátem præsértim, & paupertátis amórem, vitǽque auſteritátem adaúxit. Virtútibus partam ſanctitátis exímiæ famam Mereadócus extímuit, & in ſolitúdinem ſitam propè Pontívium ſe recépit, ubi corpus ſuum perpétuam Deo hóſtiam litávit. Veneténſi Epíſcopo vitâ functo, Cleri & pópuli ſuffrágio ſubrogándus eléctus eſt. At vim inférri opórtuit ut ad ſedem traherétur

& non niſi universórum lácrymis victus, ſe conſecrári paſſus eſt. In auſteritáte vitæ nil Epíſcopus mutávit, intéreà factus in paúperes flagrántior, viduárum, orphanórum, miſerorúmque pater. Auſteritátibus & labóre contínuo citò nimiùm conféctus, circa annum ſexcentéſimum pane vitæ recreátus óbiit, & in Eccléſia Cathedráli ſepúltus.

Oratio. Dirige, *p.* xxiv.

Die VIII.

In Festo

SANCTI MEDARDI,

Noviomenſis Epiſcopi.

Simplex.

Omnia de Communi unius S. Pontificis, p. xx. *additis quæ ſequuntur.*

Lectio III.

Ex S. Fortunato Pictav. in ejus vita apud Bolland. & aliis.

Medárdus, apud Salentíacum in pago Viromanduénſi natus & piè inſtitútus, oblátus eſt Viromanduénſi Epíſcopo, ut in Clericórum númerum adſcriberétur. Creſcéntibus cum ætáte méritis & doctrînâ, ad altióres gradus aſcéndit. Présbyter ordinátus, Viromanduórum Epiſcopátum, multórum aſsíduis précibus victus, regéndum ſuſcépit: ac Sedem, eò quòd Augúſtia Viromanduórum à Vándalis & Hunnis evérſa eſſet, Noviómi collocávit. Mórtuo Eleuthério Tornacénſi Epíſcopo, cùm Clerus & pópulus Medárdum ſibi dari Epíſcopum poſtuláſſent, ſancto Remígio, cœteríſque provínciæ Epíſcopis annuéntibus, Rege & procéribus ſuâ autoritáte rem promovéntibus, utriúſque Eccléſiæ curam ſuſcépit, Epiſcopális Sedis honóre utríque ſerváto, quamvis Tornacénſes ab eo témpore uſque ad Simónem, per annos círciter ſexcéntos, non álios quàm Novioménſes Epíſcopos habúerint. Flandros, gentem tunc ferócem, convértit ad Chriſtum. Obiit anno círciter quingentéſimo quadragéſimo quinto: eúmque Clotárius ſummo cum honóre apud Sueſſiónas ſepelíri juſſit; & Basílicam ad ejus túmulum cœpit ædificáre, quam Sigebértus filius ejus absólvit & ornávit.

Oratio, Da Eccléſiæ, *p.* xxiv.

Die XI.

In Festo

SANCTI BARNABÆ,

Gentium Apoſtoli.

Duplex minus.

Omnia ut in Communi Apoſtolorum, p. j. *additis quæ ſequuntur.*

In Vesperis *Diei Octavæ Aſcenſionis Domini, Commemoratio.*

Ant. Bárnabas, cùm habéret agrum, véndidit eum, & áttulit prétium, & póſuit ante pedes Apoſtolórum, allelúia. Act. 4. 37.

℣. Beátus qui intélligit ſuper egénum & páuperem!

℞. in die mala liberábit eum Dóminus. *Pſ.* 40. 2.

Oratio, Deus, qui, *infrà, ad Laudes, p.* 488.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

HYMNUS.

CŒLO datur quiéſcere,
Terris relictis, Bárnaba:
Solémnis hæc affert tuis
Finem dies labóribus.

QUEM propter, agro véndito,
Opes cadúcas déſeris,
Magno repéndens fœnore,
En fundus ipſe fit tuus.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da ſúrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Lectio I. de Scriptura occurrente, duabus in unam junctis.

LECTIO II.

Ex Act. Apoſtol. & Uſuard.

BArnabas, quod eſt interpretátum, Fílius conſolatiónis, qui & Joſeph, Levítes, Cyprius génere, agro véndito quem poſſidébat, prétium áttulit ad pedes Apoſtolórum: ad quos & póſteà Paulum addúxit recèns convérſum. Jeroſólymis Antiochíam miſſus ab Eccléſia, quæ cœperat quoſdam ibi diſcípulos Dóminum Jeſum Græcis annuntiáſſe, cùm vidiſſet grátiam Dei, gavíſus eſt, & hortabátur omnes in propóſito cordis permanére in Dómino. Proféctus eſt inde Tarſum, ut quǽreret Paulum, quem cùm inveníſſet, perdúxit Antiochíam: & annum totum conversáti ſunt ibi in Eccléſia, & docuérunt turbam multam: ità ut cognominaréntur primùm Antiochíæ diſcípuli, Chriſtiáni. Ortâ fame ab Agabo prædictâ, colléctas eleemóſynas ad fratres in Judǽa habitántes, cum Paulo détulit. Quo expléto miniſtério, revérſi ſunt, aſſúmpto Joánne, cui cognómen erat Marcus. Cùm autem Antiochíæ in Eccléſiâ cum cœ́teris Prophétis & Doctóribus miniſtrárent Dómino & jejunárent, dixit Spíritus ſanctus: Segregáte mihi Saulum & Bárnabam in opus ad quod aſſúmpſi eos. Tunc jejunántes, & oránces, imponentéſque eis manus, dimiſérunt illos. Itaque Seleúciam venérunt, inde in Cyprum: ac multas prætéreà urbes regionéſque peragrárunt, prædicántes Evangélium, & conſtituéntes per ſíngulas Eccléſias Presbýteros. Cùm autem Lyſtris propter claudum à Paulo ſanátum pro diis haberéntur, vocaréntque turbæ Bárnabam, Jovem, Paulum verò

Mercúrium, vix deterruérunt turbas ne ſibi immolárent. Revérſi Antiochíam, ortâ ibi ſeditióne propter Judǽos qui volébant Gentes ad Deum convérſas circumcídi, rem ad Apóſtolos detulérunt, qui in Concílio Jeroſolymitáno ſuper ea re decrétum ſtatuérunt, remiſerúntque eos ad Eccléſiam Antiochíæ; adjúnctis Judâ & Silâ, ſcribéntes per manus eórum. Poſtrémò Bárnabas digréſſus à Paulo, unà cum Marco navigávit in Cyprum. Multis demùm perfúnctus pro Chriſto labóribus, glorióſo fine quiévit. Refert Alexánder Cýprius corpus ejus in ínſula Cypro, Zenóne imperánte, repértum eſſe, ad cujus pectus erat Evangélium Matthǽi, ipsíus Bárnabæ manu conſcríptum.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthǽum.

LECTIO III. *c.* 10. *v.* 16. *ad* 22.

Quæ perſecutiones Apoſtolis reſervantur.

DIxit Jeſus Diſcípulis ſuis: Ecce ego mitto vos, ſicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbýteri.

Lib. 2. *in Evang. Matt. Cap.* 10.

QUod dicit: Ecce ego, autóritas & fortitúdo eſt *Deitátis: &* quia oves *meæ eſtis*, mitto vos, & *volo* ut manſuetúdinem & humilitátem habeátis, ne propter ſeditiónem lupórum, id eſt, perſecutórum, patiéntiam & conſtántiam veſtram perdátis. Eſtóte ergo prudéntes ſicut ſerpéntes, & símplices ſicut colúmbæ. Devítent insídias per ſimplicitátem, non fáciant. Cùm autem tradent vos, nolíte cogitáre. Ac ſi apértè membris ſuis infirmántibus dicat: Nolíte terréri: vos ad certámen accéditis, ſed ego prǽlior: vos verba éditis, ſed ego ſum qui loquor.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

Hymnus.

QUem, Chriſte, tot repléveras
Donis, fidem diſséminat:
Hinc Chriſtiánum Géntibus
Clarére nomen íncipit.

Hic ſacra per jejúnia,
Intérque ſolémnes preces,
Jubénte ſancto Spíritu,
Tuus creátur núntius.

Pauli labórum párticeps,
Conſors & in perículis,
Vos unus ambo ſpíritus,
Vos una junxit cáritas.

Quam veſtra gens Chriſti fidem
Luci rebéllis réppulit,
Nil hæſitántes, éxteris
Portáſtis illam Géntibus.

Fac, Chriſte, noſtris ſe tuum
Cùm lumen offert méntibus,

Amóre ne noctis ſuæ
Cœléſte donum réſpuant.
Da, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumpháta nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Príncipes populórum congregáti ſunt. ℟. Cum Deo Abraham. *Pſ.* 46. 10.

Ad Benedictus, *Ant.* 5. a. Audiébant Bárnabam & Paulum, narrántes quanta Deus feciſſet ſigna & prodígia in Géntibus per eos, allelúia. *Act.* 15 12.

Oratio.

Deus, qui beátum Bárnabam plenum fide & Spíritu ſancto ad opus vocatiónis & converſiónis Géntium aſſúmere dignátus es; concéde, ut mémores óperis & caritátis ejus, Evangélio Chriſti quod prædicávit, dignè converſári mereámur; Per eúmdem..... in unitáte ejúſdem.

Commemoratio de Feria VI. poſt Octavam Aſcenſiónis, ut in proprio de Tempore, p. 392. ſinè Lectione.

AD VESPERAS.

Hymnus. Cœlo datur quieſcere, *ſuprà, ad Officium Nocturnum, p.* 486.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei, ℟. Et facta ejus intellexérunt. *Pſ.* 63. 10.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. * Tradidérunt ánimas ſuas, pro nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti, allelúia. *Act.* 15. 26.

Commemoratio de Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis, p. 393.



COMMUN

COMMUNE SANCTORUM.

PARS VERNA.

COMMUNE APOSTOLORUM.

Si feſtum ſit Solemne minus aut infrà, Pſalmi dicuntur de Feria in omnibus Horis : ſi verò Feſtum ſit Annuale aut Solemne majus, in I. Veſperis & Completorio ſubſequente Pſalmi dicuntur pariter de Feria ; ſed in omnibus aliis Horis dicuntur Pſalmi de Dominica. Idémque obſervatur in aliis Communibus.

IN I. VESPERIS.

Antiphona. 2. *toni D.*

ISti ſunt quos miſit Dóminus, ut perámbulent terram, allelúia. *Zach.* 1. 10.

Ant. 1. *g.* Sanctificábunt Sanctum Jacob, & Deum Iſraël prædicábunt, allelúia. *Iſ.* 29. 23.

Ant. 8. G. Ædificábunt desérta à século, & ruínas antíquas érigent, & inſtaurábunt civitátes desértas, allelúia. *Iſ.* 61. 4.

Ant. 7. d. Scient in Géntibus ſemen eórum, & germen eórum in médio populórum, allelúia. *Iſ.* 61. 9.

Ant. 6. F. Omnes qui víderint eos, cognóſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedíxit Dóminus, allelúia. *Iſ.* 61. 9.

CAPITULUM. *Iſ.* 66. 19.

HÆc dicit Dóminus : Mittam ex eis qui ſalváti fúerint, ad Gentes in mare, in Africam & Lýdiam, tendéntes ſagíttam ; in Itáliam & Græciam ; ad ínſulas longè ; ad eos qui non audiérunt de me, & non vidérunt glóriam meam.

In Duplicibus majoribus & ſuprà.

℟. Mittet id quod ſalvátum fúerit de domo Juda, & quod réliquum eſt, radícem deórsùm, & fáciet fructum ſursùm : * Quia de Jerúſalem exíbunt relíquiæ, & ſalvátio de monte Sion, allelúia. *Iſ.* 37. 31. 32. ℣. Scitóte quóniam propè eſt regnum Dei. *Luc.* 21. 31. * Quia. Glória. * Quia.

In Solemnibus minoribus aut ſuprà, reſumitur ℟. Mittet. Et ſic in aliis Communibus.

HYMNUS.

DUM morte victor óbrutâ
Ab inferis Chriſtus redit,
Vos pángimus diræ necis
Vitǽque teſtes rédditæ.

VOBIS datum præ cǽteris
Latus Magiſtri cingere:
Vobis futúræ sédulus
Arcána credit glóriæ.

AT ille, privatim ſuæ
Dum núntiat crucis probrum,
Cur horret humánus nimis,
Qui décipit ſenſus, amor?

OPORTUIT Chriſtum pati,
Qui póſtea resúrgeret:
Illinc homo verus patet;
Hinc ſe probat vere Deum.

ILLOS, Magiſter, qui doces,
Tu, Chriſte, tu nos érudi:
Si quid latet, tu détege;
Amáre da quod jam patet.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra; ℟. Et annuntiábunt cœli juſtítiam ejus pópulo qui naſcétur. *Pſ.* 21. 32.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. c. *Pópulos* vocábunt ad montem; ibi immolábunt víctimas juſtítiæ, qui inundatiónem maris quaſi lac ſugent, & theſaúros abſcónditos arenárum, allelúia. *Deut.* 33. 19.

Oratio, ut in Proprio Sanctorum.

COMPLETORIUM *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Apoſtolórum Magiſtrum & Dóminum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Joan.* 13. 13.

Repetitur Invit. Apoſtolórum. *Et ſic in omnibus Communibus & omnibus Feſtis.*

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

Si Feſtum ſit Annuale, Solemne majus, aut Solemne minus, poſt ſingulos verſus Pſalmi Veníte, *repetitur ex integro Invitatorium. Si Feſtum ſit Duplex majus, aut Duplex minus, poſt primum verſum Pſalmi* Veníte, *repetitur Invitatorium ex integro; poſt ſecundum verſum, fit tantùm Reclamatio,* * Veníte, adorémus: *& ſic alternatim, ità ut factâ eâdem Reclamatione poſt* ℣. Sicut erat, *reſumatur integrum Invitatorium. Si tandem Feſtum ſit, aut Semiduplex, aut Simplex, poſt ſingulos verſus Pſalmi* Veníte, *fit tantummodo Reclamatio,* * Veníte, adorémus. *Quâ* factâ poſt ℣. Sicut erat, repetitur Invitatorium integrum.

Hæc dicta ſint pro ſingulis Communibus.

Hymnus.

Prædicta Chriſti mors adeſt;
At vos, timóri párcite:
Nil inde, nil caros pius
Remíttet in fratres amor.

Durate fortes; írritos
Mundi tumúltus ſpérnite:
Deo volénte, túrbini
Seréna ſuccédet dies.

Cœli perénne gaúdium
Solábitur luctus breves;
Brevem triúmphum séculi
Ætérnus óbruet dolor.

Qui carne frater, in ſuo
Mortem perémit córpore,
Divinitátis vos ſuæ
Dignábitur consórtio.

Da, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ant. 8. G. Prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte, & ſermónem confirmánte, ſequéntibus ſignis, allelúia. *Marc.* 16. 20.

Ant. 2. *D.* Per manus Apoſtolórum fiébant ſigna & prodígia multa in plebe, allelúia. *Act.* 5. 12.

Ant. 4. E. Erat manus Dómini cum eis, multúſque númerus credéntium convérſus eſt ad Dóminum, allelúia. *Act.* 11. 21.

℣. *Dóminus dabit* verbum evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Pſ.* 67. 12.

Benedictiones habentur poſt Pſalterium, p. 122.

Si Feſtum ſit Duplex minus aut ſuprà, I. Lectio de Scriptura occurrente, duabus prioribus in unam junctis: II. & III. ut in Proprio Sanctorum. Si verò Feſtum ſit Semiduplex aut Simplex, duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente, III. de Feſto ut in Proprio Sanctorum.

℟. j. Crevérunt, & quaſi germinántes multiplicáti ſunt, * Ac roboráti nimis implevérunt terram, allelúia. *Exod.* 1. 7. ℣. Augebátur credéntium in Dómino multitúdo virórum ac mulíerum. *Act.* 5. 14. * Ac roboráti.

Si Feſtum ſit Annuale aut Solemne majus, factâ Reclamatione, dicitur Glória Patri. *Deinde repetitur Reclamatio. Et ſic in omnibus Reſponſoriis & omnibus Communibus.*

℟. ij. Aperíte portas, & * Ingrediátur gens juſta cuſtódiens veritátem: vetus error ábiit, allelúia. *Iſ.* 26. 2. 3. ℣. Audiérunt Apóſtoli & fratres qui erant in Judǽa, quóniam & Gentes recepérunt verbum Dei. *Act.* 11. 1. * Ingrediátur.

℟. iij. Hæréditas ſancta nepótes eórum, & in teſtaméntis ſtetit ſemen eórum; * Et fílii eórum propter illos uſque in ætérnu

manent, allelúia. *Eccli.* 44. 12. 13. ℣. Lapidáti ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládii mórtui ſunt. *Hebr.* 11. 37. * Et filii. Glória. * Et filii.

Si Feſtum ſit Annuale, Solemne majus, aut Solemne minus, poſt ℣. Glória, *reſumitur Reſponſorium. Et ſic in aliis Communibus.*

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus; ℟. Nimis confortátus eſt principátus eórum. *Pſ.* 138. 17.

Ant. 6. F. Vos Sacerdótes Dómini vocabímini; Miníſtri Dei noſtri, dicétur vobis, allelúia. *Iſ.* 61. 6.

Ant. 8. c. Sedébitis & vos ſuper ſedes duódecim, judicántes duódecim tribus Iſraël, allelúia. *Matth.* 19. 28.

Ant. 8. G. Gaudébit cor veſtrum; & gaúdium veſtrum nemo tollet à vobis, allelúia. *Joan.* 16. 22.

Ant. 1. *g.* Vobis.

CANTICUM. *Iſaiæ. c.* 52. *v.* 7. *ad* 10.

Laudantur prædicatores Evangelicæ pacis.

QUàm pulchri ſuper montes pedes annuntiántis & prædicántis pacem, * annuntiántis bonum!

Prædicántis ſalútem, * dicéntis Sion: Regnábit Deus tuus!

Vox ſpeculatórum tuórum levavérunt vocem, * ſimul laudábunt:

Quia óculo ad óculum vidébunt; * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte & laudáte ſimul, desérta Jerúſalem; * quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum, redémit Jerúſalem.

Parávit Dóminus bráchium ſanctum ſuum, * in óculis ómnium géntium:

Et vidébunt omnes fines terræ * Salutáre Dei noſtri.

Ant. Vobis datum eſt noſſe myſtérium regni Dei, cæteris autem, in parábolis, allelúia. *Luc.* 8. 10.

Ant. 3. *a.* Rogáte dóminum meſſis, ut mittat operários in meſſem ſuam, allelúia. *Matt.* 9. 38.

Si Officium ſit ſimplex, ſumitur ſola Antiphona quarta. Et ſic in aliis Communibus.

CAPITULUM. *Eph.* 4. 11. 12.

CHriſtus dedit quoſdam quidē Apóſtolos, quoſdam autem Prophétas, álios verò Evangeliſtas, álios autem Paſtóres & Doctóres, ad conſummatiónem ſanctórum, in opus miniſtérii, in ædificatiónem córporis Chriſti.

HYMNUS.

REGNIS patérnis débitus,
Cruóre quæ pandit ſuo,
Vos propter, hoſpes éxteras
Adhuc colit terras Deus.
IGNOTA tardis méntibus

Patére dat myſtéria ;
Per mille præſágas ſuî
Se détegens imágines.
En immolándus à Patre,
Suum ferens lignum Puer :
En Agnus ille, sánguine
Qui tincta ſervat límina.
Amoris ô quæ pígnora !
Vobis oves credit ſuas :
Ligáre dat, dat sólvere,
Quæ ſolvit & ligat Deus.
Da, Chriſte, nos tecum mori :
Tecum ſimul da súrgere :
Terréna da contémnere :
Amáre da cœléſtia.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat :
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Príncipes populórum congregáti ſunt, ℟. Cum Deo Abraham. *Pſ.* 46. 10.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Dedíſti eis, Dómine, regna & pópulos, & partítus es eis ſortes, & poſſedérunt terram, allelúia. 2. *Eſdr.* 9. 22.

Oratio ut in Proprio Sanctorum.

Ad Horas, *Doxologia.*

Da, Chriſte, nos tecum mori :
Tecum ſimul da súrgere :
Terréna da contémnere :
Amáre da cœléſtia.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat :
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Et ſic in aliis Communibus.

AD PRIMAM.

Hymnus. Jam lucis orto sídere, *p.* 11. *Et ſic in aliis Communibus.*

Ant. 6. F. Vos Sacerdótes Dómini vocabímini ; Miníſtri Dei noſtri, dicétur vobis, allelúia. *Iſ.* 61. 6.

Capitulum. 1. *Cor.* 12. 27. 28.

Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro : & quoſdam quidem póſuit Deus in Eccléſiá, primùm Apóſtolos, ſecúndò Prophétas, tértiò Doctóres.

℟. *breve.* Chriſte, Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. ℟. Chriſte, Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. ℣. Qui ſurrexíſti à mórtuis. *Hic verſus quandoque mutatur ; at mutatio notatur in propriis locis.* * Miſerére nobis. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto. *Reſumitur* ℟. Chriſte, Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. *Matt.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. *Rom.* 6. 4.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos ; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſ.* 43. 26.

Canon *habetur ad calcem Breviarii.*

Cœtera omnia ut in Proprio de Tempore. Et ſic in aliis Communibus.

AD TERTIAM.

Hymnus. O fons amóris Spíritus, *p.* 16. *Et ſic in aliis Communibus.*

Ant. 8. c. Sedébitis & vos ſuper ſedes duódecim, judicántes duódecim tribus Iſraël, allelúia. *Matt.* 19. 28.

CAPITULUM. *Sap.* 3. 8.

JUdicábunt natiónes, & dominabúntur pópulis, & regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

℟. *breve.* Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus, * Allelúia, allelúia. ℟. Annuntiavérunt. ℣. Et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus. * Allelúia. Glória. ℟. Annuntiavérunt. *Pſ.* 96. 6.

℣. Non ſunt loquélæ neque ſermónes, ℟. Quorum non audiántur voces eórum. *Pſ.* 18. 4.

Oratio quæ dicta fuit in Laudibus. Et ſic in aliis Communibus.

AD SEXTAM.

Hymnus. Jam ſolis aúreum jubar, *p.* 18. *Et ſic in aliis Communibus.*

Ant. 8. *g.* Gaudébit cor veſtrum; & gaúdium veſtrum nemo tollet à vobis, allelúia. *Joan.* 16. 22.

CAPITULUM. *Act.* 5. 41.

IBant gaudéntes à conſpéctu concílii; quóniam digni hábiti ſunt pro nómine Jeſu contuméliam pati.

℟. *breve.* Quis loquétur poténtias Dómini? * Allelúia, allelúia. ℟. Quis. ℣. Audítas fáciet omnes laudes ejus? * Allelúia. Glória. ℟. Quis loquétur. *Pſ.* 105. 2.

℣. Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? ℟. Potens es, Dómine; & véritas tua, in circúitu tuo. *Pſ.* 88. 9.

Oratio quæ dicta fuit in Laudibus. Et ſic in aliis Communibus.

AD NONAM.

Hymnus. Prono volútus ímpetu, *p.* 20. *Et ſic in aliis Communibus.*

Ant. 3. a. Rogáte dóminum meſſis, ut mittat operários in meſſem ſuam, allelúia. *Matt.* 9. 38.

CAPITULUM. *Iſ.* 65. 23. 24.

SEmen benedictórũ Dómini eſt, & nepótes eórum cum eis. Erítque: Antequàm clament, ego exaúdiam: illis adhuc loquéntibus, ego aúdiam, dicit Dóminus.

℟. *breve.* Dicent inter Gentes: Magnificávit Dóminus fácere cum eis, * Allelúia, allelúia. ℟. Dicent. ℣. Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum, * Allelúia. Glória. ℟. Dicent. *Pſ.* 125. 2. 3.

℣. Veníte, & vidéte ópera Dómini, ℟. Quæ póſuit prodígia ſuper terram. *Pſ.* 45. 9.

Oratio quæ dicta fuit in Laudibus. Et ſic in aliis Communibus.

AD VESPERAS.

Ant. 1. D. Stultam fecit Deus ſapiéntiam hujus mundi, allelúia. 1. Cor. 1. 20

Ant. 2. D. Plácuit Deo per ſtultítiam prædicatiónis ſalvos fácere credéntes, allelúia. 1. *Cor.* 1. 21.

Ant. 4. f. Quod ſtultum eſt Dei, ſapiéntius eſt homínibus: & quod infírmum eſt Dei, fórtius eſt homínibus, allelúia. 1. *Cor.* 1. 25.

Ant. 3. a. Quæ ſtulta ſunt mundi, elégit Deus, ut confúndat ſapiéntes: & infirma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia, allelúia. 1. *Cor.* 1. 27.

Ant. 5. C. Teſtaméntum ætérnum conſtítuit cum illis Deus: & juſtítiam, & judícia ſua oſténdit illis, allelúia. *Eccli.* 17. 10.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 2. 7. 8.

LOquimur Dei ſapiéntiam in myſtério, quæ abſcóndita eſt, quam prædeſtinávit Deus ante ſécula in glóriam noſtrã, quam nemo príncipum hujus ſéculi cognóvit.

HYMNUS.

NATUS Parénti rédditus
Non vos amícos déſeret:
Sub imbre lapſum flámmeo
Infúndet in vos Spíritum.

HAUSTO repléti Númine,
Terras in omnes líberi,
Chriſtum, tubis cœléſtibus,
Chriſtum Deum vulgábitis.

NON jam tenébit ámplius
Formído mortis ábditos:
Apérta non eúntibus
Addent moras perícula.

VOS ante reges fórtiter
Cernétis armátas neces:
Hæc, nempè pro Chriſto mori,
Supréma vobis glória.

ORATE, firma ſit fides,
Et certa ſe ſpes érigat;
Illápſa noſtris córdibus
Pellat timórem cáritas.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da ſúrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus,
Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei: ℟. Et facta ejus intellexérunt. *Pſ.* 63. 10.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Glóriam adépti ſunt, & in diébus ſuis habéntur in laúdibus: qui de illis nati ſunt, reliquérunt nomen narrándi laúdes eórum, allelúia. *Eccli.* 44. 7. 8.

Oratio ut in Proprio Sanctorum.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Murus Civitátis habens fundaménta duódecim, & in ipſis, duódecim nómina duódecim Apoſtolórum Agni, allelúia. *Apoc.* 21. 14.

Hymnus habetur in Proprio de Tempore.

Capitulum. *Eph.* 2. 19. 20.

FRatres, jam non eſtis hóſpites & ádvenæ, ſed eſtis cives Sanctórum & doméſtici Dei, ſuperædificáti ſuper fundaméntum Apoſtolórum & Prophetárum, ipſo ſummo anguIári lápide Chriſto Jeſu.

℟. *breve.* In manus tuas, Dómine, * Comméndo ſpíritum meum. ℟. In manus tuas, Dómine, * Comméndo ſpíritum meum. ℣. Redemíſti me, Dómine, Deus veritátis. * Comméndo ſpíritum meum. Glória. ℟. In manus tuas, Dómine, * Comméndo ſpíritum meum. *Pſ.* 30. 6.

℣. Cuſtódi me, Dómine, ut pupíllam óculi; ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Pſ.* 16. 8.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 1. a. Fundaméntum áliud nemo poteſt pónere, præter id quod póſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus, allelúia. 1. *Cor.* 3. 11.

Oratio & cœtera omnia ut in Proprio de Tempore. Et ſic in aliis Communibus.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 1. *toni. g.*

JUſtus, quaſi leo confídens, abſque terróre erit, allelúia. *Prov.* 28. 1.

Ant. 2. *D.* In tentatióne, ámbulat cum eo ſapiéntia, & in primis éligit eum, allelúia. *Eccli.* 4. 18.

Ant. 3. à. In tentatióne, Deus illum conſervábit, & liberábit à malis, allelúia. *Eccli.* 33. 1.

Ant. 4. a. Firmábit illum, & iter addúcet diréctum ad illum, & lætificábit illum, allel. *Eccli.* 4. 20.

Ant. 8. G. Uſque in tempus ſuſtinébit pátiens; & póſteà rédditio jucunditátis, allelúia. *Eccli.* 1. 29.

Capitulum. *Eccli.* 2. 5. 6.

IN igne probátur aurum & argéntum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, & recuperábit te: & dírige viam tuam, & ſpera in illum.

In Duplicibus majoribus & ſuprà.

℟. Benedíctus vir qui confídit in Dómino, * Et erit Dóminus fidúcia ejus, allelúia. *Jer.* 17. 7. ℣. Qui credit in Fílium Dei, habet teſtimónium Dei in ſe. 1. *Joan.* 5. 10. * Et erit. Glória. * Et erit.

Hymnus.

EX quo, ſalus mortáliũ,
Fluxit ſacer Dei cruor,
Homo redémptus æmulum
Deo litávit sánguinem.

Non jam crucis Chriſti pudet;
Quin ſurgit ingens glória,
Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.

Hoc iſte plenus ſpíritu

Ridet minas, ridet neces,
Tuâque fretus déxterâ,
Tibi, Redémptor, mílitat.
Parata ſpectans præmia,
Secúrus ad pœnas volat;
Sic pugnat, ut ſperet mori,
Et morte mortem víncere.
Unus tot armátas manus
Stupénte laſſat júdice;
Et tortus ipſis, qui cadit,
Torquéntibus fit fórtior.
Da, Chriſte, tanti mílitis
Æquáre facta fórtia;
Da ſuſtinére pro tuo,
Quodcúmque durum, nómine.
Da, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Juſtus, cùm cecíderit, non collidétur; ℟. Quia Dóminus ſuppónit manum ſuam. *Pſ.* 36. 24.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. *a.* Bonus Dóminus, & confórtans in die tribulatiónis, & ſciens ſperántes in ſe, allelúia. *Nah.* 1. 7.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

Si eodem die occurrat Commemoratio alterius Martyris, fiet per Antiphonam ad Benedictus, infrà, & ℣. ex Laudibus, cum Oratione in Proprio Sanctorum deſignata. Quod ſervatur in omni alio Communi.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Deum qui fidéli uſque ad mortem dat corónam vitæ, * Veníte, adorémus, allelúia. *Apoc.* 2. 10.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

Hymnus.

Felix morte tuâ, qui cruciátibus
Cœlo diffícilem rúmpere amas viam,
Et ſignáre cruóre,
Quam Chriſto déderas fidem.
Pœnis victa quibus deficeret fides?
Tu pœnas ávidâ mente præóccupas:
Cui non ſúfficit una,
Ambis innúmeras neces.
Te pro lege ſua magnánimum mori,
Te Chriſtus púgilem ſpectat ab æthere;
Ne ſuccúmbere poſſis,
Tecum prælia ſúſtinet.
Et nos delícias, vana per ótia,
Gens infida Deo, quǽrimus ánxii:
Quid torpémus? inértes
Sanguis Mártyris excitat.
Patri máxima laus; máxima Fílio;
Ambórumque ſacro máxima Flámini,
Cujus róbore freti,
Vincunt fúnera Mártyres.
Amen.

Ant. 8. c. Honeſtávit illum Deus in labóribus, & complévit labóres illíus, allelúia. *Sap.* 10. 10.

Ant. 1. *g.* Mendáces oſténdit Deus qui maculavérunt illum, & dedit illi claritátem ætérnam, allelúia. *Sap.* 10. 14.

Ant. 6. F. Abſque terróre requiéſcet, & abundántiâ perfruétur, timóre malórum ſubláto, allelúia. *Prov.* 1. 33.

℣. Dicet Dómino : Suſcéptor meus es tu, ℟. Et refúgium meum. *Pſ.* 90. 2.

Si Feſtum ſit Duplex minus aut ſuprà, I. Lectio de Scriptura occurrente, duabus prioribus in unam junctis; II. & III. ut in Proprio Sanctorum. Si verò Feſtum ſit Semiduplex aut Simplex, duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente, III. de Feſto ut in Proprio Sanctorum.

℟. *j.* Eruens liberábo te, & gládio non cades : ſed erit tibi ánima tua in ſalútem ; * Quia in me habuíſti fidúciam, ait Dóminus, allelúia. *Jer.* 39. 18. ℣. Quóniam ſerváſti verbum patiéntiæ meæ, & ego ſervábo te ab hora tentatiónis. *Apoc.* 3. 10. * Quia.

℟. *ij.* Nunc réquiem dedit Dóminus Deus meus mihi per circúitum ; * Et non eſt Satan, neque occúrſus malus, allelúia. 3. *Reg.* 5. 4. ℣. Oppréſſum à nefandórum injúria, ac luxurióſa converſatióne erípuit. 2. *Petr.* 2. 7. * Et non.

℟. *iij.* Probávit me Deus quaſi aurum quod per ignem tranſit ; * Veſtígia ejus ſecútus eſt pes meus ; viam ejus cuſtodívi, & non declinávi ex ea, allelúia. *Job.* 23. 10. 11. ℣. Repóſita eſt mihi coróna juſtítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, juſtus judex. 2. *Tim.* 4. 8. * Veſtígia. Glória. * Veſtígia.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Ego cantábo fortitúdinem tuam, Dómine ; ℟. Et exultábo manè miſericórdiam tuam. *Pſ.* 58. 17.

Ant. 4. A. Dóminus tecum, virórum fortíſſime, allelúia. *Judic.* 6. 12.

Ant. 5. a. Non eſt Deus álius ut Deus rectíſſimi ; Aſcénſor cœli auxiliátor tuus, allelúia. *Deut.* 33. 26.

Ant. 7. d. Dóminus ipſe erit tecum ; non dimittet, nec derelínquet te, allelúia. *Deut.* 31. 8.

Ant. 1. D. Deus.

CANTICUM. *Eccli. c.* 51. *v.* 1. *ad* 5.

Martyr Deum laudat, & gratias agit pro victoria reportata.

Confitébor tibi, Dómine Rex, * & collaudábo te Deum ſalvatórem meum.

Cónfitébor nómini tuo,* quóniam adjútor & protéctor factus es mihi:

Et liberáſti corpus meum à perditióne, à láqueo linguæ iníquæ, & à lábiis operántium mendácium: * & in conſpéctu aſtántium factus es mihi adjútor:

Et liberáſti me ſecúndùm multitúdinem miſericórdiæ nóminis tui,* à rugiéntibus præparátis ad eſcam,

De mánibus quæréntium ánimam meam, * & de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me.

Ant. Deus tuus quem colis ſemper, ipſe liberábit te, allelúia. *Dan.* 6. 16.

Ant. 2. *D.* Ejíciet à fácie tua inimícum, dicétque: Contérere, allelúia. *Deut.* 33. 27.

CAPITULUM. *Rom.* 5. 3. 4. 5.

GLoriámur in tribulatiónibus, ſciéntes quòd tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio verò ſpem, ſpes autem non confúndit.

HYMNUS.

ECQUIS magnánimus
ſe pugil éxhibet?
Fit verbum gládius, fit clýpeus fides;
Athletámque Dei præparat árdua
Ad certámina véritas.

INUNC, ſancte pugil, *quò pia prælia,*
Quò te magna vocant prǽmia mílitem:
Præſens Chriſtus adeſt: hoc duce, non cades,
Ni victâ morte fórtior.

FRUSTRA barbáries explícuit cruces;
Nil torménta movent, ore ſerénior,
Et fidens ánimi, promptus ad ómnia,
Pœnas inter ovat ſuas.

REGES ante feros impávidus volat,
Teſtatúrque fidem; nil métuit mori;
Os, viréſque, ſui pollíciti memor,
Præſens ſuppéditat Deus.

ÆTERNUM cita mors vívere Mártyri
Quod ſpondet, próperas,
Martyr ovans mori;
Palmam dum móriens conſéqueris tibi,
Firmas, nóſque mori doces.

PATRI máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
Qui dat Martýribus mille neces pati,
Et per fúnera víncere.
Amen.

℣. Dóminus exaudívit eum, ℟. Et de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum. *Pſ.* 33. 7.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. d. Hoc pro certo habet omnis qui te colit, Dómine, quòd vita ejus, ſi in probatióne fúerit, coronábitur, allelúia. Tob. 3. 21.

Oratio.

ADéſto, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris; ut qui beáti Mártyris tui *N.* natalítiis gloriámur, nec minis injúſtè perſequéntium, nec ullis perturbémur advérſis; Per Dóminum.

Alia Oratio.

DA nobis, quæſumus, Dómine, intercedénte beáto *N.* Mártyre tuo, in tua fide & ſinceritáte conſtántiam; ut in caritáte divína firmáti, nullis tentatiónibus ab ejus integritáte divellámur; Per Dóminum.

Si ſit Pontifex,
Oratio.

FAc nos, Dómine Deus, imitári ſacerdotálem conſtántiam beáti *N.* Mártyris tui atque Pontíficis; ut fidem ſervántes quam dócuit, ejúſdem corónæ consórtes efficiámur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui beáto *N.* dignam Mártyre atque Pontífice fidem & fortitúdinem tribuíſti; fac nos, ejus méritis, vitæ frágilis amórem abjícere, & ad te, qui ſolus vera vita es, feíiciter pervenire; Per Dóminũ.

Si facienda ſit Commemoratio alterius Martyris, fiet per Ant. ad Magníficat *&* ℣. *ex ſecundis Veſperis: Quod ſervatur in omni alio Communi.*

AD PRIMAM.

Ant. 4. A. Dóminus tecum, virórum fortiſſime, allelúia. *Judic.* 6. 12.

CAPITULUM. *Apoc.* 6 2.

DAta eſt ei coróna; & exívit vincens, ut vínceret.

℟. *breve.* Chriſte, Fili, *p.* v.

Cætera ut in Proprio de Tempore.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Non eſt Deus álius ut Deus rectiſſimi; Aſcénſor cœli auxiliátor tuus, allelúia. *Deut.* 33. 26.

CAPITULUM. *Apoc.* 3. 12.

QUi vícerit, fáciam illũ colúmnam in templo Dei mei, & foràs non egrediétur ámpliùs, & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei.

℟. *breve.* Super ſalutáre tuum, Dómine, exultábit veheménter, * Allelúia, allelúia. ℟. Super. ℣. Deſidérium cordis ejus tribuíſti ei. * Allelúia. Glória. ℟. Super. *Pſ.* 20. 2. 3.

℣. Poſuíſti in cápite ejus corónam, ℟. De lápide pretióſo. *Pſ.* 20. 4.

AD SEXTAM.

Ant. 7. d. Dóminus ipſe erit tecum; non dimittet, nec derelínquet te, allelúia. *Deut.* 31. 8.

CAPITULUM. *Sap.* 10. 16.

SApiéntia intrávit in ánimam ſervi Dei, & ſtetit contra reges horréndos, in porténtis & ſignis.

℟. breve. Adjutor meus, tibi pſallam, * Allelúia,

allelúia. ℟. Adjútor. ℣. Quia, Deus, ſuſcéptor meus es. * Allelúia. Glória. ℟. Adjútor. *Pſ.* 58. 18.

℣. Tu, Dómine, adjuvíſti me, ℟. Et conſolátus es me. *Pſ.* 85. 17.

AD NONAM.

Ant. 2. *D.* Ejíciet à fácie tua inimícũ, dicétque: Contérere, allelúia. *Deut.* 33. 27.

CAPITULUM. *Jer.* 20. 13.

Cantáte Dómino, laudáte Dóminum; quia liberávit ánimam paúperis de manu malórum.

℟. *breve.* Magna eſt glória ejus, * Allelúia, allelúia. ℟. Magna. ℣. In ſalutári tuo, Dómine. * Allelúia. Glória. ℟. Magna. *Pſ.* 20. 6.

℣. Glóriam & magnum decórem, ℟. Impónes ſuper eum. *Pſ.* 20. 6.

AD VESPERAS.

Ant. 8. g. Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quóniam Jeſus eſt Fílius Dei? allel. 1. *Joan.* 5. 5.

Ant. 1. a. Hæc eſt grátia, ſi propter Dei conſciéntiam, ſúſtinet quis triſtítias, pátiens injúſtè, allelúia. 1. *Petr.* 2. 19.

Ant. 3. c. Qui certat in agóne, non coronátur, niſi legítimè certáverit, allelúia. 2. *Tim.* 2. 5.

Ant. 2. *D.* Qui vícerit, non lædétur à morte ſecúnda, allelúia. *Apoc.* 2. 11.

Ant. 6. F. Qui vícerit ſic, veſtiétur veſtiméntis albis, allelúia. *Apoc.* 3. 5.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 9. 25.

Omnis qui in agóne conténdit, ab ómnibus ſe ábſtinet; & illi quidem, ut corruptíbilem corónam accípiant, nos autem incorrúptam.

HYMNUS.

Jam non te lácerant carníficum manus,
Inter qui récubas Cœlítuum choros:
Nunc pro cárcere cœco,
Fulgéntes hábitas domos.

Non jam vincla manus, non cóhibent pedes;
Tu liber Súperûm regna perámbulas:
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.

Nec te dira fames, nec ſitis ámplius,
Nec probróſa premit te modò núditas:
Nunc te lúmine puro
Paſcit Chriſtus & índuit.

Sic tu Martýribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória víndicet:
Confundíſque tyránnum,
Dum quos déprimit, élevas.

Patri máxima laus; máxima Fílio;
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
Cujus róbore freti,
Vincunt fúnera Mártyres. Amen.

℣. Si conſiſtant adver-

ſum me caſtra, ℟. Non timébit cor meum. *Pſ.* 26. 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. c. Qui amat ánimam ſuam, perdet eam; & qui odit ánimam ſuam in hoc mundo, in vitam ætérnam cuſtódit eam, allelúia. *Joan.* 12. 25.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 4. a. Qui ſuſtinúerit in finem, hic ſalvus erit, allelúia. *Marc.* 13. 13.

Hymnus conveniens.

CAPITULUM. *Jac.* 1. 2. 3. 4.

OMne gaúdium exiſtimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis, ſciéntes quòd probátio fidei veſtræ patiéntiam operátur, patiéntia autem opus perféctum habet.

℟. *breve.* In manus, *p.* viij.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Beátus vir qui ſuffert tentatiónem; quóniam, cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, allel. *Jac.* 1. 12.

Oratio & cætera omnia ut in Proprio de Tempore.

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 2. *toni D.*

JUſtítia rectórum liberábit eos: & in insídiis ſuis capiéntur iníqui, allelúia. *Prov.* 11. 6.

Ant. 3. *a.* Eligéntur, & dealbabúntur, & quaſi ignis probabúntur multi, allelúia. *Dan.* 12. 10.

Ant. 4. f. Ruent in gládio, & in flamma, & in captivitáte, allelúia. *Dan.* 11. 33.

Ant. 5. c. In paucis vexáti, in multis benè diſponéntur, allelúia. *Sap.* 3. 5.

Ant. 1. a. Ruent, ut confléntur, & eligántur, & dealbéntur, uſque ad tempus præfinítum, allelúia. *Dan.* 11. 35.

CAPITULUM. *Iſ.* 51. 7. 8.

NOlíte timére oppróbrium hóminum, & blaſphémias eórum ne metuátis; ſicut enim veſtiméntum, ſic cómedet eos vermis; & ſicut lanam, ſic devorábit eos tínea: ſalus autem mea in ſempitérnum erit.

In Duplicibus majoribus & ſuprà.

℟. Omnes qui placuérunt Deo, * Per multas tribulatiónes tranſiérunt fidéles, allelúia. *Judith.* 8. 23. ℣. Datum eſt béſtiæ bellum fácere cum ſanctis. *Apoc.* 13. 7. * Per. Glória. * Per.

HYMNUS.

FORTES cadéndo Mártyres,
Quos empta fuſo ſánguine
Cœléſtis ornat púrpura,
Junctis canámus vócibus.

IMPLERE vos omnes decet
Paſſo Deo quod défuit;
Per tot neces læſo Patri
ſit plena Chriſtus hóſtia.

Quem lictor insánus ſitit,
Quem cœcus effúndit furor,
Amor ſacérdos pródigum
Chriſto cruórem cónſecrat.
Et ille, mixtus sánguini
Quem fudit in ligno Deus,
Fundéntibus placábilem
Oráre non ceſſat Deum.
Sic, Chriſte, robur Mártyrum,
Certáre das & víncere;
Tuóſque múnerans, tua
Æquus corónas múnera.
Da, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Viríliter ágite, & confortétur cor veſtrum, ℟. Omnes qui ſperátis in Dómino. *Pſ.* 30. 25.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. J. Agnóſcent qui derelícti ſunt, quóniam nihil mélius eſt, quàm timor Dei, & nihil dúlcius, quàm reſpícere in mandátis Dómini, allelúia. *Eccli.* 23. 37.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Dóminum legítimè certántes coronántem, * Veníte, adorémus, allelúia. 2. *Tim.* 2. 5.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

Hymnus.

Christi Martýribus débita nos decet,
Virtútis mémores, prómere cántica,
Quos nec blandítiis, nec pótuit minis
Fallax víncere ſéculum.
Cœlestis pátriæ mens ínhians bonis,
Mundi ſpernit opes flúxaque gaúdia:
Vitæ quin étiam, præ Dómini lucro,
Jactúram fácilem putant.
Non vultus métuunt carníficum truces:
Fetas ſupplíciis deſpíciunt manus:
Enſes, flagra, rotas, ómnia pérpeti
Victrix edócuit fides.
O incredibilem vim patiéntiæ!
Non, artus láceros qui crúciat dolor,
Extórquet gémitum, non querimóniam
Agnis mítibus élicit.
Ergo nunc própior, Chriſte, tibi ſedet
Palmis turba nitens uſque viréntibus,
Victorúmque gerens prǽmia, nóbiles
Multo sánguine laúreas.
Sit laus ſumma Patri, súmmaque Fílio:
Sit par, ſancte, tibi glória, Spíritus,
Cujus præſídio prǽlia súſtinent
Contémptâ nece Mártyres. Amen.

Ant. 4. A. Módico nunc dolóre ſuſtentáto, ſub teſtaménto ætérnæ vitæ effécti ſunt, allelúia. 2. *Mach.* 7. 36.

Ant. 7. d. Agnus qui in médio throni eſt, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum, allelúia. *Apoc.* 7. 17.

Ant. 1. *D.* Accípient regnum decóris, & diadéma ſpeciéi de manu Dómini, allelúia. *Sap.* 5. 17.

℣. Salvábit eos Dóminus; ℟. Quia ſperavérunt in eo. *Pſ.* 36. 40.

Si Feſtum ſit Duplex minus aut ſuprà, I. Lectio de Scriptura occurrente, in unam junctis duabus prioribus; II. & III. ut in Proprio Sanctorum. Si verò Feſtum ſit Semiduplex aut Simplex, duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente, III. de Feſto ut in Proprio Sanctorum.

℟. *j.* Venit Antíquus diérum, & judícium dedit Sanctis Excélſi; * Et tempus advénit, & regnum obtinuérunt Sancti, allelúia. *Dan.* 7 22. ℣. Non dilexérunt ánimas ſuas uſque ad mortem. *Apoc.* 12. 11. * Et.

℟. *ij.* Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori; & * Æſtimáta eſt afflíctio, éxitus illórum; & quod à nobis eſt iter, extermínium; illi autem ſunt in pace, allelúia. *Sap.* 3. 2. 3. ℣. Beáti qui perſecutiónem patiúntur propter juſtítiam, quóniam ipsórum eſt regnum cœlórum. *Matth.* 5. 10. * Æſtimáta.

℟. *iij.* Vitam illórum æſtimabámus insániam, & finem illórum ſinè honóre: * Ecce quómodo computáti ſunt inter fílios Dei, & inter Sanctos ſors illórum eſt! allelúia. *Sap.* 5. 4. 5. ℣. Nolíte amíttere confidéntiam veſtram, quæ magnam habet remuneratiónem. *Hebr.* 10. 35. * Ecce. Glória. * Ecce.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Non derelínquet Dóminus ſanctos ſuos; ℟. In ætérnum conſervabúntur. *Pſ.* 36. 28.

Ant. 3. E. Qui própriâ voluntáte obtuliſtis vos diſcrímini, benedícite Dómino, allelúia. *Judic.* 5. 9.

Ant. 4. a. Vobis donátum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credátis, ſed ut étiam pro illo patiámini, allelúia. *Philipp.* 1. 29.

Ant. 2. D. Rapínam bonórum veſtrórum cum gáudio ſuſcepíſtis, cognoſcéntes vos habére meliórem & manéntem ſubſtántiam, allelúia. *Hebr.* 10. 34.

Ant. 1. f. Credéntes.

CANTICUM. *Sap. c.* 3. *v.* 1. *ad* 8.

Gloria Martyrum celebratur.

Juſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, * & non tanget illos torméntum mortis.

Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori; * & æſtimáta eſt afflíctio, éxitus illórum;

Et quod à nobis eſt iter, extermínium; * illi autem ſunt in pace.

Et ſi coram homínibus torménta paſſi ſunt, * ſpes illórum immortalitáte plena eſt.

In paucis vexáti, in multis benè diſponéntur: * quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos ſe.

Tanquam aurum in fornáce probávit illos, & quaſi holocaúſti hóſtiam accépit illos; * & in témpore erit reſpéctus illórum.

Fulgébunt Juſti, * & tanquam ſcintíllæ in arundinéto diſcúrrent.

Judicábunt natiónes, & dominabúntur pópulis; * & regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Ant. Credéntes exultábitis lætítiâ inenarrábili & glorificátâ, reportántes finem fídei veſtræ, ſalútem animárum, allelúia. 1. *Petr.* 1. 8. 9.

Ant. 6. F. Cùm Chriſtus apparúerit, vita veſtra, tunc & vos apparébitis cum ipſo in glória, allelúia. *Coloſſ.* 3. 4.

CAPITULUM. *Apoc.* 6. 11.

DAtæ ſunt illis ſíngulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt illis, ut requiéſcerent adhuc *tempus módicum, donec compleántur* consérvi eórum, & fratres eórum, qui interficiéndi ſunt, ſicut & illi.

HYMNUS.

QUAM, Chriſte, ſignáſti viam
Primus, profúſo ſánguine,
Per hanc tui te fórtiter
Ducem ſequúntur mílites.

FOSSUS manus, foſſus pedes,
Ovans ad aſtra tránſvolas,
Et membra trunci Mártyres,
Addunt triúmpho ſe tuo.

OMNES in oſtro ſpléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt:
Accépta monſtrant vúlnera,
Et per tot ora ſúpplicant.

AUDIRE ſi nos réſpuis,
Quos críminum moles gravat,
Audi tuos, qui ſánguinem
Fudére pro te, Mártyres.

FAC, ſi tyránnus déficit,
Ne blandiéndo mólliùs
Frangat volúptas péctora,
Ipſis tyránnis ſævior.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Ad te, Dómine, clamavérunt; ℟. Et ſalvi facti ſunt. Pſ. 21. 6.

Ad Benedictus, Ant. 8. G. Dediſti eos, Dómine, in

[illegible] M. Sap. 10.

R [illegible] Deus iuſtis mercedem laborum ſuorum, & [illegible] illos in via [illegible] & [illegible] illis in [illegible] diei, & in luce [illegible] per noctem.

R. [illegible] Probaſti nos, [illegible] nos examina[illegible] alleluia. R. [illegible] Sicut examinatur argentum. [illegible] R. Probaſti. [illegible]

[illegible] nos [illegible] nos. R. Et odien[illegible]

[illegible]

[illegible] aſcendit ad [illegible]

R. [illegible]

[illegible] TIAN. [illegible]

& vos apparébitis cum ipſo in glória, allelúia. *Coloſſ.* 3. 4.

CAPITULUM. *Apoc.* 21. 4.

ABſtérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiérunt.

℟. *breve.* Eúntes ibant & flebant, * Allelúia, allelúia. ℟. Eúntes. ℣. Mitténtes sémina ſua. * Allelúia. Glória. ℟. Eúntes. *Pſ.* 125. 6.

℣. Veniéntes autem, vénient cum exultatióne, ℟. Portántes manípulos ſuos. *Pſ.* 125. 6.

AD VESPERAS.

Ant. 7. *d.* Vaſa fíguli próbat fornax, & hómines juſtos tentátio tribulatiónis, allelúia. *Eccli.* 27. 6.

Ant. 1. a. In perpétuum vivent, & apud Dóminum eſt merces eórum, & cogitátio illórum apud Altíſſimum, allelúia. *Sap.* 5. 16.

Ant. 6. F. Si ſuſtinébimus, & conregnábimus: ſi negavérimus, & ille negábit nos, allelúia. 2. *Tim.* 2. 12.

Ant. 7. d. Sicut abúndant paſſiónes Chriſti in nobis, ità & per Chriſtum abúndat conſolátio noſtra, allelúia. 2. *Cor.* 1. 5.

Ant. 2. D. Mélius eſt benefaciéntes, ſi volúntas *Dei velit, pati*, quàm malefaciéntes, allelúia. 1. *Petr.* 3. 17.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 4. 15. 16.

NEmo veſtrûm patiátur ut homicída, aut fur, aut maléдicus, aut alienórum appetítor; ſi autem ut Chriſtiánus, non erubéſcat, glorificet autem Deum in iſto nómine.

HYMNUS.

QUANTO, morte ſacrâ quos tibi dévoves,
Firmas, Chriſte, tuos róbore mílites!
Ad torménta rapit, non pávidos mori,
Quam das, ígnea cáritas.

TORTORIS rábies ſæviat ímpotens;
Addat carcéribus férrea víncula;
Conſtánti púgiles péctore prǽlia,
Trunci córpore ſúſtinent.

ALTO de sólio nunc, Deus, áſpice
Non indígna tuo Númine múnera.
Quot proſtráta jacent córpora Mártyrum,
Aſtant tot tibi víctimæ.

AD te, lethífero vúlnere ſaúcii,
Vectántur róſeo flúmine ſánguinis:
Eménſi, duce te, Chriſte, perícula,
Tangunt líttora pátriæ.

SED quid barbáries ímpia próficit?
Non hæc Chriſtíadas vúlnera déprimunt:
Gens exórta ſacro fúnere Núminis,
Creſcit ſánguine Mártyrûm

Sit laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio,
Sit par, ſancte, tibi glória, Spíritus,
Cujus præsídio prælia ſúſtinent,
Contémptâ nece Mártyres.
Amen.

℣. In te ſperavérunt, Dómine; ℟. Et non ſunt confúſi. *Pſ.* 21. 6.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. c. Mórtui ſunt in dolóribus péſſimis, in fame, & in gládio, & in emiſſióne, allelúia. *Bar.* 2. 25.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 3. *a.* Omnes qui piè volunt vívere in Chriſto Jeſu, perſecutiónem patiéntur, allelúia. 2. *Tim.* 3. 12.

Hymnus conveniens.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 3. 13. 14.

QUis eſt qui vobis nóceat, ſi boni æmulatóres fuéritis? Sed & ſi quid patímini propter juſtítiam, beáti.

℟. *breve.* In manus, *p.* viij.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 6. F. Non egébunt lúmine lucérnæ, neque lúmine ſolis, quóniam Dóminus Deus illuminábit illos, allelúia. *Apoc.* 22. 5.

Oratio & cætera omnia ut in Proprio de Tempore.

COMMUNE
UNIUS SANCTI PONTIFICIS.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 5. *toni* a.

QUæsívit Dóminus ſibi virum juxta cor ſuum: & præcépit ei Dóminus ut eſſet dux ſuper pópulum ſuum, allelúia. 1. *Reg.* 13. 14.

Ant. 6. F. Geſtábit judícium filiórum Iſraël in péctore ſuo, in conſpéctu Dómini ſemper, allelúia. *Exod.* 28. 30.

Ant. 1. D. Legem requírent ex ore ejus, quia Angelus Dómini exercítuum eſt, allelúia. *Malach.* 2. 7.

Ant. 7. *d.* Rogánte pro eis ſacerdóte, propítius erit eis Dóminus, allelúia. *Lev.* 4. 20.

Ant. 1. g. Non egrediétur de Sanctis, ne pólluat Sanctuárium Dómini; quia óleum ſanctæ unctiónis Dei ſuper eum eſt, allelúia. *Levit.* 21. 12.

CAPITULUM 1. *Reg.* 2. 35.

SUſcitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet; & ædificábo ei domum fidélem; & ambulábit coram Chriſto meo cunctis diébus.

In Duplicibus majoribus & ſuprà.

℟. Hoc eſt quod loquutus

eſt Dóminus : * Sanctificábor in iis qui appropínquant mihi, & in conſpéctu omnis pópuli glorificábor, allelúia. *Levit.* 10. 3. ℣. Scriptum eſt : Sancti éritis, quóniam ego Sanctus ſum. 1. *Petr.* 1. 16. * Sanctificábor. Glória. * Sanctificábor.

HYMNUS.

CHRISTE, Paſtórum Caput atque Princeps,
Præſulis feſtam veneráta lucem,
Débitis ſupplex tua templa votis,
Turba frequéntat.

ILLE non vano ténuit treméndam
Spíritu ſedem, próprio nec auſu ;
Sed ſacrum juſſus, Dómino vocánte,
Sumpſit honórem.

STRENUUM bello púgilem, ſupérni
Chríſmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu ; poſuítque ſanctam
Páſcere gentem.

FIT gregis paſtor, pater atque forma :
Lætus impéndit ſua ſéque ; ſervus
Omnium, curis gravis, omnibúſque
Omnia factus.

PRO reis orat, réficit geméntes,
Erigit lapſos, tenebráſque pellit ;
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hoſtem.

FAC ut illíus précibus juvémur,
Chriſte, fac Patrem, paritérque tecum
Spíritum, jugi celebrémus hymno,
Omne per ævum.
Amen.

℣. Beátus quem elegíſti & aſſumpsíſti, Dómine ; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Pſ.* 64. 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Ipſum elégit Dóminus ab omni vivénte, offérre ſacrifícium Deo, incénſum, & bonum odórem, in memóriam placáre pro pópulo ſuo, allelúia. *Eccli.* 45. 20.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſì ſit propria.

COMPLETORIUM *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Chriſtum Paſtórum Príncipem, * Veníte, adorémus, allelúia. 1. *Petr.* 5. 4.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

HYMNUS.

CHRISTE, decréto Patris inſtitútus
Póntifex ſummo, tibi qui fidéles,
Quos legis, formas pópulis regéndis
Ipſe miníſtros ;

HUNC juvat feſto celebráre cantu,
Qui, licèt magnis méritis abúndans,
Flens & invítus, duce te, treméndum
Sumpſit honórem.

NOVERAT quantis páteat períclis
Ille, qui ſummos ápices adéptus,
Omnium curas, ſibi raptus uni,
Súſtinet omnes.

FECERAT fervens amor inquiétum:
Quò gregis cari pia cura poſcit,
Advolat promptus; mora non eúntem
Ulla retárdat.

DUX iter, vitâ præeúnte, monſtrat;
Cómprobat factis ſua dicta magnis;
Et domum ſanctam benè olénte Chriſti
Implet odóre.

LUX erat cœco, cólumen labánti,
Una ſpes lapſo, míſero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibúſque
Omnia factus.

CHRISTE, Paſtórum bonus ipſe Paſtor,
Qui greges paſcis próprio cruóre,
Fac ut ætérnæ ſúbeant opíma
Páſcua vitæ. Amen.

Ant. 1. a. Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem, allelúia. *Eccli.* 39. 13.

Ant. 3. *a.* In vita ſua ſuffúlſit domum, & in diébus ſuis corroborávit templum, allelúia. *Eccli.* 50. 1.

Ant. 7. c. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Eccléſia, allelúia. *Eccli.* 39. 14.

℣. Salvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum; ℟. Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo. *Pſ.* 19. 7.

Si Feſtum ſit Duplex minus aut ſuprà, I. Lectio de Scriptura occurrente, duabus prioribus in unam junctis; II. & III. ut in Proprio Sanctorum. Si verò Feſtum ſit Semidúplex aut Simplex, duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente, III. de Feſto ut in Proprio Sanctorum.

℟. *j.* Super ſpéculam Dómini ego ſum, ſtans júgiter per diem: * Et ſuper cuſtódiam meam ego ſum, ſtans totis nóctibus, allelúia. *Iſ.* 21. 8. ℣. Nocte & die non ceſsávi, cum lácrymis monens unumquémque veſtrûm. *Act.* 20. 31. * Et ſuper.

℟. *ij.* Abſit à me hoc peccátum in Dóminum, ut ceſſem oráre pro vobis, * Et docébo vos viam bonam & rectam, allelúia. 1. *Reg.* 12. 23. ℣. Cùm liber eſſem ex ómnibus, ómnium me ſervum feci, ut plures lucrifácerem. 1. *Cor.* 9. 19. * Et docébo.

℟. *iij.* Quaſi ſtella matutína in médio nébulæ, & quaſi luna plena in diébus ſuis lucet, & quaſi ſol refulgens, * Sic ille effulſit in templo Dei, allelúia.

Eccli. 50. 6. 7. ℣. Sicut ſol lucet in virtúte ſua. *Apoc.* 1. 16. * Sic ille. Glória. * Sic ille.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Juſtítia ejus manet in séculum séculi; ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Pſ.* 111. 9.

Ant. 3. c. Deus patrum noſtrórum præordinávit te, ut cognóſceres voluntátem ejus, & vidéres Juſtum, & audíres vocem ex ore ejus, allelúia. *Act.* 22. 14.

Ant. 7. d. Cadat orátio noſtra in conſpéctu tuo, & ora pro nobis ad Dóminum Deum tuum, allelúia. *Jer.* 42. 2.

Ant. 2. D. Nominábitur tibi nomen tuum à Deo in ſempitérnum: Pax juſtítiæ, & honor pietátis, allelúia. *Bar.* 5. 4.

Ant. 5. a. Ora.

CANTICUM. *Eccli. c.* 50. *v.* 12. *ad* 17.

Pontificis encomium.

SAcérdos magnus, in aſcénſu altáris ſancti, * glóriam dedit ſanctitátis amíctum.

In accipiéndo autem partes de manu Sacerdótum, * & ipſe ſtans juxta aram.

Et circa illum coróna fratrum, * quaſi plantátio cedri in monte Líbano.

Sic circa illum ſtetérunt quaſi rami palmæ, * & *omnes fílii Aaron* in glória ſua.

Oblátio autem Dómini in mánibus ipſórum, * coram omni ſynagóga Iſraël:

Et conſummatióne fungens in ara, * amplificáre oblatiónem excélſi Regis.

Porréxit manum ſuam in libatióne, * & libávit de ſánguine uvæ.

Effúdit in fundaménto altáris odórem divínum * excélſo Príncipi.

Ant. Ora pro ſervis tuis ad Dóminum Deum tuum, ut non moriámur, allelúia. 1. *Reg.* 12. 19.

Ant. 4. a. Circúmdabit te Deus diplóide juſtítiæ, & impónet mitram cápiti honóris ætérni, allelúia. *Bar.* 5. 2.

CAPITULUM. *Eccli.* 45. 19.

FActum eſt illi in teſtaméntum ætérnum, & ſémini ejus ſicut dies cœli, fungi ſacerdótio, & habére laudem, & glorificáre pópulum ſuum in nómine ejus.

HYMNUS.

JEsu, Sacerdótum decus,
In hac die quâ glóriâ
Sanctum corónas Præſulem,
Votis adéſto ſúpplicum.

Sui probátus prǽmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos tibi,
Accépit agnos páſcere.

Hos novit, & præit vocans
In tuta quemque páſcua;
Victúmque præbet: audiunt,
Sequúntur, & vivunt oves.

QUAM ſentit errántem, jugis
Hanc nocte quærit ac die,
Et gaudet invéntam ſuo
Portans ovíli réddere.

ARCET freméntes béſtias,
Lupi retúndit ímpetus,
Dolóſque fallit, vel mori
Caro parátus pro grege.

OFFERT frequéntem víctimam
Cum plebe Paſtor innocens;
Secúmque devótum gregem
Pius Sacérdos ímmolat.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Glóriâ & honóre coronáſti eum, Dómine; ℟. Et conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum. *Pſ.* 8. 6. 7.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Dómine, propter fámulum tuum juxta cor tuum, feciſti omnem magnificéntiam hanc, & nota eſſe voluíſti univérſa magnália, allelúia. 1. *Par.* 17. 19.

Oratio.

DIrige oves tuas, Dómine, in viam ſalútis ætérnæ, quam beáti Pontíficis *N.* vita cum doctrína monſtrávit: & fac nos, eódem intercedénte, ſic ejus súbſequi veſtígia, ut cum ipſo coronári mereámur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

DA Eccléſiæ tuæ, miſéricors Deus, ut mérita ſancti Epíſcopi *N.* pietátem tuam pro ipſa ſemper exórent, & fructum in nobis labórum ejus cuſtódiant; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 3. c. Deus patrum noſtrórum præordinávit te, ut cognóſceres voluntátem ejus, & vidéres Juſtum, & audíres vocem ex ore ejus, allelúia. *Act.* 22. 14.

CAPITULUM. *Hebr.* 5. 4.

NEc quiſquam ſumit ſibi honórem, ſed qui vocátur à Deo tanquam Aaron.

℟. *breve.* Chriſte, Fili, *p.* v.

Cætera ut in Proprio de Tempore.

AD TERTIAM.

Ant. 7. d. Cadat orátio noſtra in conſpéctu tuo, & ora pro nobis ad Dóminum Deum tuum, allelúia. *Jer.* 42. 2.

CAPITULUM. *Hebr.* 5. 1.

OMnis Póntifex ex homínibus aſſúmptus, pro homínibus conſtitúitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut ófferat dona & ſacrifícia pro peccátis.

℟. *breve.* Introíbo ad altáre Dei, * Allelúia, allelúia. ℟. Introíbo. ℣. Ad Deum qui lætíficat juventútem

tútem meam. * Allelúia. Glória. ℟. Introíbo. *Pſ.* 42. 4.

℣. Altária tua, Dómine virtútum, ℟. Rex meus & Deus meus. *Pſ.* 83. 4.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Nominábitur tibi nomen tuum à Deo in ſempitérnum: Pax juſtítiæ, & honor pietátis, allelúia. *Bar.* 5. 4.

CAPITULUM. *Eccli.* 45. 8.

STátuit ei Dóminus teſtaméntum ætérnum, & dedit illi ſacerdótium gentis, & beatificávit illum in glória.

℟. *breve.* Immolávi in tabernáculo ejus,* Allelúia, allelúia. ℟. Immolávi. ℣. Hóſtiam vociferatiónis. * Allelúia. Glória. ℟. Immolávi. *Pſ.* 26. 6.

℣. In Sancto appárui tibi, Dómine, ℟. Ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam. *Pſ.* 62. 3.

AD NONAM.

Ant. 4. a. Circúmdabit te Deus diplóide juſtítiæ, & impónet mitram cápiti honóris ætérni, allelúia. *Bar.* 5. 2.

CAPITULUM. 1. *Mach.* 14. 4.

QUæſívit bona genti ſuæ, & plácuit illis potéſtas ejus, & glória ejus ómnibus diébus.

℟. *breve.* Pavit eos in innocéntia cordis ſui, * *Allelúia, allelúia.* ℟. Pavit. ℣. *Et in intelléctibus má*nuum ſuárum dedúxit eos.* Allelúia. Glória. ℟. Pavit. *Pſ.* 77. 72.

℣. Dedúxit eos in viam rectam; ℟. Ut irent in civitátem habitatiónis. *Pſ.* 106. 7.

AD VESPERAS.

Ant. 1. f. Laudémus viros glorióſos & paréntes noſtros in generatióne ſua, allelúia. *Eccli.* 44. 1.

Ant. 2. *D.* Multi hómines miſericórdes vocántur; virum autem fidélem quis invéniet? allelúia. *Prov.* 20. 6.

Ant. 7. d. Illi viri miſericórdiæ ſunt, quorum pietátes non defuérunt, allelúia. *Eccli.* 44. 10.

Ant. 1. a. Córpora ipsórum in pace ſepúlta ſunt; & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem, allelúia. *Eccli.* 44. 14.

Ant. 6. F. In terra ſua duplícia poſſidébunt; lætítia ſempitérna erit eis, allelúia. *Iſ.* 61. 7.

CAPITULUM. *Hëbr.* 13. 17.

OBedíte Præpóſitis veſtris, & ſubjacéte eis: ipſi enim pervigilant, quaſi ratiónem pro animábus veſtris redditúri, ut cum gaúdio hoc fáciant, & non geméntes.

HYMNUS.

SEDIBUS, Præſul, ſúperis recépte,
Advola terris: ſacra te repóſcunt,

Noſtra dum cantu tibi dedicáto
Templa resúltant.
PRO Deo vitam cúpidus pacíſci,
Otium durus tibi denegáſti;
Prælium Chriſti benè præliári
Una volúptas.
SI reis vindex minitátur ira,
Súpplici defers prece vim Tonánti:
Et Deum, jugis grege pro tuéndo
Víctima, placas.
ERUDIS, vitâ præeúnte, Clerum;
Légibus ſacris pópulū coérces:
Quas Deus dotes dedit, ad ſalúbrem
Cóntrahis uſum.
LAUDE non unâ, memoránde Præſul,
Nos ama patris ſtúdio benígni;
Et laborántem médiis perículis
Dírige plebem.
CHRISTE, Paſtórum bonus ipſe Paſtor,
Qui greges paſcis próprio cruóre,
Fac ut ætérnæ súbeant opíma
Páſcua vitæ. Amen.

℣. Sacerdótes Sion índuam ſalutári; ℟. Et ſancti ejus exultatióne exultábunt. *Pſ.* 131. 16.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Nomen eórum permáneat in ætérnum, pérmanens ad fílios illórum ſanctórum virórum glória, allelúia. *Eccli.* 46. 15.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 7. c. Lex veritátis fuit in ore ejus; & iníquitas non eſt invénta in lábiis ejus, allelúia. *Malach.* 2. 6.

Hymnus conveniens.

CAPITULUM. 1. *Tim.* 4. 8. 9.

PIetas ad ómnia útilis eſt, promiſſiónem habens vitæ quæ nunc eſt, & futúræ. Fidélis ſermo, & omni acceptióne dignus.

℟. *breve.* In manus, *p.* viij.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 1. f. Induit eum Dóminus ſtolam glóriæ, & coronávit eum in vaſis virtútis, allelúia *Eccli.* 45. 9.

Oratio & cætera omnia, ut in Proprio de Tempore.

COMMUNE
UNIUS SANCTI DOCTORIS.

IN. I. VESPERIS.
Antiphona 1. *toni f.*

BEátus vir qui in ſapiéntia morábitur, & qui in juſtítia ſua meditábitur, & in ſenſu cogitábit circumſpectiónem Dei, allelúia. *Eccli.* 14. 22.

Ant. 2. D. Cibábit illum Deus pane vitæ & intelléctûs, & aquâ ſapiéntiæ ſalutáris potábit illum, allelúia. *Eccli.* 15. 3.

Ant. 5. a. Denudábit abſcónſa ſua illi, & theſaurizábit ſuper illum ſciéntiam, & intelléctum juſtítiæ, allelúia. *Eccli.* 4. 21.

Ant. 6. F. Ipſe tanquam imbres mittet elóquia ſapiéntiæ ſuæ; & in oratióne confitébitur Dómino, allelúia. *Eccli.* 39. 9.

Ant. 8. G. Palàm fáciet diſciplínam doctrínæ ſuæ, & in lege teſtaménti Dómini gloriábitur, allelúia. *Eccli.* 39. 11.

CAPITULUM. *Prov.* 3. 13. 14. 15.

BEátus homo qui invénit ſapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ; mélior eſt acquisítio ejus negotiatióne argénti, & auri primi & puríſſimi fructus ejus; pretióſior eſt cunctis ópibus; & ómnia quæ deſiderántur, huic non valent comparári.

In Duplicibus majoribus, & ſuprà.

℟. In médio Eccléſiæ apériet os ejus, & * Adimplébit illum Dóminus ſpíritu ſapiéntiæ & intelléctûs, allelúia. *Eccli.* 15. 5. ℣. Ut innotéſcat Principátibus & Poteſtátibus in cœléſtibus per Eccléſiam multifórmis ſapiéntia Dei. *Eph.* 3. 10. * Adimplébit. Glória. * Adimplébit.

HYMNUS.

O Qui perpétuus nos mónitor doces,
Vox ætérna Patris, Chriſte, vicários
Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quàm benè súppetis!

Hi ſemper vígilant, ne quid adúlterum
Corrúmpat fidei virgíneum decus:
Lædi vel léviter non pátitur fides,
His cuſtódibus íntegra.

Infames ábolent relíquias deûm;
Errores ábigunt, crímina dédocent;
Chriſto reſtítuunt quos malè crédulos
Mendax lúſerat hǽreſis.

Patrum caníciem, tot venerábiles
Rugas objíciunt, unde nitet fides:

Quæ ſunt priſca, docent;
quæ nova, ſúbruunt;
Servant depóſitum Dei.
Sɪᴛ ſupréma tibi glória,
Véritas,
Quæ per ſcripta Patrum,
quando foris ſonas,
Nullo vocis egens, corda
doces, ſono,
Et te méntibus ínſeris.
Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine; ℟. Et de lege tua docúeris eum. *Pſ.* 93. 12.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *F.* Qui docti fuerint, fulgébunt quaſi ſplendor firmaménti, & qui ad juſtítiam erúdiunt multòs, quaſi ſtellæ in perpétuas æternitátes, allelúia. *Dan.* 12. 3.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

Cᴏᴍᴘʟᴇᴛᴏʀɪᴜᴍ *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Fontem ſapiéntiæ Verbum Dei in excélſis, * Veníte, adorémus, allelúia. *Eccli.* 1. 5.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

Hymnus.

O Qᴜɪ pro grégibus
das ánimam tuis,
Alto consílio quàm benè
próvidos
Caro ponis ovíli,
Quos tu, Chriſte, vocas
duces!
Hɪ juſto pópulos judício
regunt;
Hi de fonte bibunt quem
síciunt Deum;
Et de Número pleni
In nos hi ſuperéffluunt.
Hɪ dum corda ſacris légibus
ímbuunt,
Diſcúſſis ténebris, ſtat fidei
decus;
Seſe pandit apérta,
Toto lúmine, véritas.
Fᴀᴄᴛɪ forma, Deo
quem páriunt, gregis,
Quæ ſermóne docent, móribus
éxprimunt;
Cùm mandant, amor urget;
Cùm damnant, amor árguit.
Nᴜsǫᴜᴀᴍ lenta tenent
ótia déſides:
Noctes atque dies invígilant
agro,
Subrépens inimícus,
Ne zizánia sémiuet.
Qᴜᴀs erráre vident à
grege dévias,
Cautè ſollíciti, per juga
móntium,
Per desérta, requírunt,
Et portant húmeris oves.
Tᴏᴛ qui conſtítuit lúmina,
laus Patri;
Doctórum cápiti, laus quoque
Fílio;
Qui pinguédine mentes
Ungis, laus tibi, Spíritus.
Amen.

Ant. 6. F. Implévit eum Dóminus Spíritu Dei, ſapiéntiâ, & intelligéntiâ, & ſciéntiâ, & omni doctrínâ, allelúia. *Exod.* 35. 31.

Ant. 4. A. In fraude circumveniéntium illum, áffuit illi ſapiéntia, & honéſtũ fecit illum, allelúia. Sap. 10. 11.

Ant. 7. G. Collaudábunt multi ſapiéntiam ejus, & uſque in séculum non delébitur, allelúia. *Eccli.* 39. 12.

℣. Bonum mihi lex oris tui, Dómine, ℟. Super míllia auri & argénti. *Pſ.* 118. 72.

Si Feſtum ſit Duplex minus aut ſuprà, I. Lectio de Scriptura occurrente, in unam junctis duabus prioribus; II. & III. ut in Proprio Sanctorum. Si verò Feſtum ſit Semiduplex aut Simplex, duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente, III. de Feſto ut in Proprio Sanctorum.

℟. *j.* Reſtítuit ipſe fratres ſuos, & * Expugnávit inimícos Iſraël ab eis, allelúia. 1. *Mach.* 14. 26. ℣. Enutrítus verbis fidei & bonæ doctrínæ. 1. *Tim.* 4. 6. * Expugnávit.

℟. *ij.* In lege Dómini congregatiónem judicávit, & vidit Deus Jacob; & * In fide ſua probátus eſt Prophéta, allelúia. *Eccli.* 46. 17. ℣. Doctor géntium in fide & veritáte. 1. *Tim.* 2. 7. * In fide.

℟. *iij.* A Deo proféĉta eſt ſapiéntia; * Sapiéntiæ enim Dei aſtábit laus, & in ore fidéli abundábit, allelúia. *Eccli.* 15: 10. ℣. Si quis volúerit voluntátem ejus fácere, cognóſcet de doctrína utrùm ex Deo ſit, allelúia. *Joan.* 7. 17. * Sapiéntiæ. *Glória.* * *Sapiéntiæ.*

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Scrutábor legem tuam, Dómine, ℟. Et cuſtódiam illam in toto corde meo. *Pſ.* 118. 34.

Ant. 1. g. Erudítus es in juventúte tua, & implétus es quaſi flumen, ſapiéntiâ, allelúia. *Eccli.* 47. 15. 16.

Ant. 7. d. Sicut érudit fílium ſuum homo, ſic Dóminus Deus tuus erudívit te, allelúia. *Deut.* 8. 5.

Ant. 5. a. Sápiens es, ſicut habet ſapiéntiam Angelus Dei, ut intélligas ómnia, allelúia. 2. *Reg.* 14. 20.

Ant. 2. D. Ad ínſulas.

CANTICUM. *Eccli. c.* 15. *v.* 3. *ad* 6.

Fons & præmium doctrinæ.

Cibábit illum Deus pane vitæ & intelléctûs, * & aquâ ſapiéntiæ ſalutáris potábit illum:

Et firmábitur in illo, & non flectétur; * & continébit illum, & non confundétur:

Et exaltábit illum apud próximos ſuos, * & in médio Eccléſiæ apériet os ejus:

Et adimplébit illum ſpíritu ſapiéntiæ & intelléctûs, * & ſtolâ glóriæ véſtiet illum.

Jucunditátem & exultatiónem theſaurizábit ſuper illum, * & nómine ætérno hæreditábit illum.

Ant. Ad ínſulas longè divulgátum eſt nomen tuũ, & diléctus es in pace tua, allelúia. Eccli. 47. 17.

Ant. 3. *a.* Beáti ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & aúdiunt ſapiéntiam tuam! allelúia. 3. *Reg.* 10. 8.

CAPITULUM. *Jac.* 3. 17.

QUæ desúrsùm eſt ſapiéntia, primùm quidem pudica eſt, deínde pacífica, modéſta, ſuadíbilis, bonis conséntiens, plena miſericórdiâ & frúctibus bonis.

HYMNUS.

VOs, ſuccénſa Deo ſpléndida lúmina:
Vos ſal, nos hómines quo ſápimus Deum;
Ævum, puri ánimo, móribus íntegri,
Quo condimur in álterum.

PER vos Relígio tútaque véritas,
Per vos virgíneis fulget honóribus:
Per vos Chriſtus amat pándere dívites
Theſaúros ſapiéntiæ.

VESTRIS unda fluit pura canálibus:
Chriſti floret ager, munda nitet ſeges:
Lac aptum púeris, & sólidum viris
Cauti ſufficitis cibum.

HI ſunt, ſumme Deus, qui tibi mílitant;
Hi ſunt, qui ſtábiles ædíficant domos:
Unâ docta cohors arma tenet manu,
Muros cónſtruit álterâ.

VICISTIS ſtýgias vos quibus hǽreses,
Hæc nos accípimus tela ſupérſtites:
His pugnámus adhuc, nec dúbio éxitu,
His armis quoque víncimus.

SIT ſupréma tibi glória, Véritas,
Quæ per ſcripta Patrum, quando foris ſonas,
Nullo vocis egens, corda doces, ſono,
Et te méntibus ínſeris.
Amen.

℣. Ignítum, Dómine, elóquium tuum veheménter; ℟. Et ſervus tuus diléxit illud. *Pſ.* 118. 140.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. f. Perféctio tua, Dómine, & doctrína tua viro ſancto tuo, quem probáſti, allelúia. *Deut.* 33. 8.

Oratio.

DEus, qui pópulo tuo beátum *N.* ætérnæ ſalútis miniſtrum tribuíſti; præſta, ut quem Doctórem vitæ habúimus in terris, interceſsórem habére mereámur in cœlis; Per Dóminum.

Alia Oratio.

EXcita, Dómine, in Eccléſia tua Spíritum, quo beátus *N.* ſervívit; ut eódem nos repléti, ſtudeámus amáre quod amávit, & ópere exercére quod dócuit; Per Dóminum... in unitáte ejúſdem, &c.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Erudítus es in juventúte tua, & impletus es quaſi flumen, ſapiéntiâ, allelúia. Eccli. 47. 15. 16.

CAPITULUM. *Sap.* 6. 15.

QUi de luce vigiláverit ad ſapiéntiam, non laborábit; aſſidéntem enim illam fóribus ſuis invéniet.

℟. *breve.* Chriſte, Fili, *p.* v.

Cætera ut in Proprio de Tempore.

AD TERTIAM.

Ant. 7. d. Sicut érudit filium ſuum homo, ſic Dóminus Deus tuus erudívit te, allelúia. *Deut.* 8. 5.

CAPITULUM. *Sap.* 7. 15. 16.

DEus ſapiéntiæ dux eſt, & ſapiéntium emendátor: in manu enim illíus, & nos, & ſermónes noſtri, & omnis ſapiéntia, & óperum ſciéntia, & diſciplína.

℟. *breve.* Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas, * Allelúia, allelúia. ℟. Lex. ℣. Teſtimónium Dómini fidéle. * Allelúia. Glória. ℟. Lex. *Pſ.* 18. 8.

℣. Juſtitiæ Dómini rectæ, ℟. Lætificántes corda. *Pſ.* 18. 8.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Sápiens es, ſicut habet ſapiéntiam Angelus Dei, ut intélligas ómnia, allelúia. 2. *Reg.* 14. 20.

CAPITULUM. 1. *Tim.* 1. 6. 7. 8.

QUidam aberrántes converſi ſunt in vanilóquium, voléntes eſſe legis doctóres, non intelligéntes, *neque quæ loquúntur, neque de quibus affirmant.* Scimus autem quia bona eſt lex, ſi quis eâ legitimè utátur.

℟. *breve.* Os juſti meditábitur ſapiéntiam, * Allelúia, allelúia. ℟. Os juſti. ℣. Et lingua ejus loquétur judícium. * Allelúia. Glória. ℟. Os juſti. *Pſ.* 36. 30.

℣. Lex Dei ejus in corde ipſíus; ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. *Pſ.* 36. 31.

AD NONAM.

Ant. 3. *a.* Beáti ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & aúdiunt ſapiéntiam tuam! allelúia. 3. *Reg.* 10. 8.

CAPITULUM. *Prov.* 8. 33. 34.

AUdíte diſciplínam, & eſtóte ſapiéntes, & nolíte abjícere eam. Beátus homo qui audit me, & qui vígilat ad fores meas quotídie, & obſérvat ad poſtes óſtii mei!

℟. *breve.* Judícia Dómini vera, juſtificáta in ſemetípſa, * Allelúia, allelúia. ℟. Judícia. ℣. Deſiderabília ſuper aurum. * Allelúia. Glória. ℟. Judícia. *Pſ.* 18. 10. 11.

℣. Servus tuus cuſtódit ea; ℟. In cuſtodiéndis illis retribútio multa. *Pſ.* 18. 12.

AD VESPERAS.

Ant. 8. G. Concupiſcéntia ſapiéntiæ dedúcit ad regnum perpétuum, allelúia. *Sap.* 6. 21.

Ant. 6. F. Quæcúmque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrínam ſcripta ſunt, allelúia. Rom. 15. 4.

Ant. 7. *d.* Non ſimus párvuli fluctuántes, & circumferámur omni vento doctrínæ, allelúia. *Eph.* 4. 14.

Ant. 1. a. Qui benè præſunt Presbýteri, dúplici honóre digni habeántur, máximè qui labórant in verbo & doctrína, allelúia. 1. *Tim.* 5. 17.

Ant. 2. D. Qui moderátur ſermónes ſuos, doctus & prudens eſt; & pretióſi ſpíritûs vir erudítus, allelúia. *Prov.* 17. 27.

Capitulum. 2. *Joan. v.* 9.

OMnis qui recédit, & non pérmanet in doctrína Chriſti, Deum non habet; qui pérmanet in doctrína, hic & Patrem & Fílium habet.

Hymnus.

JAm nunc, quæ númeras
tot tibi víndices,
Effer ſydéreum, Rellígio,
caput:
Quot ſunt mota tibi prǽlia, nóbiles
Tot nectis tibi laúreas.

Cum per mille neces impíetas furit,
Oppónis válido péctore
Mártyres;
Cùm per mille dolos décipit hæreſis,
Doctóres tibi súſcitas.

Quando ſparſa lues úndique críminum,
Hi gliſcens vítium prótinùs ámputant;
Quando plúrima nox méntibus íncubat,
Hi plenū révehunt diem.

Firmant inſtábiles, & dúbios regunt;
Monſtrant tuta procul líttora naúfragis;
Nobis, qui véhimur cœca per æquora,
Lucent perpétuæ faces.

Quæ dixére tuis cónſona ſénſibus,
Noſtris illa, Deus, córdibus ímprimas;
Quos terris cólimus, quos ſéquimur duces,
Fac nos móribus áſſequi.

Patri máxima laus; máxima Fílio;
Par ſit, ſancte, tibi glória, Spíritus:
Fac mentes répleat lúmine véritas;
Urat péctora cáritas.
Amen.

℣. Præcéptum Dómini lúcidum, ℟. Illúminans óculos. *Pſ.* 18. 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Omnis Scriba doctus in regno cœlórum ſímilis eſt hómini patrifamílias, qui profert de theſaúro ſuo nova & vétera, allelúia. *Matt.* 13. 52.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 8. G. Sápiens in pópulo hæreditábit honórem, & nomen illíus erit vivens in ætérnum, allelúia. *Eccli.* 37. 29.

Hymnus conveniens.

Capitulum. *Sap.* 6. 16. 17.

COgitáre de ſapiéntia, ſenſus eſt conſummátus; & qui vigiláverit propter illam, citò ſecúrus erit

quóniam dignos ſeipsâ círcuit quærens.

℟. *breve.* In manus, *p.* viij.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 8. c. Qui fécerit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum, allelúia. *Matt.* 5. 19.

Oratio & cætera omnia ut in Proprio de Tempore.

COMMUNE
UNIUS SANCTI PRESBYTERI.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 7. toni d.

LOcútus eſt Dóminus ad Móyſen, dicens: Tribum Levi noli numeráre, neque pones ſummam eórum cum fíliis Iſraël, allelúia. *Num.* 1. 48. 49.

Ant. 6. F. Conſtítue eos ſuper tabernáculum teſtimónii & cuncta vaſa ejus, & quidquid ad cæremónias pértinet, allelúia. *Num.* 1. 50.

Ant. 1. a. Ipſi ingrediéntur ſanctuárium meum, & ipſi accédent ad menſam meam, ut miníſtrent mihi, & cuſtódiant cæremónias meas, allelúia. *Ezech.* 44. 16.

Ant. 3. *à.* Sérviant mihi pro Iſraël in tabernáculo fœ́deris; & orent pro eis, ne ſit in pópulo plaga, allelúia: *Num.* 8. 19.

Ant. 5. a. Qui habúerit máculam, non ófferet panes Deo ſuo, nec accédet ad miniſtérium ejus, allelúia. *Levit.* 21. 17. 18.

CAPITULUM. *Ezech.* 44. 28.

NOn erit eis hæréditas; ego hæréditas eórum: & poſſeſſiónem non dábitis eis in Iſraël; ego enim poſſéſſio eórum.

In Duplicibus majoribus, & ſuprà.

℟. Notum fáciet Dóminus qui ad ſe pertíneant, & * Sanctos applicábit ſibi, & quos elégerit appropinquábunt ei, allelúia. *Num.* 16. 5. ℣. Hi probéntur primùm, & ſic miníſtrent, nullum crimen habéntes. 1. *Tim.* 3. 10. * Sanctos. Glória. * Sanctos.

HYMNUS.

JAM ſatìs fluxit cruor hoſtiárum,
Príſtinæ ceſſent holocaúſta Legis:
Chriſte, quos formas, melióra libant
Sacra Miníſtri.

ELICIT flammas Elias ab alto:
Myſta nunc major jubet; & poténti
Obſequens verbo, Deus aſtat aris,
Hóſtia factus.

PINGUE libámen, novus & Sacérdos,
Orbe jam toto Deus immolátur:
Se manu noſtrâ litat incruénto

Fúnere Chriſtus.

Tale nil priſcis pátribus tribútum,
Angelis nuſquam data par potéſtas:
Se manu noſtrâ Deus ipſe cunctis
Præbet in eſcam.

Christe, fac ſemper tua Sacra puro
Corde tractémus, manibúſque puris;
Cáritas aptos tua nos tremendis
Applicet aris.

Luminis ſpléndor, Patris una proles,
Chriſte, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inúngis.
Amen.

℣. Iſraël, non accípiam de domo tua vítulos, ℟. Neque de grégibus tuis hircos. *Pſ.* 49. 9.

Ad Magnificat, *Ant.* 5. a. Oblátio juſti impínguat altáre, & odor ſuavitátis eſt in conſpéctu Altíſſimi, allelúia. *Eccli.* 35. 8.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſì ſit propria.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Sacerdótem in ætérnum Jeſum Chriſtum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Hebr.* 5. 6.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

Hymnus.

O Tua dignum pietáte munus!
Chriſte, cùm per te légitur Sacérdos
Ille, qui primum decus, & miníſtris
Reddit, & aris.

Quam pavens, ſanctas procul à tumúltu,
Cùm dapes Chriſti meditátur Agni,
In quibus manat ſacer incruénto
Fúnere ſanguis!

Thure fumántes quis hic inter aras?
Quanta majéſtas ſedet ore ſancto!
Nec minùs fervent calefácta puris
Péctora flammis.

Nec ſacrum durus ſedet ad tribúnal:
Súblevat triſtes miſeráta caſus
Cáritas, clemens aliíſque mater,
Dum ſibi judex.

Quas relaxávit, luit ipſe noxæ
Innocens pœnas: aliéna culpa
Hunc reum fecit; piat acta largo
Non ſua fletu.

Luminis ſplendor, Patris una proles,
Chriſte, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inúngis.
Amen.

Ant. 1. f. Confirmávit omnes húmiles pópuli ſui,

& legem exquiſivit, & ábſtulit omnem iníquum & malum, allelúia. 1. *Mach.* 14. 14.

Ant. 8. G. Fecit pacem ſuper terram, & lætátus eſt Iſraël lætítiâ magnâ, allelúia. 1. *Mach.* 14. 11.

Ant. 6. F. Miráti ſunt in illo multi, & honoravérunt Deum, allelúia. *Eccli.* 11. 13.

℣. Vidi prævaricántes, & tabeſcébam; ℟. Quia elóquia tua non cuſtodiérunt. *Pſ.* 118. 158.

Si Feſtum ſit Duplex minus aut ſuprà, I. Lectio de Scriptura occurrente, in unam junctis duabus prioribus; II. & III. ut in Proprio Sanctorum. Si verò Feſtum ſit Semiduplex aut Simplex, duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente, III. de Feſto ut in Proprio Sanctorum.

℟. *j.* Avértit iram meam à filiis Iſraël, quia zelo meo commótus eſt contra eos, * Ut non ipſe delérem filios Iſraël in zelo meo, allelúia. *Num.* 25. 11. ℣. Juſtitiæ quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitútus. *Hebr.* 11. 7. * Ut non.

℟. *ij.* Juſtórum sémita * Quaſi lux ſplendens procédit, & creſcit uſque ad perféctam diem, allelúia. *Prov.* 4. 18. ℣. Sic lúceat lux veſtra coram homínibus, ut vídeant ópera veſtra bona. *Matt.* 5. 16.* Quaſi.

℟. *iij.* Eritis mihi in pecúlium de cunctis pópulis; mea eſt enim omnis terra: & vos * Eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta, allelúia. *Exod.* 19. 5. 6. ℣. Vos genus eléctum, regále ſacerdótium, gens ſancta. 1. *Petr.* 2. 9.* Eritis. Glória. * Eritis.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Domus Aaron, benedícite Dómino; ℟. Domus Levi, benedícite Dómino. *Pſ.* 134. 19. 20.

Ant. 8. c. Vir Dei es tu, & verbum Dómini in ore tuo verum eſt, allelúia. 3. *Reg.* 17. 24.

Ant. 1. g. Docuíſti multos, & manus laſſas roboráſti: vacillántes confirmavérunt ſermónes tui, & génua treméntia confortáſti, allelúia. *Job.* 4. 3. 4.

Ant. 5. a. Exémplum eſto fidélium, in verbo, in converſatióne, in caritáte, in fide, in caſtitáte, allelúia. 1. *Tim.* 4. 12.

Ant. 7. d. Scriptus es.

CANTICUM. *Malach. c.* 2. *v.* 5. *ad* 7.

Sacerdotis & Sacerdotii laudes celebrantur.

PActum meum fuit cum eo, vitæ & pacis: * & dedi ei timórem, & tímuit me, & à fácie nóminis mei pavébat.

Lex veritátis fuit in ore ejus; * & iníquitas non eſt invénta in lábiis ejus:

In pace & in æquitáte

ambulávit mecum, * & multos avértit ab iniquitáte.

Lábia enim Sacerdótis cuſtódient ſciéntiam; & legem requírent ex ore ejus; * quia ángelus Dómini exercítuum eſt.

Ant. Scriptus es in judíciis témporum lenire iracúndiam Dómini, conciliáre cor patris ad filium, & reſtitúere tribus Jacob, allelúia. *Eccli.* 48. 10.

Ant. 7. G. Bonum depóſitum cuſtódi, per Spíritum ſanctum qui hábitat in nobis, all. 2. *Tim.* 1. 14.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 3. 7. 8.

NEque qui plantat, eſt áliquid, neque qui rigat, ſed qui increméntum dat, Deus: qui autem plantat, & qui rigat, unum ſunt: unuſquíſque autem própriam mercédem accípiet ſecúndùm ſuum labórem.

HYMNUS.

O SACERDOTUM veneránda jura!
Ceu vices Chriſti téneant, ſalútis
Arbitri, claudunt, reſerántque nobis
Atria cœli.

OMNE pendéntes ſcelus in ſtatéra,
Cùm reum ſolvunt, Deus ipſe ſolvit;
Cùm ligant ſontem, Deus ipſe ſontis
Víncula nectit.

QUAM manus morbis ádhibent perítas!
Cùm ſecant, ſemper pia dextra cædit;
Cùm fovent, ſemper pia lenit ungens
Vúlnera dextra.

VERBA dum promunt, pópulus fidélis
Excipit vocem, cúpidus docéri;
Nempè divínæ ſacra verba legis
Mente recóndunt.

IRRUENS prompti cohibére fulmen,
Stant ab advérſo, Dominúmque placant,
Víndices in nos quóties ab alto
Dépluit iras.

DUM Sacerdótes tua ſacra tractant,
Chriſte, fac ſacris quibus applicáſti,
Cónſonent mores, populíque fiat
Forma ſacérdos.

LUMINIS ſplendor, Patris una proles,
Chriſte, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inúngis.
Amen.

℣. Exáltent eum in eccléſia plebis; ℟. Et in cáthedra ſeniórum laudent eum. *Pſ.* 106. 32.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. J. Dómine, ſit auris tua atténdens ad oratiónem ſervi tui, & ad oratiónem ſervórum tuórum qui volunt timére nomen tuum, allelúia. 2. Eſdr. 1. 11.

Oratio.

DOmine Deus omnípotens, qui fámulum tuum *N.* ut ſacerdótio tibi fungerétur, a pópulo ſegregáſti; præſta, quǽſumus, ut ejus exémpla ſectántes, exhibeámus nos in ómnibus fidéles miníſtros, & prærogatívæ dignitátis ſtudeámus adjúngere cúmulum ſanctitátis; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. Vir Dei es tu, & verbum Dómini in ore tuo verum eſt, allelúia. 3. *Reg.* 17. 24.

CAPITULUM. 2. *Tim.* 4. 5.

VIgila, in ómnibus labóra, opus fac Evangeliſtæ, miniſtérium tuum imple, sóbrius eſto.

℟. *breve.* Chriſte, Fili, *p.* v.

Cætera ut in Proprio de Tempore.

AD TERTIAM.

Ant. 1. g. Docuíſti multos, & manus laſſas roboráſti: vacillántes confirmavérunt ſermónes tui, & génua treméntia confortáſti, allelúia. *Job.* 4. 3. 4.

CAPITULUM. 2. *Tim.* 2. 15. 16.

SOllícitè cura teípſum probábilem exhibére Deo, operárium inconfusíbilem, rectè tractántem verbum veritátis: profána autem & vanilóquia devíta.

℟. *breve.* Veritátem tuam *Dómine, & ſalutáre tuum dixi,* * *Allelúia,* allelúia. ℟. Veritátem. ℣. Non abſcóndi miſericórdiã tuam. * Allelúia. Glória. ℟. Veritátem. *Pſ.* 39. 11.

℣. Annuntiávi juſtítiam tuam, ℟. In eccléſia magna. *Pſ.* 39. 10.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Exémplum eſto fidélium, in verbo, in converſatióne, in caritáte, in fide, in caſtitáte, allelúia. 1. *Tim.* 4. 12.

CAPITULUM. *Tit.* 2. 7. 8.

IN ómnibus teípſum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum ſanum irreprehensíbile; ut is qui ex advérſo eſt, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. *breve.* Dabis eum, Dómine, in benedictiónem, * Allelúia, allelúia. ℟. Dabis. ℣. In ſéculum séculi. * Allelúia. Glória. ℟. Dabis. *Pſ.* 20. 7.

℣. Fólium ejus non défluet: ℟. Et ómnia quæcúmque fáciet, proſperabúntur. *Pſ.* 1. 3.

AD NONAM.

Ant. 7. G. Bonum depóſitum cuſtódi, per Spíritum ſanctum qui hábitat in nobis, allelúia. 2. *Tim.* 1. 14.

CAPITULUM. 1. *Tim.* 6. 20. 21.

DEpóſitum cuſtódi, devitans profánas vocum novitátes, & oppoſitiónes falſ. nóminis ſciéntiæ.

℟. breve. Beatus vir qui non ábiit in consilio im-

pióruṁ, * Allelúia, allelúia. ℟. Beátus. ℣. Et in via peccatórum non ſtetit, * Allelúia. Glória ℟. Beátus. *Pſ.* 1. 1.

℣. Ad níhilum dedúctus eſt in conſpéctu ejus malígnus; ℟. Timéntes autem Dóminū glorificat. *Pſ.* 14. 4.

AD VESPERAS.

Ant. 8. G. Probáti ſumus à Deo, ut crederétur nobis Evangélium, allelúia. 1. *Theſſ.* 2. 4.

Ant. 2. D. Lóquimur, non quaſi homínibus placéntes, ſed Deo, qui probat corda noſtra, allelúia. 1. *Theſſ.* 2. 4.

Ant. 1. a. Glória noſtra hæc eſt, teſtimónium conſciéntiæ noſtræ, allelúia. 2. *Cor.* 1. 12.

Ant. 1. D. Beáti ſervi illi, quos, cùm vénerit Dóminus, invénerit vigilántes, allelúia. *Luc.* 12. 37.

Ant. 7. d. Præcinget ſe, & fáciet illos diſcúmbere, & tránſiens miniſtrábit illis, allelúia. *Luc.* 12. 37.

CAPITULUM. 1. *Theſſ.* 2. 13.

FRatres, grátias ágimus Deo ſinè intermiſſióne, quóniam cùm accepiſsétis à nobis verbum audítûs Dei, accepíſtis illud, non ut verbum hóminum, ſed, ſicut eſt verè, verbum Dei, qui operátur in vobis qui credidíſtis.

HYMNUS.

QUANTIS micas honóribus,
Cœlo Sacérdos áddite,
Cùm, præmiórum pródigus,
Totum tibi dat ſe Deus!

PARTIS labóre plúrimo
Quot clarus es virtútibus,
Tot fulgurántem glóriâ
Ornant corónæ vérticem.

QUOS parturíſti Númini,
Te filii nunc ámbiunt;
Tuóque lætis cántibus
Certant triúmpho plaúdere.

CHRISTUS tuum ſit prǽmium,
Quem conſecráſti víctimam;
Dehinc apérto Númine,
Te paſcet eſca Cœlitûm.

ADHUC ſacérdos, hóſtiam
Gratam Deo, nos dévove;
Undíſque merſos naúfragis,
Duc ad ſalútis líttora.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da ſúrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei, ℟. Tu es qui reſtítues hæreditátem meam mihi. *Pſ.* 15. 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Hic eſt fratrum amátor, & pópuli Iſraël; hic eſt qui multùm orat pro pópulo, allelúia. 2. *Mach.* 15. 14.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 7. c. Juſtítia nómine ætérno hæreditábit illum, allelúia. *Eccli.* 15. 6.

Hymnus conveniens.

CAPITULUM. *Eccli.* 5. 9.

SAcrificium juſti accéptũ eſt, & memóriam ejus non oblivíſcétur Dóminus.

℟. *breve.* In manus, *p.* viij.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Dóminus ipſe eſt hæréditas ſacerdótum, allelúia. *Deut.* 18. 2.

Oratio & cætera omnia ut in Proprio de Tempore.

COMMUNE

UNIUS SANCTI ABBATIS,

VEL MONACHI.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 1. *toni* D.

POnet Dóminus desértum Sion quaſi delícias, & ſolitúdinem ejus quaſi hortum Dómini, allelúia. *Iſ.* 51. 3.

Ant. 5. *a.* Gaúdium & lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio & vox laudis, allelúia. *Iſ.* 51. 3.

Ant. 8. G. Germinábit ſicut lílium, & erúmpet radix ejus ut Líbani; ibunt rami ejus, & erit quaſi olíva glória ejus, & odor ejus ut Líbani, allelúia. *Oſee.* 14. 6. 7.

Ant. 5. a. In cubílibus in quibus priùs dracónes habitábant, oriétur viror cálami & junci: & erit ibi sémita & via, & via ſancta vocábitur, allelúia. *Iſ.* 35. 7. 8.

Ant. 1. a. Exultábit ſolitúdo, & florébit quaſi lílium: gérminans germinábit, & exultábit lætabúnda & laudans, allelúia. *Iſ.* 35. 1. 2.

CAPITULUM. *Jer.* 51. 6.

FUgite de médio Babylónis, & ſalvet unuſquíſque ánimam ſuam: nolíte tacére ſuper iniquitátem ejus, quóniam tempus ultiónis eſt à Dómino; viciſſitúdinem ipſe retríbuet ei.

In Duplicibus majoribus, & ſuprà.

℟. Erit opus juſtítiæ pax, * Et cultus juſtítiæ ſiléntium, & ſecúritas uſque in ſempitérnum, allelúia. *Iſ.* 32. 17. ℣. Deus elégit nos in Chriſto, ante mundi conſtitutiónem, ut eſsémus ſancti & immaculáti. *Eph.* 1. 4. * Et cultus. Glória. * Et cultus.

HYMNUS.

TUA beándos glóriâ,
Miris, Deus, probas modis,

Qui, dum lates, præſéntior,
Votis amántûm páſceris.

Procul remóti, súpplices
Tendunt manus, & pátriam
Per vota, per ſuſpíria,
Cœlum ſalútant éxules.

Te ſola mors cùm det frui,
Seſe necant labóribus,
Seſe necant jejúniis,
Et, quâ licet, vellent mori.

Quam morte promptâ férvidi
Emére palmam Mártyres,
Hic doctus in dies mori,
Longo repórtat fúnere.

Da, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphâtâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Si ſit Abbas,

℣. Potens in terra erit ſemen ejus; ℟. Generátio rectórum benedicétur. *Pſ.* 111. 2.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *F.* Multíplicans, inquit Dóminus, multiplicábo ſemen tuum, & non numerábitur præ multitúdine, allelúia. *Gen.* 16. 10.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſì ſit propria.

Si non ſit Abbas,

℣. Pinguéſcent ſpecióſa desérti; ℟. Et exultatióne colles accingéntur. *Pſ.* 64. 13.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. D. Sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ, & in réquie opulénta, allelúia. *Iſ.* 32. 18.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſì ſit propria.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Jeſum qui ductus eſt in desértum à Spíritu, * Veníte, adorémus, allelúia. *Matt.* 4. 1.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

HYMNUS.

O Pulchras ácies, cáſtraque fórtia,
Quæ ſpes, una fides, unus amor regit!
Omnes lege ſub una,
Uno ſub duce mílitant.

Heu! quantis rápiunt aſtra labóribus!
Pulſant perpétuis quéſtibus æthera;
Per jejúnia longa,
Vires córporis átterunt.

Votis unánimes, vi quoque flétuum
Inſtant, & sócias ingéminant preces,
Et concórdibus armis,
Vim cœlo ſimul ínferunt.

Hæc vis grata Deo; ſic amat óptimus
Vinci, per lácrymas, per gémitus, Pater:
Sic duris reſeratur
Cœlum conditiónibus.

Fervent quando die
cuncta tumúltibus,
Altùm turba ſilet; cǽtera
dum tacent,
Hi per cántica rumpunt
Noctis longa ſiléntia.
Exercet vígiles contínuus labor;
Incúmbunt óperi non réſides manus;
Tellus culta colónis
Victum ſuppéditat ſuis.
Quin regína ſuî mens
quoque súbditur,
Rectoríſque ſtudet nútibus
óbſequi,
Nil ſervat ſibi juris,
Capto libérior jugo.
Patri máxima laus;
máxima Filio;
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
Mundum deſpiciéntes
Puro qui flatu récreat.
Amen.

Ant. 8. c. Erat cor unum & ánima una; nec quiſquam eórum quæ poſſidébat, áliquid ſuum eſſe dicébat; ſed erant illis ómnia commúnia, allelúia. *Act.* 4. 32.

Ant. 1. a. Poſſeſſiónes & ſubſtántias vendébant, & dividébant illa ómnibus, próut cuíque opus erat, allelúia. *Act.* 2. 45.

Ant. 6. F. Plorábant, & jejunábant, & orábant in conſpéctu Dómini, allelúia. *Bar.* 1. 5.

℣. Ecce quàm bonum & quàm jucúndum, ℟. Habitáre fratres in unum! *Pſ.* 132. 1.

Si Feſtum ſit Duplex minus aut ſuprà, I. Lectio de Scriptura occurrente, in unam junctis duabus prioribus; II. & III. ut in Proprio Sanctorum. Si verò Feſtum ſit Semiduplex aut Simplex, duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente, III. de Feſto ut in Proprio Sanctorum.

℟. *j.* Iter fecérunt per desérta quæ non habitabántur, * Et in locis desértis fixérunt caſas, allelúia. *Sap.* 11. 2. ℣. In ſolitudínibus errántes, in móntibus & ſpelúncis, & in cavérnis terræ. *Hebr.* 11. 38. * Et in.

℟. *ij.* Perdúxit eos Dóminus tanquam gregem in deſérto, & * Edúxit eos in ſpe, & non timuérunt, allelúia. *Pſ.* 77. 52. 53. ℣. Confiténtes quia peregríni & hóſpites ſunt ſuper terram. *Heb.* 11. 13. * Edúxit.

℟. *iij.* Reliquérunt quæcúmque habébant in civitáte: * Tunc deſcendérunt multi, quæréntes judícium & juſtítiam in deſértum, allelúia. 1. *Mach.* 2. 28. 29. ℣. Grátia magna erat in ómnibus illis. *Act.* 4. 33. * Tunc. Glória. * Tunc. Te Deum.

AD LAUDES
MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Qui timent Dóminum, ſperavérunt in Dómino; ℟. Adjútor eórum & protéctor eórum eſt. *Pſ.* 113. 11.

eum ſuper excélſam terram, ut coméderet fructus agrórum.

℟. *breve.* Beáta gens, cujus eſt Dóminus Deus ejus, * Alleluia, allelúia. ℟. Beáta. ℣. Pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi. * Allelúia. Glória. ℟. Beáta. *Pſ.* 32. 12.

℣. Pinguéſcent ſpecióſa desérti; ℟. Et exultatióne colles accingéntur. *Pſ.* 64. 13.

AD NONAM.

Ant. 8. *g.* Plenam mercédem recípias à Dómino Deo Iſraël ad quem veniſti, & ſub cujus confugíſti alas, allelúia. *Ruth.* 2. 12.

CAPITULUM. *Oſee.* 2. 18.

PErcútiam cum eis fœdus in die illa, cum béſtia agri, & cum vólucre cœli, & cum réptili terræ; & arcum, & gládium, & bellum cónteram de terra, & dormíre eos fáciam fiduciáliter.

℟. *breve.* Clamávi ad te, Dómine; dixi: Tu es ſpes mea, * Allelúia, allelúia. ℟. Clamávi. ℣. Pórtio mea in terra vivéntium. * Allelúia. Glória. ℟. Clamávi. *Pſ.* 141. 6.

℣. Fáciet Dóminus judícium ínopis, ℟. Et vindíctam paúperum. *Pſ.* 139. 13.

AD VESPERAS.

Ant. 8. c. Quid prodeſt hómini, ſi mundum univérſum lucrétur, ánimæ veró ſuæ detriméntum patiátur? allelúia. *Matt.* 16. 26.

Ant. 2. *D.* Qui in carne ſunt, Deo placére non poſſunt, allelúia. *Rom.* 8. 8.

Ant. 6. F. Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixérunt cum vítiis & concupiſcéntiis, allelúia. *Gal.* 5. 24.

Ant. 3. *à.* Qui dicit ſe in Chriſto manére, debet, ſicut ille ambulávit, & ipſe ambuláre, allelúia. 1. *Joan.* 2. 6.

Ant. 5. a. Ubi fúerit ſupérbia, ibi erit & contumélia; ubi autem eſt humílitas, ibi & ſapiéntia, allelúia. *Prov.* 12. 2.

CAPITULUM. *Hebr.* 12. 11.

OMnis diſciplína, in præsénti quidem vidétur non eſſe gaúdii, ſed mœróris; póſteà autem fructum pacatíſſimum exercitátis per eam reddet juſtítiæ.

HYMNUS.

FELICES némorum pángimus íncolas,
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio ſecli
Mores læ̀deret íntegros.
UT te poſsídeant, quem sítiunt, Deum,
Urbes, regna, ſuos, ſe quoque déſerunt:
Totus víluit orbis,
Dum cœléſtia cógitant.
NUDI, prompti, álacres, líberi ab omnibus,
Ad luctam púgiles ócius ádvolant;

Ut vaſtum mare tranent,
Prudéntes onus éxuunt.
Æternas ut opes, cértaque gaúdia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt,
Confiſi melióribus.
Illis ſumma fuit glória, déſpici;
Illis divítiæ, paupériẽ pati;
Illis ſumma volúptas,
Longo ſupplício mori.
Fac nos, ſumme Deus, quæ pátimur mala,
In pœnam ſcélerum ferre libéntiùs;
Et, tellúre relíctâ,
Immortália quǽrere.
Æternus ſit honos ingénito Patri,
Sit par unígenæ glória Fílio;
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus. Amen.

Si ſit Abbas,

℣. Juſtus ut palma florébit; ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. *Pſ.* 91. 13.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. J. Circa illum coróna fratrum, quaſi plantátio cedri in monte Líbano; ſic circa illum ſtetérunt, quaſi rami palmæ, allelúia. *Eccli.* 50. 13. 14.

Si non ſit Abbas,

℣. Dívites eguérunt & eſuriérunt; ℟. Inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono. *Pſ.* 33. 11.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. d. Céntuplum accípiet, & vitam ætérnam poſſidébit, allelúia. *Matt.* 19. 29.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 8. *g.* Bonum eſt viro, cùm portáverit jugum ab adoleſcéntia ſua, allelúia. *Thren.* 3. 27.

Hymnus conveniens.

Capitulum. *Mich.* 2. 10.

SUrgite & ite; quia non habétis hîc réquiem.

℟. *breve.* In manus. *p.* viij.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 2. D. Si quis díligit mundum, non eſt cáritas Patris in eo, allelúia. 1. *Joan.* 2. 15.

Oratio & cætera omnia ut in Proprio de Tempore.

COMMUNE
UNIUS SANCTI LAICI.

IN I. VESPERIS.

Antiphona. 1. *toni. D.*

TEnébit juſtus viam ſuã, & mundis mánibus addet fortitúdinem, allelúia. *Job.* 17. 9.

Ant. 7. G. Timénti Dóminum benè erit, & in diébus conſummatiónis illíus benedicétur, allelúia. *Eccli.* 1. 19.

Ant. 3. *a.* Timor Dómini delectábit cor, & dabit lætítiam, & gaúdium, & lon-

gitúdinem diérum, allelúia. *Eccli.* 1. 12.

Ant. 1. a. Fortitúdo símplicis via Dómini, & pavor his qui operántur malum, allelúia. *Prov.* 10. 29.

Ant. 8. G. Qui confídit in divítiis ſuis, córruet; juſti autem, quaſi virens fólium, germinábunt, allelúia. *Prov.* 11. 28.

CAPITULUM. *Eccli.* 31. 8. 9.

BEátus dives qui invéntus eſt ſinè mácula, & qui poſt aurum non ábiit, nec ſperávit in pecúnia & theſáuris! Quis eſt hic? & laudábimus eum, fecit enim mirabília in vita ſua.

In Duplicibus majoribus & ſuprà.

℟. Qui timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus; * Et qui díligunt illum, conſervábunt viam illíus, allelúia. *Eccli.* 2. 18. ℣. Qui ſervat verbum ejus, verè in hoc cáritas Dei perfécta eſt. 2. *Joan.* 1. 5. * Et qui. Glória. * Et qui.

HYMNUS.

QUANDO, Sancte, tibi ſacra redit dies,
Feſtos Relligio sólvere nos jubet
Cantus, & mémoris prómere quâ licet,
Senſus péctoris íntimos.

TE ſincéra fides, vívida te magìs
Alléctat píetas, hanc puer in ſacris
Non ceſſas ávidus díſcere páginis,
Hanc multâ prece flágitas.

DURATURA diu ſic sólidæ domûs
Fundaménta jacis, quam neque flúminum
Sternat dilúvies, nec fera díſſipet
Ventórum violéntia.

O QUAM ſimplícium candor amábilis
Morum! Quàm métuens vel mínimæ pudor
Labis! Quantus amor cúraque paúperum!
Quàm corpus dapis ábſtinens!

SIT laus ſumma Patri, súmmaque Fílio:
Sit par, alme, tibi laus quoque, Spíritus,
Quo donánte, piis córdibus émicat
Virtútum ſeges ómnium. Amen.

℣. Beátus vir cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus, ℟. Et non reſpéxit in vanitátes & insánias falſas. *Pſ.* 39. 5.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Erit illi glória ætérna, *qui* pótuit tránſgredi, & non eſt tranſgréſſus, fácere mala, & non fecit, allelúia. *Eccli.* 31. 10.

Oratio ut infrà ad Laudes, nisì ſit propria.

COMPLETORIUM *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Remune-

ratórem inquiréntibus ſe Deum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Hebr.* 11. 6.

Pſalmus, Veníte, p. 2.

HYMNUS.

SUMMI puſíllus grex Patris,
Timóre mentem ſólvite;
Sui patérnus vos amor
Vult eſſe regni cómpotes.

EN regnat inter Cœ́lites,
Qui vixit olim ſéculo
Ignótus, exóſus ſibi,
Qui pauper, & ſciens pati.

ANGUSTA pœniténtiæ
Ingréſſus & viam crucis,
Per dura Chriſtum prǽlia,
Per damna, non timet ſequi.

CARNEM terit jejúniis;
Linguam domat ſiléntio;
In paúperum, parcus ſibi,
Abſcóndit & ſpargit ſinu.

SAPORE verbi páſcitur;
Totóque legem péctore
Scrutátus, orat pérvigil,
Mens celſa versátur polo.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ant. 2. D. Cùm requíreret Dóminum, diréxit eum in ómnibus, allelúia. 2. *Par.* 26. 5.

Ant. 4. f. Oculus Dei reſpéxit illum in bono, & eréxit eum ab humilitáte ipſius, allelúia. *Eccli.* 11. 13.

Ant. 8. c. Símilem illum fecit in glória Sanctórum, & magnificávit eum, allelúia. *Eccli.* 45. 2.

℣. Lux orta eſt juſtó, ℟. Et rectis corde lætítia. *Pſ.* 96. 11.

Si Feſtum ſit Duplex minus aut ſuprà, I. Lectio de Scriptura occurrente, in unam junctis duabus prioribus; II. & III. ut in Proprio Sanctorum. Si verò Feſtum ſit Semiduplex aut Simplex, duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente, III. de Feſto ut in Proprio Sanctorum.

℟. *j.* Auris aúdiens beatificábat me, & óculus videns teſtimónium reddébat mihi; * Eò quòd liberáſſem paúperem vociferántem & pupíllum cui non eſſet adjútor, allelúia. *Job.* 29. 11. 12. ℣. In me clarificábant Deum. *Gal.* 1. 24. * Eò quòd.

℟. *ij.* Quàm magnus qui ínvenit ſapiéntiam & ſciéntiam! ſed * Non eſt ſuper timéntem Dóminum, allelúia. *Eccli.* 25. 13. ℣. Símilis eſt hómini ædificánti domum, qui fodit in altum, & póſuit fundaméntum ſuper petram. *Luc.* 6. 48. * Non eſt.

℟. *iij.* Panis ei datus eſt, aquæ ejus fidéles ſunt; * Regem in decóre ſuo vidébunt óculi ejus, allelúia. *Iſ.* 33. 16. 17. ℣. Habet vitam ætérnam, & in ju-

dícium non venit. *Joan.* 5. 24. * Regem. Glória. * Regem.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Prævenísti eum, Dómine, ℟. In benedictiónibus dulcédinis. *Pſ.* 20. 4.

Ant. 5. a. Oratiónes tuæ & eleemóſynæ tuæ aſcendérunt in memóriam in conſpéctu Dei, allelúia. *Act.* 10. 4.

Ant. 1. *D.* Exaudíta eſt orátio tua, & eleemóſynæ tuæ commemorátæ ſunt in conſpéctu Dei, allelúia. *Act.* 10. 31.

Ant. 2. D. Communicátio fidei tuæ évidens fiat, in agnitióne omnis óperis boni, allelúia. *Philem.* 6.

Ant. 7. c. Non arctabúntur.

CANTICUM. *Eccli. c.* 2. *v.* 8. *ad.* 13.

Timoris Domini præmia recenſentur.

QUi timétis Dóminum, crédite illi; * & non evacuábitur merces veſtra.

Qui timétis Dóminum, ſperáte in illum; * & in oblectatiónem véniet vobis miſericórdia.

Qui timétis Dóminum, dilígite illum; * & illuminabúntur corda veſtra.

Reſpícite, filii, natiónes hóminum; * & ſcitóte quia nullus ſperávit in Dómino, & confúſus eſt.

Quis enim permánſit in mandátis ejus, & derelíctus eſt? * aut quis invocávit eum, & deſpéxit illum?

Quóniam pius & miſéricors eſt Deus, & remíttet in die tribulatiónis peccáta; * & protéctor eſt ómnibus exquiréntibus ſe in veritáte.

Ant. Non arctabúntur greſſus tui, & currens non habébis offendículum, allelúia. *Prov.* 4. 12.

Ant. 2. *D.* Indues juſtítiam quaſi podérem honóris, & inhabitábis cum ea, & próteget te in ſempitérnum, & in die agnitiónis invénies firmaméntum, allelúia. *Eccli.* 27. 9.

CAPITULUM. *Gal.* 6. 8.

QUæ ſemináverit homo, hæc & metet; quóniam qui séminat in carne ſua, de carne & metet corruptiónem: qui autem séminat in ſpíritu, de ſpíritu metet vitam ætérnam.

HYMNUS.

NON parta ſolo ſánguine
Ornat Beátos púrpura:
Sunt incruénta, quæ ſuos
Habent triúmphos, prælia.

NON iſte flammas, non cruces,
Non ſentit uncos péctines:
Crudélis & durus ſibi,
Se morte lentá cónficit.

SI lictor illi défuit,
Si vincla, fuſtes, úngulæ;
Paráta pro Chriſto mori,
Hoc ſupplet omne cáritas.

CORPUS ſubégit cáſtitas,
Et líberam mentem fides :
Amor ſupérnis ígnibus
Totam litávit hóſtiam.

VENIS apértis ómnibus,
Qui vellet ultrò erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fuſus in fletum cruor.

DA, Chriſte, ſic nos vívere,
Diſcámus ut ſemper mori :
Da, poſt brevis vitæ dies,
Vitæ perénnis gaúdia.

DA, Chriſte, nos tecum mori :
Tecum ſimul da súrgere :
Terréna da contémnere :
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat :
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Dilígite Dóminum, omnes ſancti ejus; ℟. Quóniam veritátem requíret Dóminus. *Pſ.* 30. 24.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. a. Ambulávit, Dómine, in conſpéctu tuo in veritáte, & juſtítia, & recto corde tecum : cuſtodíſti ei miſericórdiam tuam grandem, allelúia. 3. *Reg.* 3. 6.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, miſéricors Deus, ut quam fidélis ſervus tuus *N.* accépit à juſto Júdice corónam, eámdem & nos, ejus interceſſióne, poſt conſummátum rite curſum, recípere mereámur; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 5. a. Oratiónes tuæ & eleemóſynæ tuæ aſcendérunt in memóriam in conſpéctu Dei, allelúia. *Act.* 10. 4.

CAPITULUM. *Eccli.* 17. 18.

ELeemóſyna viri quaſi ſignáculum cum ipſo, & grátiam hóminis quaſi pupíllam conſervábit.

℟. *breve.* Chriſte, Fili, *p.* v.

Cœtera ut in Proprio de Tempore.

AD TERTIAM.

Ant. 1. *D.* Exaudíta eſt orátio tua, & eleemóſynæ tuæ commemorátæ ſunt in conſpéctu Dei, all. *Act.* 10. 31.

CAPITULUM. *Act.* 10. 2.

ERat religióſus ac timens Deum cum omni domo ſua, fáciens eleemóſynas multas plebi, & déprecans Deum ſemper.

℟. *breve.* Diſpérſit dedit paupéribus, * Allelúia, allelúia. ℟. Diſpérſit. ℣. Juſtítia ejus manet in séculum séculi. * Allelúia. Glória. ℟. Diſpérſit. *Pſ.* 111. 9.

℣. Cornu ejus exaltábitur in glória; ℟. Peccátor vidébit, & iraſcétur. *Pſ.* 111. 9. 10.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Communicátio fídei tuæ évidens fiat in agnitióne omnis óperis boni, allelúia. *Philem.* 6.

CAPITULUM. *Phil.* 2. 12. 13.

CUm metu & tremóre veſtram ſalútem operámini : Deus eſt enim qui operátur in vobis, & velle, &

perfícere, pro bona voluntáte.

℟. *breve.* In memória ætérna erit juſtus, * Allelúia, allelúia. ℟. In memória. ℣. Ab auditióne mala non timébit. * Allelúia. Glória. ℟. In memória. *Pſ.* 111. 7.

℣. Ecce ſic benedicétur homo, ℟. Qui timet Dóminum. *Pſ.* 127. 4.

AD NONAM.

Ant. 2. *D.* Indues juſtítiam quaſi podérem honóris, & inhabitábis cum ea, & próteget te in ſempitérnum, & in die agnitiónis invénies firmaméntum, allelúia. *Eccl.* 27. 9.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 3. 10. 11.

QUi vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, coérceat linguam ſuam à malo, & lábia ejus ne loquántur dolum; declínet à malo, & fáciat bonum; inquírat pacem, & ſequátur eam.

℟. *breve.* Juſtus ut palma florébit, * Allelúia, allelúia. ℟. Juſtus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. * Allelúia. Glória. ℟. Juſtus. *Pſ.* 91. 13.

℣. Jucúndus homo qui miſerétur & cómmodat, ℟. Diſpónet ſermónes ſuos in judício, quia in ætérnum non commovébitur. *Pſ.* 111. 5. 6.

AD VESPERAS.

Ant. 4. f. Non eſt diſcípulus ſuper magíſtrum; perféctus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magíſter ejus, allelúia. *Luc.* 6. 40.

Ant. 7. d. Regnum cœlórum vim pátitur, & violénti rápiunt illud, all. *Matt.* 11. 12.

Ant. 2. D. Inítium viæ bonæ, fácere juſtítiam: accépta eſt autem apud Deum, magìs quàm immoláre hóſtias, allelúia. *Prov.* 16. 5.

Ant. 1. a. Qui in hoc ſervit Chriſto, placet Deo, & probátus eſt homínibus, allelúia. *Rom.* 14. 18.

Ant. 8. c. Quæ pacis ſunt, ſectémur; & quæ ædificatiónis ſunt, in ínvicem cuſtodiámus, allel. *Rom.* 14. 19.

CAPITULUM. *Jac.* 1. 27.

REligio munda & immaculáta apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitáre pupíllos & víduas in tribulatióne eórum, & immaculátum ſe cuſtodíre ab hoc ſǽculo.

HYMNUS.

QUi te, Deus, ſub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suſpírat, oblítus ſuî.

QUID ergo gaudes néctere
Triſtes moras amántibus?
Terris retárdas éxules,
Cives polo quos déſtinas.

HINC fervet in dies amor,
In vota toti díffluunt;
Ad aſtra feſtinántibus
Fit pœna vita lóngior.

VIX iſte tardi córporis
Pondus moléſtum ſuſtinet;
Mortis diem præóccupat,
Ardens Deo ſe júngere.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da ſurgere:

Terréna da contémnere :
Amáre da cœléſtia.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat :
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Beáti omnes qui timent Dóminum, ℟. Qui ámbulant in viis ejus. *Pſ.* 127. 1.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. C. Nemo mittens manum ſuam ad arátrum & reſpíciens retrò, aptus eſt regno Dei, allelúia. *Luc.* 9. 62.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 3. *a.* Opus juſti ad vitam : fructus autem ímpii ad peccátum, allelúia. *Prov.* 10. 16.

Hymnus conveniens.

CAPITULUM. *Coloſſ.* 3. 2. 3.

QUæ ſursùm ſunt, ſápite, non quæ ſuper terram : mórtui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcóndita cum Chriſto in Deo.

℟. *breve.* In manus, *p.* viij.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 6. F. Locútus eſt Jeſus, dicens : Ego ſum lux mundi : qui ſéquitur me, non ámbulat in ténebris, allelúia. *Joan.* 8. 12.

Oratio & cætera omnia ut in Proprio de Tempore.

COMMUNE
UNIUS SANCTÆ VIRGINIS.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 3. *toni* a.

QUid bonum Dómini eſt, & quid pulchrum ejus, niſi fruméntum electórum, & vinum gérminans vírgines ? allelúia. *Zach.* 9. 17.

Ant. 4. c. Bonórum labórum glorióſus eſt fructus, & quæ non cóncidat, radix ſapiéntiæ, allelúia. *Sap.* 3. 15.

Ant. 6. F. Immortális eſt memória illíus ; quóniam & apud Deum nota eſt, & apud hómines, allelúia. *Sap.* 4. 1.

Ant. 1. f. Dábitur ei fídei donum eléctum, & ſors *in templo Dei* acceptíſſima, *allelúia. Sap.* 3. 14.

Ant. 8. *g.* Lucérna ſplendens ſuper candelábrum ſanctum, & ſpécies faciéi ſuper ætátem ſtábilem, allelúia. *Eccli.* 26. 22.

CAPITULUM. *Oſee.* 2. 19. 20.

SPonsábo te mihi in ſempitérnum : & ſponsábo te mihi in juſtítia & judício, & in miſericórdia, & in miſeratiónibus : & ſponsábo te mihi in fide ; & ſcies quia ego Dóminus.

In Duplicibus majoribus & ſuprà.

℟. Cuſtodítio legum conſummátio incorruptiónis eſt ;* Incorrúptio autem facit eſſe próximum Deo, al-

leluia. *Sap.* 6. 19. 20. ℣. Beáti mundo corde, quóniam ipſi Deum vidébunt. *Matt.* 5. 8. * Incorrúptio. Glória. * Incorrúptio.

Si ſit Martyr,

HYMNUS.

ADESTE, Sponſæ Vírgines,
Chriſti gregis pars óptima,
O vos, furóris víctimæ!
O vos, amóris hóſtiæ!

ADESTE, ſolémnis dies
Hæc conſecráta Vírgini,
Quæ dúplicem geſtat ſuo
Tinctam cruóre laúream.

INTER choros cantántium
Agno litáto, Vírginum,
Hæc jure fuſi sánguinis,
Virgo ſedet non última.

QUÆ córpori pœnæ nocent,
Illas amans ampléctitur;
His nempè pœnis líbera,
Mortále corpus éxuit.

PRIMIS ab annis quam ſibi
Amóre Chriſtus júnxerat,
Illi fidem ſervat tenax,
Deo ſupérba cónjuge.

AMAT roſas & lília
Sponſus rubens & cándidus;
Martyr dedit Sponſo roſas,
Dedítque Virgo lília.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in ætérnum erit; ℟. Non confundéntur in témpore malo. *Pſ.* 36. 18. 19.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *F.* Infirma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia, allelúia. 1. *Cor.* 1. 27.

Oratio infrà ad Laudes, niſì ſit propria.

Si non ſit Martyr,

HYMNUS.

VOs, ô Virgínei, cum cýtharis, chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponſum virgíneo progénitum ſinu
Puris tóllite laúdibus.

VIRGO blandítias inter amábiles,
Faſtus, alta petens, déſpicit óbvios;
Ardet digna Deo cónjuge, nóbiles
Toto péctore núptias.

PURUM ne máculent pectus imágines,
In ſe tota, ſui córporis ímmemor,
Mens ſeſe récipit, nil óculi vident,
Surdis nil ſonat aúribus.

ÆGRO vix ſua ſunt pábula córpori,
Ardet mille modis ante diem mori:
Quidquid mors rápiet, jam ſibi prærípit;
Unus ſit Deus ómnia.

FAC, ô Chriſte! tuæ Vírginis æmulos
Hâc nos ire tibi, quâ gráditur viâ;
Qui gens ſancta ſumus, nob-

ribus íntegris
Fac ſoli tibi vívere.
Da te, ſumme Pater, tóllere laúdibus;
Da te, Chriſte, ſequi, laúrea Vírginum;
Fac incénſa tuis, Spíritus, árdeant
Flammis frígida péctora. Amen.

℣. Afferéntur in lætítia & exultatióne; ℟. Adducéntur in templum Regis. *Pſ.* 44. 16.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Hæc dicit Dóminus: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen mélius à fíliis & filiábus, nomen ſempitérnum, allelúia. *Iſ.* 56. 5.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſì ſit propria.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Agnum quem ſequúntur Vírgines,* Veníte, adorémus, allelúia. *Apoc.* 14. 4.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

Si ſit Martyr,

Hymnus.

Virginum robur, Deus, atque cuſtos,
Sexus imbéllis, médios per enſes,
Dum faves, quas non súperat viríli
Péctore mortes!

Pro tuis aris animóſa Virgo
Molle dat pœnis laceráre corpus;
Non ſuos ſentit, memor ô! tuórum,
Chriſte, dolórum.

Non graves plagæ, válidi nec ictus,
Integram poſſunt violáre mentem:
Quin ſacri creſcit magìs obſtinátus
Ardor amóris.

Sponsa dilécto placitúra Sponſo,
Déſpicit ruptum laniáta corpus:
Eſt ſuus truncis honor, & venúſtas
Eſt ſua membris.

Summa laus Patri, genitóque Verbo;
Et tibi compar, utriúſque Nexus;
Fac tibi ſemper placeámus uni,
Móribus æquis. Amen.

Si non ſit Martyr,

Hymnus.

Cœlestis aula pánditur;
En Sponſus. Omnes óbviæ
Exíte ſponſo Vírgini,
Exíte, ſponſæ Vírgines.

Hæc nuptiális eſt dies,
Quæ, longa poſt ſuſpíria,
Dat ómnibus, dat ſíngulis
Jam pléniùs frui Deo.

Quæ caſta vobis gaúdia,
Quos afflet ignes, dícite:
Ab ore cujus púrior
Torrens volúptas éffluit?

Hunc propter unum víluit
Supérba regum púrpura:
Dotáta quæ ſponſo Deo,
Quid Virgo terris ámbiat?

O Virginales nuptiæ

Per quas caro fit ſpíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!
Da, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ant. 5. a. Lumen ejus símile lápidi pretióſo, tanquam lápidi jáſpidis, ſicut cryſtállum, allelúia. *Apoc.* 21. 11.

Ant. 4. a Cláritas Dei illuminávit eam; & lucérna ejus eſt Agnus, allelúia. *Apoc.* 21. 23.

Ant. 2. D. O quàm pulchra eſt caſta generátio cum claritáte! allelúia. *Sap.* 4. 1.

℣. Corónat te Dóminus in miſericórdia, ℟. Et miſeratiónibus. *Pſ.* 102. 4.

Si Feſtum ſit Duplex minus aut ſuprà, I. Lectio de Scriptura occurrente, in unam junctis duabus prioribus; II. & III. ut in Proprio Sanctorum. Si verò Feſtum ſit Semiduplex aut Simplex, duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente, III. de Feſto ut in Proprio *Sanctorum.*

℟. *j.* Ingréſſus ſum pactum tecum, ait Dóminus Deus: * Et facta es mihi, allelúia. *Ezech.* 16. 8. ℣. Scient quia ego diléxi te. *Apoc.* 3. 9. * Et facta es.

℟. *ij.* Dedi inaúrem ſuper os tuum, & círculos aúribus tuis, * Et corónam decóris in cápite tuo, allelúia. *Ezech.* 16. 12. ℣. Dabit tibi Dóminus in ómnibus intelléctum. 2. *Tim.* 2. 7. * Et.

℟. *iij.* Induit me Deus veſtiméntis ſalútis, & * Induménto juſtítiæ circúmdedit me, quaſi ſponſum decorátum corónâ, & quaſi ſponſam ornátam monílibus ſuis, allelúia. *Iſ.* 61. 10. ℣. Potens eſt depóſitum meum ſerváre in illum diem. 2. *Tim.* 1. 12. * Induménto. Glória. * Induménto.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Júvenes & vírgines, ſenes cum junióribus, ℟. Laudent nomen Dómini. *Pſ.* 148. 12.

Ant. 6. F. Lauda, fília Sion: júbila, Iſraël; lætáre & exúlta in omni corde, fília Jerúſalem, allelúia. *Soph.* 3. 14.

Ant. 5. a. Dóminus Deus tuus ipſe eſt vita tua, & longitúdo diérum tuórum, allelúia. *Deut.* 30. 20.

Ant. 2. D. Ipſe eſt Pater tuus, qui poſſédit te, & fecit & creávit te, allelúia. Deut. 32. 6.

Ant. 3. a. Sit Dóminus

CANTICUM. *Iſaiæ. c. 61. v. 10. ad finem.*

Virgo Deo gratias agit pro donis ſibi collatis.

GAudens gaudébo in Dómino, * & exultábit ánima mea in Deo meo;

Quia índuit me veſtiméntis ſalútis, * & induménto juſtitiæ circúmdedit me,

Quaſi ſponſum decorátum coronâ, * & quaſi ſponſam ornátam monílibus ſuis.

Sicut enim terra profert germen ſuum, * & ſicut hortus ſemen ſuum gérminat,

Sic Dóminus Deus germinábit juſtítiam & laudem, * coram univérſis géntibus.

Ant. Sit Dóminus Deus tuus benedíctus, cui complacuíſti, & póſuit te ſuper thronum, allelúia. 3. *Reg.* 10. 9.

Ant. 1. a. Dominábitur tuî qui fecit te; Dóminus exercítuum nomen ejus, allelúia. *Iſ.* 54. 5.

CAPITULUM. *Sap.* 8. 21.

SCivi quóniam áliter non poſſem eſſe cóntinens, niſi Deus det: & hoc ipſum erat ſapiéntiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum.

Si ſit Martyr,

HYMNUS.

QUID ſacram, Virgo,
generóſa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices
corónæ?
*Nempè non unum gémino
repórtas
Hoſte triúmphum.*

MOLLIOR fregit neque
te volúptas;
Impotens flexit neque te
tyránnus;
Tu graves pœnas, paritérque blandos
Vincis amóres.

LILIIS Sponſus récubat
roſíſque:
Tu, tuo ſemper benè fida
Sponſo,
Et roſas, Martyr, ſimul &
dedíſti
Lília, Virgo.

SUMMA laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar utriúſque
Nexus;
Fac tibi ſemper placeámus
uni,
Móribus æquis.
Amen.

℣. Deus præcínxit me virtúte, ℟. Et póſuit immaculátâ viam meam. *Pſ.* 17. 33.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. a. Confírma me, Dómine, Deus Iſraël, & réſpice in hac hora ad ópera mánuum meárum, allel. *Judith.* 13. 7.

Oratio.

DEus, qui inter cǽtera poténtiæ tuæ miráculа, étiam in ſexu frágili victóriam martýrii contuliſti; concéde propítius, ut qui beátæ *N.* Vírginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur; Per Dóminum noſtrum.

Alia Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, cujus múnere beáta N. in virginitátis præ

póſito, & in confeſſióne fídei roboráta, virginitátis ac martýrii palmam adépta eſt; da nobis ità córporis ac mentis integritátem ſerváre, ut nec blandítiis carnis, nec malórum acerbitáte vincámur; Per Dóminum.

Si non ſit Martyr,

HYMNUS.

O VIRGO, pectus cui ſacrum
Amóris expers ímprobi,
Intùs ſuis ardóribus
Sanctus perúſſit Spíritus!
NON te volúptas dúlcibus
Fallax venénis mólliit,
Solas amántem pérſequi
Cœléſtis Agni núptias.
SIC ille Natus Vírgine
Suo decóre céperat;
Ut ejus ardens ígnibus
Mundána cuncta témneres.
BEATA cui nunc, Cœ́litûm
Inter canéntium choros,
Cœlo licet perénnibus
Sponſi potíri gaúdiis.
DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.
SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Lætábor & exultábo in te; ℟. Pſallam nómini tuo, Altíſſime. *Pſ.* 9. 3.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. J. *Tu ſcis, Dómine, quia nunquam concupívi virum, &* mundam ſervávi ánimam meam ab omni concupiſcéntia, allelúia. *Tob.* 3. 16.

Oratio.

FIdéles tuos, quǽſumus, Dómine, intercedénte beátâ *N.* Vírgine tuâ, córpore páriter & mente puríſica; ut tuâ inſpiratióne compúncti, nóxias delectatiónes vitáre præváleant; atque ut eárum non capiántur illécebris, tuâ ſemper ſuavitáte paſcántur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEus, qui habitáculum tuum in corde pudíco conſtituíſti; concéde, ut qui fidélis ſponſæ tuæ *N.* puritátem húmili venerámur obséquio, piæ devotiónis ſequámur exémplo; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 6. F. Lauda, fília Sion: júbila, Iſraël; lætáre & exúlta in omni corde, fília Jerúſalem, allelúia. *Soph.* 3. 14.

CAPITULUM. 2. *Reg.* 22. 20. 21.

QUia complácui ei, retríbuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtítiam meam, & ſecúndùm mundítiam mánuum meárum reddet mihi.

℟. *breve.* Chriſte, Fili, *p. v.*

Cœtera ut in Proprio de Tempore.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Dóminus Deus tuus ipſe eſt vita tua,

longitúdo diérum tuórum, allelúia. *Deut.* 30. 20.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 7. 38.

QUi matrimónio jungit vírginem ſuam, benè facit; & qui non jungit, méliùs facit.

℟. *breve.* Mihi adhærére Deo bonum eſt, * Allelúia, allelúia. ℟. Mihi. ℣. Pónere in Dómino Deo ſpem meam. * Allelúia. Glória. ℟. Mihi. *Pſ.* 72. 28.

℣. Fiat cor meum immaculátum in juſtificatiónibus tuis, Dómine; ℟. Ut non confúndar. *Pſ.* 118. 80.

A D S E X T A M.

Ant. 2. D. Ipſe eſt Pater tuus qui poſsédit te, & fecit & creávit te, allelúia. *Deut.* 32. 6.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 7. 7. 8.

UNuſquíſque próprium donum habet ex Deo, álius quidem ſic, álius verò ſic: dico autem non nuptis & víduis: Bonum eſt illis, ſi ſic permáneant.

℟. *breve.* Dóminus cuſtódit te, Dóminus protéctio tua, * Allelúia, allelúia. ℟. Dóminus. ℣. Super manum déxteram tuam. * Allelúia. Glória. ℟. Dóminus. *Pſ.* 120. 5.

℣. Per diem ſol non uret te, ℟. Neque luna per noctem. *Pſ.* 120. 6.

A D N O N A M.

Ant. 1. a. Dominábitur tuî *qui fecit te;* Dóminus *exercítuum* nomen ejus, *allelúia. Iſ.* 54.

CAPITULUM. *Joſ.* 13. 33.

DOminus Deus Iſraël ipſe eſt poſséſſio ejus, ut locútus eſt illi.

℟. *breve.* Pſallam & intélligam in via immaculáta, * Allelúia, allelúia. ℟. Pſallam. ℣. Quando vénies ad me. * Allelúia. Glória. ℟. Pſallam. *Pſ.* 100. 1. 2.

℣. Quæ eſt expectátio mea? ℟. Nónne Dóminus? *Pſ.* 38. 8.

A D V E S P E R A S.

Ant. 8. *g.* Qui ſinè uxóre eſt, ſollícitus eſt quæ Dómini ſunt, quómodo pláceat Deo, allelúia. 1. *Cor.* 7. 32.

Ant. 2. D. Qui cum uxóre eſt, ſollícitus eſt quæ ſunt mundi, quómodo pláceat uxóri, & divíſus eſt, allelúia. 1. *Cor.* 7. 33.

Ant. 3. *a.* Virgo cógitat quæ Dómini ſunt, ut ſit ſancta córpore & ſpíritu, allelúia. 1. *Cor.* 7. 34.

Ant. 5. a. Quæ nupta eſt, cógitat quæ ſunt mundi, quómodo pláceat viro, allelúia. 1. *Cor.* 7. 34.

Ant. 1. g. Non omnes cápiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt, allelúia. *Matt.* 19. 11.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 7. 25.

DE virgínibus præcéptum Dómini non hábeo; consílium autem do, tanquam miſericórdiam conſecútus à Dómino, ut ſim fidélis.

Si ſit Martyr,

HYMNUS.

FESTIS læta ſonent æthera cántibus:
Nunc aptáre tubas, súmite týmpana,
Cœtus Angélici; dícite Vírginem,
Chriſti dícite Mártyrem.

VESTRIS illa fuit débita cœ́tibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis ǽmula,
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

SED quid cogis, amor! fórtiter ámbiit
Sponſo virgíneum fúndere ſánguinem;
Oblíti méminit tunc benè córporis,
Præclára ſítiens necis.

SIC, quâ parte minor, vos ſuperéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna ſui córporis, íntegram
Teſtári Dómino fidem.

PATRI máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
Per quem magnánimæ prǽlia ſúſtinent,
Spreto fúnere, Vírgines.
Amen.

℣. Secúndùm puritátem mánuum meárum; ℟. Retríbuet mihi Dóminus. Pſ. 17. 21.

Ad Magníficat, *Ant.* 2.

D. Fecíſti viríliter, & confortátum eſt cor tuum, eò quòd caſtitátem amáveris, allelúia. *Judith.* 15. 11.

Si non ſit Martyr,

HYMNUS.

NON vana diléctum gregem
Pavére mundi gaúdia;
Nec pura fallax péctora
Imágo luſit séculi.

SED hæc tuárum própria
Sunt, Chriſte, ſponsárum bona,
Te ſemper, & tecum tuis
In te potíri gaúdiis.

CASTIS vicíſſim tu tibi
In córdibus thorum ſtruis;
Intérque flammas íntimo
Amans quiéſcis in ſinu.

HIC unus eſt ſponſis amor,
Unúſque tecum ſpíritus,
Beáſque Sponſus ſíngulas,
In téque transfórmas, Deus.

TE deprecámur ſúpplices,
Noſtris ut addas ſénſibus,
Neſcíre prorsùs ómnia
Corruptiónis vúlnera.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da ſúrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Conféſſio & pulchritúdo in conſpéctu ejus; ℟. Sanctimónia & magnificéntia in ſanctificatióne ejus. Pſ. 95. 6.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *F.* Venit ſponſus; & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, & clauſa eſt jánua, allel. *Matt.* 25. 10.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 1. g. Gaúdio gaudet propter vocem Sponſi, allelúia. *Joan.* 3. 29.

Hymnus conveniens.

CAPITULUM. *Eccli.* 39. 19.

FLoréte, flores, quaſi lílium, & date odórem, & frondéte in grátiam, & collaudáte cánticum, & benedícite Dóminum in opéribus ſuis.

℟. *breve.* In manus, *p.* viij.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. In reſurrectióne, neque nubent, neque nubéntur, ſed erunt ſicut Angeli Dei, allelúia. *Matt.* 22. 30.

Oratio & cætera omnia ut in Proprio de Tempore.

COMMUNE
UNIUS SANCTÆ MULIERIS.

IN I. VESPERIS.

Antiphona 1. *toni* a.

SIcut ſol óriens mundo in altíſſimis Dei, ſic mulíeris bonæ ſpécies, in ornaméntum domûs ejus, allelúia. *Eccli.* 26. 21.

Ant. 4. f. Domus & divítiæ dantur à paréntibus; à Dómino autem própriè uxor prudens, allelúia. *Prov.* 19. 14.

Ant. 2. D. Múlier fortis oblectat virum ſuum, & annos vitæ illíus in pace implébit, allelúia. *Eccli.* 26. 2.

Ant. 7. D. Grátia ſuper grátiam, múlier ſancta & pudoráta, allelúia. *Eccli.* 26. 19.

Ant. 3. *a.* Fundaménta ætérna ſuper petram ſólidam, & mandáta Dei in corde mulíeris ſanctæ, allelúia. *Eccli.* 26. 24.

CAPITULUM. *Prov.* 31. 10. 11.

MUlíerem fortem quis invéniet? procul & de últimis fínibus prétium ejus: confídit in ea cor viri ſui, & ſpóliis non indigébit.

In Duplicibus majoribus & ſuprà.

℟. Fallax grátia, & * Vana eſt pulchritúdo; múlier timens Dóminum, ipſa laudábitur, allelúia. *Prov.* 31. 30. ℣. Non ſit extrínſecùs capillatúra, aut circumdátio auri, aut induménti veſtimentórum cultus. 1. *Petr.* 3. 3. * Vana. Glória. * Vana.

HYMNUS.

AD núptias Agni Pater
Matres & innúptas vocat:
O te beátam, cui thorus
Intérque ſponſas ſors datur!
Lex nuptiárum, cáritas;

Dos magna, paupértas, tibi,
Calcáre falláces opes,
Cadúca corde ſpérnere.

Te multus oblécat labor,
Fusǽque jejúnam preces:
Te pœniténtem lácrymæ;
Te cura paúperum juvat.

Quaecumque confixam ſibi,
Per probra Sponſam, per cruces,
Trahit Magíſter; & ſequi
Deſpécta gaudes, & pati.

Beata quæ ſponſo Deo
Caſtis adhǽret vínculis:
Sic corpus unum póſſumus,
Sic unus eſſe ſpíritus.

Da, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Si ſit Martyr,

℣. Factus es, Dómine, ſpes mea, ℟. Turris fortitúdinis à fácie inimíci. *Pſ.* 60. 4.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *F.* Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, & in témpore ſuperbórum, ſinè adjutório, allelúia. *Eccli.* 51. 14.

Oratio ut infrà ad Laudes, nisì ſit propria.

Si non ſit Martyr,

℣. Avérte, Dómine, óculos meos, ne vídeant vanitátem; ℟. In via tua vivífica me. *Pſ.* 118. 37.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. *F.* Pars bona múlier bona; in parte timéntium Deum, dábitur viro pro factis bonis, allelúia. *Eccli.* 26. 3.

Oratio ut infrà ad Laudes, nisì ſit propria.

Completorium *habetur poſt ſecundas Veſperas.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Deum in quo ſperant ſanctæ mulíeres, * Veníte, adorémus, allelúia. 1. *Petr.* 3. 5.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

Hymnus.

Adeste, ſanctæ cónjuges,
En illa fortis Fémina,
Ornáta quæ virtútibus,
Triúmphat inter Cœlites.

Non illa luxu véſtium,
Non crine torto ſpléndui;
Cultu nitens ſed símplice,
Puris placébat móribus.

Se ſub ſerénis vúltibus,
Auſtéra virtus ócculit;
Timet vidéri, ne ſuum,
Dum prodit, amíttat decus.

Pascenda cœléſti cibo,
Sacris ſtudébat lítteris;
Templo frequens, ſed ſédula
Redíbat ad curam domûs.

Da, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:

Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

Ant. 1. a. Multæ fíliæ congregavérunt divítias; tu ſupergréſſa es univérſas, allelúia. *Prov.* 31. 29.

Ant. 7. *d.* Deus patrum noſtrórum det tibi grátiam, & omne consílium tui cordis ſuâ virtúte corróborèt, allelúia. *Judith.* 10. 8.

Ant. 8. *g.* Deus oſténdet ſplendórem ſuum in te, omni qui ſub cœlo eſt, allelúia. *Bar.* 5. 3.

℣. Anima ejus in bonis demorábitur, ℟. Et ſemen ejus hæreditábit terram. *Pſ.* 24. 13.

Si Feſtum ſit Duplex minus aut ſuprà, I. Lectio de Scriptura occurrente, in unam junctis duabus prioribus; II. & III. ut in Proprio Sanctorum. Si verò Feſtum ſit Semiduplex aut Simplex, duæ priores Lectiones de Scriptura occurrente, III. de Feſto ut in Proprio Sanctorum.

℟. *j.* Nunquam cum ludéntibus míſcui me, neque cum his qui in levitáte ámbulant partícipem me præbui; * Virum autem cum timóre tuo, Dómine, non cum libídine mea, conſénſi ſuſcípere, allelúia. *Tob.* 3. 17. 18. ℣ Curſum conſummávi, fidem ſervávi. 2. *Tim.* 4. 7. * Virum.

℟. *ij.* Manus Dómini confortávit te; & * Ideò eris benedícta in ætérnum, allelúia. *Judith.* 15. 11. ℣. O Múlier! magna eſt fides tua. *Matt.* 15. 28. * Ideò.

℟. *iij.* Tu glória Jeruſalem, * Tu lætítia Iſraël, tu honorificéntia pópuli noſtri, allelúia. *Judith.* 15. 10. ℣. Fides tua te ſalvam fecit. *Luc.* 7. 50. * Tu lætítia. Glória. * Tu lætítia.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Laudatiónem Dómini loquétur os meum; ℟. Et benedícat omnis caro nómini ſancto ejus. *Pſ.* 144. 21.

Ant. 1. f. Gloriétur ſuper te Jerúſalem, & ſit nomen tuum in número ſanctórum & juſtórum, allelúia. *Judith.* 10. 8.

Ant. 3. *a.* Addúcet Dóminus filios tuos ad te, portátos in honóre, ſicut fílios regni, allelúia. *Bar.* 5. 6.

Ant. 4. f. Gaudébit ſuper te Dóminus Deus tuus in lætítia, ſilébit in dilectióne ſua, exultábit ſuper te in laude, allelúia. *Soph.* 3. 17.

Ant. 8. d. Indue te.

Canticum. *Prov. c.* 31. *v.* 26. *ad finem.*

Mulieris fortis encomium.

OS ſuum apéruit ſapiéntiæ (múlier fortis,) * & lex cleméntiæ in lingua ejus.

Conſiderávit sémitas domûs ſuæ, * & panem otióſa non comédit.

Surrexérunt fílii ejus, & beatiſſimâ prædicavérunt; * vir ejus, & laudávit eam.

Multæ fíliæ congregavérunt divítias : * tu ſupergréſſa es univérſas.

Fallax grátia, & vana eſt pulchritúdo : * múlier timens Dóminum ipſa laudábitur.

Date ei de fructu mánuum ſuárum : * & laudent eam in portis ópera ejus.

Ant. Indue te decóre & honóre ejus, quæ à Deo tibi eſt, ſempitérnæ glóriæ, allelúia. *Bar.* 5. 1.

Ant. 5. a. Ora pro nobis, quóniam múlier ſancta es, allelúia. *Judith.* 8. 29.

CAPITULUM. 1. *Tim.* 2. 15.

SAlvábitur múlier per filiórum generatiónem, ſi permánſerit in fide, & dilectióne, & ſanctificatióne cum ſobrietáte.

HYMNUS.

ARDET Deo quæ fémina,
Latére fruſtrà cógitat:
Quot indigéntes súblevat,
Tot próditur præcónibus.

PRODESSE quærit ómnibus,
Curis honéſtis ánxia;
Patróna, cuſtos vírginum,
Secúnda mater órphanis.

PANNIS laténtem vílibus,
Chriſtum fovébat hóſpitem:
Quas dura ſubſtráxit ſibi,
Opes refúndit pródiga.

PACEM domi, pacem foris,
Alto colit ſiléntio;
Lites amat compónere,
Ut una mens ſit ómnibus.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

Si ſit Martyr,

℣. Miſericórdia tua, Dómine, ſubſequétur me, ℟. Omnibus diébus vitæ meæ. *Pſ.* 22. 6.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam adjútor & protéctor factus es mihi, & liberáſti corpus meum à perditióne, allelúia. *Eccli.* 51. 2. 3.

Oratio.

DEus, cujus grátiâ, virtus in infirmitáte perfícitur; largíre nobis, quǽſumus, beátæ *N.* Mártyris tuæ triúmphum recoléntibus, ut quæ à te accépit, ut vínceret, à te quoque vincéndi grátiam nobis obtíneat; Per Dóminum.

Si non ſit Martyr,

℣. Anima mea Dómino vivet; ℟. Et ſemen meum sérviet ipſi. *Pſ.* 21. 31.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. * Invéni grátiam apud óculos tuos, Dómine mi, qui conſolátus es me, & locútus es ad cor ancíllæ tuæ, allelúia. *Ruth.* 2. 13.

Oratio.

TUórum corda fidélium, Deus miſerátor, illúſtra; & beátæ N. précibus ac méritis, fac nos terréna

deſpícere, & amáre cœléſtia; Per Dóminum noſtrum.

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. Gloriétur ſuper te Jerúſalem, & ſit nomen tuum in número ſanctórum & juſtórum, allelúia. *Judith.* 10. 8.

CAPITULUM. 1. *Tim.* 2. 8. 9.

VOlo viros oráre in omni loco levántes puras manus, ſinè ira & diſceptatióne: ſímiliter & mulíeres in hábitu ornáto, cum verecúndia & ſobrietáte ornántes ſe, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veſte pretióſa.

℟. *breve.* Chriſte, Fili, *p.* v.

Cœtera ut in Proprio de Tempore.

AD TERTIAM.

Ant. 3. *a.* Addúcet Dóminus fílios tuos ad te, portátos in honóre, ſicut fílios regni, allelúia. *Bar.* 5. 6.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 11. 3.

VOlo vos ſcire quòd omnis viri caput Chriſtus eſt: caput autem mulíeris vir, caput verò Chriſti Deus.

℟. *breve.* Dómine Deus ſalútis meæ, in die clamávi, * Allelúia, allelúia. ℟. Dómine. ℣. Et nocte coram te. * Allelúia. Glória. ℟. Dómine. *Pſ.* 87. 2.

℣. Apud me orátio Deo vitæ meæ; ℟. Dicam Deo: *Suſcéptor meus es. Pſ.* 41. 9. 10.

AD SEXTAM.

Ant. 4. f. Gaudébit ſuper te Dóminus Deus tuus in lætítia, ſilébit in dilectióne ſua, exultábit ſuper te in laude, allelúia. *Soph.* 3. 17.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 3. 1. 2.

MUlíeres súbditæ ſint viris ſuis: ut & ſi qui non credunt verbo, per mulíerum converſatiónem ſinè verbo lucrifíant, conſiderántes in timóre caſtam converſatiónem veſtram.

℟. *breve.* Exultábo & lætábor in miſericórdia tua, Dómine, * Allelúia, allelúia. ℟. Exultábo. ℣. Quóniam reſpexíſti humilitátem meam. * Allelúia. Glória. ℟. Exultábo. *Pſ.* 30. 8.

℣. Ad ómnia mandáta tua dirigébar; ℟. Omnem viam iníquam ódio hábui. *Pſ.* 118. 128.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Ora pro nobis, quóniam múlier ſancta es, allelúia. *Judith.* 8. 29.

CAPITULUM. *Eccli.* 35. 21. 22.

ORátio humiliántis ſe nubes penetrábit; & donec propínquet, non conſolábitur; & non diſcédet, donec Altíſſimus aſpíciat; & Dóminus non elongábit.

℟. *breve.* Benedíxit fíliis tuis in te, * Allelúia, allelúia. ℟. Benedíxit. ℣. Qui póſuit fines tuos pacem. * Allelúia. Glória. ℟. Benedíxit. *Pſ.* 147. 13. 14.

℣. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo

℟. Quóniam audíſti verba oris mei. *Pſ.* 137. 1.

AD VESPERAS.

Ant. 3. *a.* Sicut múlier de viro, ità & vir per mulíerem: ómnia autem ex Deo, allelúia. 1. *Cor.* 11. 12.

Ant. 1. a. Vir caput eſt mulíeris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccléſiæ, allelúia. *Eph.* 5. 23.

Ant. 5. a. Viri debent dilígere uxóres ſuas ut córpora ſua: qui ſuam uxórem díligit, ſeípſum díligit, allelúia. *Eph.* 5. 28.

Ant. 1. g. Unuſquíſque uxórem ſuam ſicut ſeípſum díligat: uxor autem tímeat virum ſuum, allelúia. *Eph.* 5. 33.

Ant. 7. c. Adam primus formátus eſt, deínde Eva: & Adam non eſt ſedúctus; múlier autem ſedúcta in prævaricatióne fuit, allelúia. 1. *Tim.* 2. 13. 14.

CAPITULUM. 1. *Tim.* 2. 11. 12.

MUlier in ſiléntio diſcat cum omni ſubjectióne; docére autem mulíeri non permítto, neque dominári in virum, ſed eſſe in ſiléntio.

HYMNUS.

O JAM beáta, quæ ſuo
Tandem ſolúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur.

PER quos gradus cœlum petit,
Hâc ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos, ſolútæ Cónjuges.

INSIGNIS & nos féminæ
Sequi decet veſtígia;
Magnum vel ipſis quæ fuit
Virtútis exémplum viris.

QUEIS arſit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ígnibus;
Eóque quo te vis coli
Amóre, fac mens te colat.

DA, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Si ſit Martyr,

℣. Adhǽſit ánima mea poſt te, Dómine; ℟. Me ſuſcépit déxtera tua. *P.* 62. 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. G. Dilatátum eſt os meum ſuper inimícos meos; quia lætáta ſum in ſalutári tuo, Dómine, allelúia. 1. *Reg.* 2. 1.

Si non ſit Martyr,

℣. Propter nomen tuum, Dómine, ℟. Vivificábis me in æquitáte tua. *Pſ.* 142. 11.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Orábat Dóminum Deum Iſraël, ut dirígeret viam ejus, allelúia *Judith.* 12. 8.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 6. F. Bona eſt negotiátio ejus; non extinguétur in nocte lucérna ejus, allelúia. Prov. 31. 18.

Hymnus conveniens.

CAPITULUM. *Eccli.* 36. 26.

QUi póſſidet mulíerem bonam, ínchoat poſſeſſiónem: adjutórium ſecúndùm illum eſt, & colúmna ut réquies.

℟. *breve.* In manus, p. viij.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 1. a. Cum eléctis féminis gráditur timor Dómini, & cum juſtis & fidélibus agnóſcitur, allelúia. *Eccli.* 1. 16.

Oratio & cætera omnia ut in Proprio de Tempore.

COMMUNE

UNIUS SANCTÆ VIDUÆ.

Omnia dicuntur ut ſuprà, p. lix. in Communi unius ſanctæ Mulieris, exceptis quæ ſequuntur.

IN I. VESPERIS.

Poſt Hymnum, ℣. Dóminus pupíllum & víduam ſuſcípiet; ℟. Et vias peccatórum diſpérdet. *Pſ.* 145. 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. g. Quæ verè vídua eſt & deſoláta, ſperet in Deum, & inſtet obſecratiónibus & oratiónibus nocte ac die, allelúia. 1. *Tim.* 5. 5.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſì ſit propria.

AD LAUDES MATUTINAS.

Poſt Hymnum, ℣. Exultáte in conſpéctu ejus, ℟. Patris orphanórum & Júdicis viduárum. *Pſ.* 67. 5. 6.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Dómine mi, qui Rex noſter es ſolus, ádjuva me ſolitáriam, & cujus, præter te, nullus eſt auxiliátor álius, allelúia. *Eſth.* 14. 3.

Oratio.

DEus, in quem ſperat omnis ánima, quæ longè à te éxulans in terris, ſe verè víduam ſentit ac deſolátam; tribue nobis, quǽſumus, ut exémplo beátæ *N.* obſecratiónibus & oratiónibus nocte ac die inſtántes, cœléſtium conſolatiónum mereámur eſſe partícipes; Per Dóminum noſtrum.

AD VESPERAS.

Poſt Hymnum, ℣. Dirupíſti, Dómine, víncula mea; ℟. Tibi ſacrificábo hóſtiam laudis. *Pſ.* 115. 16. 17.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Non diſcedébat de templo, jejúniis & obſecratiónibus sérviens nocte ac die, allelúia. *Luc.* 2. 37.

COMMUNE PATRONI, VEL PATRONÆ,

VEL ETIAM

PLURIUM PATRONORUM.

Feſtum Patroni primarii particularis cujuſdam Eccleſiæ celebratur ritu Annuali, cum Octava ſecundi Ordinis.

Officium fit de Communi conveniente, ſervato ritu Annuali, cum Lectionibus ſequentibus, niſì habeatur in Proprio Sanctorum Officium proprium.

Pſalmi pro I. Veſperis & Completorio ſubſequente ſumüntur è Feria occurrente: pro omnibus aliis Horis, è Dominica, ut in Pſalterio, niſì aſſignentur alii in Proprio Sanctorum.

(Si Feſtum Patroni celebretur tempore Quadrageſimæ, Officium fieri debet, ut ordinatur pro tribus aliis anni Tempeſtatibus.)

De Libro ſecúndo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 15. *v.* 7. *ad* 16.

MAchabǽus ſemper confidébat cum omni ſpe auxílium ſibi à Deo affutúrum: & hortabátur ſuos ne formidárent ad advéntum natiónum, ſed in mente habérent adjutória ſibi facta de cœlo, & nunc ſperárent ab Omnipoténte ſibi affutúram victóriam. Et allocútus eos de Lege & Prophétis, ádmonens étiam certámina quæ fécerant priùs, promptióres conſtítuit eos: & ità ánimis eórum eréctis, ſimul oſtendébat Géntium falláciam, & juramentórũ prævaricatiónem; ſíngulos autem illórum armávit, non clýpei & haſtæ munitióne, ſed ſermónibus óptimis & exhortatiónibus, expóſito digno fide sómnio, per quod univérſos lætificávit. Erat autem hujuſcémodi viſus: Oníam, qui fúerat ſummus Sacérdos, virum bonum & benígnum, verecúndum viſu, modéſtum móribus, & elóquio decórum, & qui à púero in virtútibus exercitátus ſit, manus protendéntem, oráre pro omni pópulo Judæórum: poſt hoc apparuíſſe & álium virum, ætáte & glóriâ mirábilem, & magni decóris habitúdine circa illum: reſpondéntem verò Oníam dixíſſe: Hic eſt fratrum amátor, & pópuli Iſraël: hic eſt, qui multùm orat pro pópulo & univérſa ſancta civitáte, Jeremías Prophéta Dei. Extendíſſe autem Jeremíam dextram, & dedíſſe Judæ gládium áureum, dicéntem: Accipe ſanctum gládium munus à Deo, in quo dejícies adverſários pópuli mei Iſraël

Exhortáti ítaque Judæ ſermónibus bonis valde, de quibus extólli poſſet ímpetus, & ánimi júvenum confortári, ſtatuérunt dimicáre & conflígere fórtiter, ut virtus de negótiis judicáret.

Si non ſint Lectiones propriæ,

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

In vigil. SS. Petri & Pauli. n. 2. & 3.

LECTIO II.

TRia ſunt quæ in feſtivitátibus Sanctórum vigilánter conſideráre debémus: auxílium Sancti, exémplum ejus, confuſiónem noſtram. Auxílium ejus; quia qui potens in terra fuit, poténtior eſt in cœlis ante fáciem Dómini Dei ſui. Si enim, dum hîc víveret, miſértus eſt peccatóribus, & orávit pro eis; nunc tantò ámpliùs, quantò vériùs agnóſcit miſérias noſtras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria caritátem ejus non immutávit, ſed augmentávit: neque enim quia impaſſíbilis omninò, ídeò & incompaſſíbilis factus eſt. Debémus étiam atténdere exémplum ejus: quia quándiu in terris viſus eſt, & cum homínibus converſátus eſt, non declinávit ad déxteram, neque ad ſiníſtram, ſed viam régiam ténuit, donec veníret ad *illum qui dicit:* Ego ſum *via, véritas &* vita. Intuémini humilitátem óperum ejus, auctoritátem verbórum ejus; & tunc vidébitis quómodo tam verbo quàm exémplo, lúxerit inter hómines; quália nobis veſtígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, & non errémus in eis. Verè juxta Prophétam: Sémita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulándum. Sed & diligentióri intúitu confuſiónem noſtram inſpiciámus: quia homo ille símilis nobis fuit paſſíbilis, ex eódem luto formátus ex quo & nos. Quid ergo eſt quòd non ſolùm diffícile, ſed & impoſſíbile crédimus ut faciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, & contremiſcámus. Hómines iſti fuérunt, qui præceſſérunt nos, qui tam mirabíliter proceſſérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuiſſe credámus. Sic ergo in Sanctórum feſtivitátibus, & gaudére, & confúndi debémus: gaudére, quia Patrónos præmíſimus: confúndi, quia eos imitári non póſſumus.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

LECTIO III. *c.* 11. *v.* 5. *ad* 10.

Oratio perſeverans omnia impetrat.

DIxit Jeſus diſcípulis ſuis: Quis veſtrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes? Et réliqua.

Homília ſancti Basílii Epíſcopi.

Conſtit. Monaſt. c. 1. n. 4.

HOc exémplum idcírcò nobis à Dómino propónitur, ut dóceat nos in fide firmos eſſe ac pertináces. Exémplum enim ſumit ab hómine ad hóminem, ut diſcas nunquam deſperáre; ut, cùm petíeris, nec accéperis, non desíſtas tamen, quoàd accípias, ſi modò, quæ Deus vult póſtules: neque díxeris: Peccátor ſum, & ídeò non exaúdior. Verùm enim verò ne ſpem abjíceres, idcírcò ait: Et ſi non proptéreà quòd ejus amícus ſit, dabit illi; propter improbitátem tamen ejus, dabit illi quotquot habet neceſsários. Opórtet ítaque divínum auxílium flagitáre: flagitándum autem eſt, non ſégniter, neque mente huc & illuc divagánte: síquidem quiſquis eſt ejúſmodi, non ſolùm non conſecutúrus eſt quæ petet, imò verò Dóminum magis exaſperábit.

DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

Pſalmi de Feria.

Tres Antiphonæ, ℣. *&* ℟℟. *ſumuntur ex Officio Nocturno diei.*

Lectio I. de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis. Lectio II. & III. ut infrà pro qualibet die.

In Laudibus & Veſperis Pſalmi dicuntur ſub ſola Antiphona quarta. Cœtera omnia ut in die, juxta ritum Octavarum ſecundi Ordinis.

DOMINICA *intra Octavam occurrente, totum Officium ſit de Dominica, incipiendo à primis Veſperis, cum Commemoratione Octavæ in utriſque Veſperis & Laudibus, ſed abſque Lectione.*

DIE SECUNDA

Intra Octavam.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO II. *c.* 3. *v.* 1. *ad* 12.

FIli mi, ne oblivíſcàris legis meæ, & præcépta mea cor tuum cuſtódiat: longitúdinem enim diérum, & annos vitæ, & pacem appónent tibi. Miſericórdia & véritas te non déſerant, circúmda eas gútturi tuo, & deſcríbe in tábulis cordis tui: & invénies grátiam & diſciplínam bonam, coram Deo & homínibus. Habe fidúciam in Dómino ex toto corde tuo, & ne innitáris prudéntiæ tuæ. In ómnibus viis tuis cógita illum, & ipſe díriget greſſus tuos. Ne ſis sápiens apud temetípſum: time Deum, & recéde à malo: sánitas quippe erit umbílico tuo, & irrigátio óſſium tuórum. Honóra Dóminum de tua ſubſtántia, & de primítiis ómnium frugum tuárum da ei: & implebúntur hórrea tua ſaturitáte, & vino torculária tua redundábunt. Diſciplínam Dómini, fili mi, ne abjícias: nec defícias cùm ab eo corri

peris : quem enim díligit Dóminus, córripit: & quaſi pater in filio, cómplacet ſibi.

Sermo ſancti Gregórii Nyſséni.

Oratio de ſancto Theodoro.

LECTIO III.

COnſideráte, hujus puri cultûs miníſtri ſtudióſi, quanta res ſit juſtus, quámque multas conſequátur remuneratiónes : & cógnito pietátis fructu, imitámini consílium, & aſpiráte ad ánimum & voluntátem eórum, qui ità præ cœ́teris honoránrur. Cui regum talis honor habétur? Quis eſt ex iis qui ſupra modum inter hómines excéllere viſi ſunt, qui tali memóriâ celebrétur? Quis Imperatórum, qui urbes munítas cepérunt, natiónes innúmeras ſubjecérunt, ádeò decantátus, & famâ celebrátus eſt?

DIE TERTIA

Intra Octavam.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO II. *c.* 3. *v.* 13. *ad* 22.

BEátus homo qui ínvenit ſapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ : mélior eſt acquiſítio ejus negotiatióne argénti, & auri primi & puríſſimi fructus ejus : pretióſior eſt cunctis ópibus : & ómnia quæ deſiderántur, huic non valent comparári. Longitúdo diérum in déxtera ejus, & in ſiníſtra illíus divítiæ & glória. Viæ ejus viæ pulchræ, & omnes sémitæ illíus pacíficæ. Lignum vitæ eſt his qui apprehénderint eam : & qui tenúerit eam, beátus. Dóminus ſapiéntiâ fundávit terram, ſtabilívit cœlos prudéntiâ. Sapiéntiâ illíus erupérunt abýſſi, & nubes rore concréſcunt. Fili mi, ne éffluant hæc ab óculis tuis: cuſtódi legem atque consílium: & erit vita ánimæ tuæ, & grátia faúcibus tuis.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

De Martyribus.

LECTIO III.

QUi Sanctórum mérita religióſâ caritáte mirátur, quíque Juſtórum glórias frequénti laude collóquitur, eórum mores ſanctos atque juſtítiam imitétur: quóniam quem deléctat Sancti alicújus méritum, delectáre debet par circa Dei cultum obſéquium. Quare aut imitári debet, ſi laudat; aut laudáre non debet, ſi imitári detréctat : ut qui álium laudat, laudábilem ſe reddat; & qui Sanctórum mérita admirátur, mirábilis ipſe vitæ ſanctitáte reddátur. Nam ſi proptéreà juſtos fideléſque dilígimus, quòd in ipſis juſtítiam fidémque ſuſpícimus, póſſumus nos quoque eſſe quod ſunt, ſi faciámus ipſi quod fáciunt.

DIE QUARTA

Intra Octavam.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO II. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 9.

AUdíte, filii, diſciplínam patris, & atténdite ut ſciátis prudéntiam. Donum

[illegible]num tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis. Nam & ego filius fui patris mei, tenellus, & unigenitus coram matre mea: & docebat me, atque dicébat: Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcépta mea, & vives. Posside ſapientiam, posside prudéntiam: ne obliviscaris, neque declínes à verbis oris mei. Ne dimittas eam, & custódiet te: dílige eam, & conservábit te. Principium ſapiéntiæ, póſſide ſapiéntiam: & in omni poſſeſſióne tua, acquíre prudéntiam. Arripe illam, & exaltábit te: glorificáberis ab ea, cùm eam fúeris amplexatus. Dabit cápiti tuo augménta gratiárum, & coróna inclytâ próteget te.

Sermo ſancti Hierónymi Presbyteri.

Adversùs Vigilantium.

LECTIO III.

Dicis in libéllo tuo, quòd dum vívimus, mútuò pro nobis oráre póſſumus; postquàm autem mórtui fuérimus, nullíus ſit pro álio exaudiénda orátio. Si Apóstoli & Mártyres adhuc in córpore conſtitúti poſſunt oráre pro cœteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſollíciti, quantò magìs poſt corónas, victórias, & triúmphos? [illegible] homo Móyſes [illegible] míllibus armató[illegible] à. Deo vé[illegible] [illegible]tóribus véniam deprecátur: & poſtquàm cum Christo eſſe cœperint, minùs valébunt?

DIE QUINTA

Infra Octavam.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO II. *c.* 4. *v.* 10. *ad* 19.

Audi, fili mi, & ſúſcipe verba mea, ut multiplicéntur tibi anni vitæ. Viam ſapiéntiæ monſtrábo tibi, ducam te per sémitas æquitátis: quas cùm ingréſſus fúeris, non arctabúntur greſſus tui, & currens non habébis offendículum. Tene diſciplínam, ne dimíttas eam: cuſtódi illam, quia ipſa eſt vita tua. Ne delectéris in sémitis impiórum, nec tibi pláceat malórum via. Fuge ab ea, nec tránſeas per illam: declína, & déſere eam; non enim dórmiunt nisì malefécerint: & rápitur ſomnus ab eis nisì ſupplantáverint: cómedunt panem impietátis, & vinum iniquitátis bibunt. Juſtórum autem sémita, quaſi lux ſplendens procédit, & creſcit uſque ad perféctam diem. Via impiórum tenebróſa: néſciunt ubi córruant.

Sermo ſancti Basílii Epíſcopi.

Homil. in 40. *Martyres.* n. 8.

LECTIO III.

Parátum eſt hîc auxílium Chriſtiánis, exércitus tropǽa geſtántium, chorus laudes divínas celebrántium. Qui angúſtiâ áliquâ prémitur, ad hos confúgit: qui

lætátur, recúrrit ad eóſdem: ille quidem, ut à malis liberétur, hic verò, ut res ſibi ſecúndæ eſſe pergant. Hîc múlier pia pro líberis orans deprehénditur: peregrinánti maríto réditum, infírmo ſalútem petit. O chorus ſanctus! ô ſacer ordo! ô confertíſſimum & infráctum agmen! ô commúnes géneris humáni cuſtódes! boni curárum sócii, precum fautóres, legáti potentíſſimi, ſtellæ orbis terrárum, Eccleſiárum flores! Non vos terra opéruit, ſed cœlum ſuſcépit.

DIE SEXTA
Intra Octavam.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO II. *c.* 4. *v.* 20. *ad finem.*

FIli mi, auſcúlta ſermónes meos, & ad elóquia mea inclína aurem tuam; ne recédant ab óculis tuis, cuſtódi ea in médio cordis tui: vita enim ſunt inveniéntibus ea, & univérſæ carni sánitas. Omni cuſtódiâ ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procédit. Rémove à te os pravum, & detrahéntia lábia ſint procul à te. Oculi tui recta vídeant, & pálpebræ tuæ præcédant greſſus tuos. Dírige sémitam pédibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabiliéntur. Ne declínes ad déxteram, neque ad ſiníſtram: avérte pedem tuum à malo; *vias enim quæ à dextris* ſunt, novit Dóminus: pervérſæ verò ſunt quæ à ſiníſtris ſunt. Ipſe autem rectos fáciet curſus tuos, itínera autem tua in pace prodúcet.

Sermo ſancti Cleméntis Papæ & Mártyris.

Epiſt. 1. *ad Cor. c.* 32. 33.

LECTIO III.

II glóriam & amplitúdinem conſecúti ſunt, non per ſeipſos, aut ópera ſua, aut juſtas actiónes quas fecérunt, ſed per voluntátem Dei. Et nos ígitur ex voluntáte illíus in Chriſto Jeſu vocáti, non per nos ipſos juſti effícimur, neque per ſapiéntiam noſtram, aut intelligéntiam, aut pietátem, aut ópera quæ in cordis ſanctitáte operáti ſumus: ſed per fidem, per quam cunctos qui unquam juſti fuérunt, juſtificávit Deus omnípotens. Quid ígitur faciémus, fratres? ceſſábimus à bonis opéribus, & caritátem derelinquémus? neútiquàm hoc à nobis fieri permíttat Dóminus: ſed cum diligéntia & alacritáte feſtinémus omne opus bonum perfícere. Videámus quòd in bonis opéribus ornáti fuérunt omnes juſti. Et ipſe Dóminus cùm ſe opéribus decoráſſet, gavíſus eſt. Habéntes ítaque hoc exémplar, ím[illegible] grè ad voluntátem ejus a[illegible] dámus: ex totis víribus [illegible] ſtris operémus o[illegible]

DIE SEPTIMA
Intra Octavam.
De Libro Proverbiórum.
Lectio II. *c.* 16. *v.* 1. *ad* 9.

HOminis eſt ánimam præparáre, & Dómini gubernáre linguam. Omnes viæ hóminis patent óculis ejus: ſpirituum ponderátor eſt Dóminus. Revéla Dómino ópera tua, & dirigéntur cogitatiónes tuæ. Univérſa propter ſemetípſum operátus eſt Dóminus, ímpium quoque ad diem malum. Abominátio Dómini eſt omnis árrogans: etiámſi manus ad manum fúerit, non eſt ínnocens. Inítium viæ bonæ, fácere juſtítiam: accépta eſt autem apud Deum, magìs quàm immoláre hóſtias. Miſericórdiâ & veritáte redímitur iníquitas: & in timóre Dómini declinátur à malo. Cùm placúerint Dómino viæ hóminis, inimícos quoque ejus convértet ad pacē. Mélius eſt parùm cum juſtítia, quàm multi fructus cum iniquitáte. Cor hóminis diſpónit viam ſuam: ſed Dómini eſt dirígere greſſus ejus.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.
Tract. 1. *in Epiſt. Joan.* n. 8.
Lectio III.

JOánnes quid dixit? Et ſi quis peccáverit, Advocátum habémus apud Patrem, Jeſum Chriſtum Juſtum. Sed dicet áliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis? Ergo Epíſcopi & Præpóſiti non petunt pro pópulo? Sed atténdite Scriptúras, & vidéte quia & Præpóſiti comméndant ſe pópulo. Nam Apóſtolus dicit plebi: Orántes ſimul & pro nobis. Orat Apóſtolus pro plebe: orat plebs pro Apóſtolo. Orámus pro vobis, fratres, ſed & vos orate pro nobis: ínvicem pro ſe ómnia membra orent; caput pro ómnibus intercédat.

Ad Vesperas. *Omnia ut in I. Veſperis Feſti, ſervato ritu Duplici majori.*

IN OCTAVA
Feſti Patroni vel Patronæ.
Duplex majus.

Omnia ut in die, exceptis quæ ſequuntur, & ſervato ritu Duplici majori.

Pſalmi de Feria.

Lectio I. de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.
Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.
Serm. 5. *in Feſt. om. SS.* n. 6.
Lectio IV.

EXcitémur aliquándo, fratres: reſurgámus cum Chriſto, quærámus quæ ſurſùm ſunt; quæ ſurſùm ſunt ſapiámus. Deſiderémus deſiderántes nos, properémus ad præſtolántes nos; expectántes nos, votis præoccupémus animórum. Ecce enim nihil in hac noſtra communióne ſecuritátis, nihil perfectiónis, nihil quiétis: & tamen hic

quoque quàm bonum & quàm jucúndum, habitáre fratres in unum! Quidquid enim, ſive intériùs, ſive extériùs, moléſtum occúrrit, ipſo útique tam germanórum consórtio fratrum, cum quibus eſt nobis cor unum & ánima una in Deum, tolerabílius invenítur. Quàm dúlcior erit, quàm delectabílior, quàm beátior únio, ubi nulla ſuſpício eſſe póterit, nulla diſſenſiónis occáſio, ubi omnes perfécta cáritas indiſſolúbili fœ́dere colligábit!

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio III. *c.* 11. *v.* 5. *ad* 10.

Oratio perſeverans omnia impetrat.

DIxit Jeſus diſcípulis ſuis: Quis veſtrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes? Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 7. *in Luc.* n. 87. 88.

ALius præcépti locus eſt, ut ómnibus moméntis, non ſolùm diébus, ſed étiam nóctibus, orátio deferátur. Vides enim quòd iſte qui médiâ nocte perréxit, tres panes ab amíco ſuo póſtulans, & in ipſa peténdi intentióne persíſtens, non defraudétur orátis. Qui ſunt iſti tres panes, niſi myſtérii cœléſtis aliméntum? quòd ſi díligas Dóminum Deum tuum, non ſolùm tibi, ſed étiam áliis póteris emeréri. Quis autem amícior nobis, quàm qui pro nobis corpus ſuum trádidit? Ab hoc médiâ nocte panes David pétiit, & accépit. Pétiit quando dicébat: Médiâ nocte ſurgébam ad confiténdum tibi. Neque enim tímuit ne excitáret dormiéntem, quem ſcit ſemper vigilántem. Et ídeò ſcriptórum mémores, nóctibus ac diébus oratióni inſtántes, peccátis noſtris véniam poſtulémus.

IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Solemne Majus.

Si ſit ipſa dies Dedicationis Eccleſiæ, Officium fit ritu Annuali, & tunc incipit tantummodò ad Sextam, dedicatâ ſcilicet Eccleſiâ. Horæ autem quæ præcedunt Dedicationem, dicuntur de Dominica, vel de Feſto occurrente.

(Si Dedicatio Eccleſiæ *vel Anniverſarium ejus celebrentur intra Quadrage*

bonum tríbuam vobis, legem meam ne derelinquátis. Nam & ego filius fui patris mei, tenéllus, & unigénitus coram matre mea: & docébat me atque dicébat: Suſcípiat verba mea cor tuum, cuſtódi præcépta mea, & vives. Póſſide ſapiéntiam, póſſide prudéntiam: ne oblivíſcáris, neque declínes à verbis oris mei. Ne dimíttas eam, & cuſtódiet te: dílige eam, & conſervábit te. Princípium ſapiéntiæ, póſſide ſapiéntiam: & in omni poſſeſſióne tua, acquíre prudéntiam. Arripe illam, & exaltábit te: glorificáberis ab ea, cùm eam fúeris amplexátus. Dabit cápiti tuo augménta gratiárum, & corónâ ínclytâ próteget te.

Sermo ſancti Hierónymi Presbýteri.

Adversùs Vigilantium.

LECTIO III.

DIcis in libéllo tuo, quòd dum vívimus, mútuò pro nobis oráre póſſumus; poſtquàm autem mórtui fuérimus, nullíus ſit pro álio exaudiénda orátio. Si Apóſtoli & Mártyres adhuc in córpore conſtitúti poſſunt oráre pro cœ́teris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſollíciti, quantò magìs poſt corónas, victórias, & triúmphos? Unus homo Móyſes ſexcéntis míllibus armatórum ímpetrat à Deo véniam: & Stéphanus imitátor Dómini ſui & primus Martyr in Chriſto, pro perſecutóribus véniam deprecátur: & poſtquàm cum Chriſto eſſe cœ́perint, minùs valébunt?

DIE QUINTA

Intra Octavam.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO II. *c.* 4. *v.* 10. *ad* 19.

AUdi, fili mi, & ſúſcipe verba mea, ut multiplicéntur tibi anni vitæ. Viam ſapiéntiæ monſtrábo tibi, ducam te per sémitas æquitátis: quas cùm ingréſſus fúeris, non arctabúntur greſſus tui, & currens non habébis offendículum. Tene diſciplínam, ne dimíttas eam: cuſtódi illam, quia ipſa eſt vita tua. Ne delectéris in sémitis impiórum, nec tibi pláceat malórum via. Fuge ab ea, nec tránſeas per illam: declína, & déſere eam; non enim dórmiunt niſi malefécerint: & rápitur ſomnus ab eis niſi ſupplantáverint: cómedunt panem impietátis, & vinum iniquitátis bibunt. Juſtórum autem sémita, quaſi lux ſplendens procédit, & creſcit uſque ad perféctam diem. Via impiórum tenebróſa: néſciunt ubi córruant.

Sermo ſancti Baſílii Epíſcopi.

Homil. in 40. *Martyres.* n. 8.

LECTIO III.

PArátum eſt hîc auxílium Chriſtiánis, exércitus tropæa geſtántium, chorus laudes divínas celebrántium. Qui anguſtiâ áliquâ prémitur, ad hos confúgit: qui

lætátur, recúrrit ad eóſdem: ille quidem, ut à malis liberétur, hic verò, ut res ſibi ſecúndæ eſſe pergant. Hîc múlier pia pro líberis orans deprehénditur: peregrinánti maríto réditum, infírmo ſalútem petit. O chorus ſanctus! ô ſacer ordo! ô confertíſſimum & infráctum agmen! ô commúnes géneris humáni cuſtódes! boni curárum sócii, precum fautóres, legáti potentíſſimi, ſtellæ orbis terrárum, Eccleſiárum flores! Non vos terra opéruit, ſed cœlum ſuſcépit.

DIE SEXTA

Intra Octavam.

De Libro Proverbiórum.

Lectio II. *c.* 4. *v.* 20. *ad finem.*

Fili mi, auſcúlta ſermónes meos, & ad elóquia mea inclína aurem tuam; ne recédant ab óculis tuis, cuſtódi ea in médio cordis tui: vita enim ſunt inveniéntibus ea, & univérſæ carni sánitas. Omni cuſtódiâ ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procédit. Rémove à te os pravum, & detrahéntia lábia ſint procul à te. Oculi tui recta vídeant, & pálpebræ tuæ præcédant greſſus tuos. Dírige sémitam pédibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabiliéntur. Ne declínes ad déxteram, neque ad ſiníſtram: avérte pedem tuum à malo; *vias enim quæ à dextris* ſunt, novit Dóminus: pervérſæ verò ſunt quæ à ſiníſtris ſunt. Ipſe autem rectos fáciet curſus tuos, itínera autem tua in pace prodúcet.

Sermo ſancti Cleméntis Papæ & Mártyris.

Epiſt. I. *ad Cor. c.* 32. 33.

Lectio III.

Ii glóriam & amplitúdinem conſecúti ſunt, non per ſeípſos, aut ópera ſua, aut juſtas actiónes quas fecérunt, ſed per voluntátem Dei. Et nos ígitur ex voluntáte illíus in Chriſto Jeſu vocáti, non per nos ipſos juſti effícimur, neque per ſapiéntiam noſtram, aut intelligéntiam, aut pietátem, aut ópera quæ in cordis ſanctitáte operáti ſumus: ſed per fidem, per quam cunctos qui unquam juſti fuérunt, juſtificávit Deus omnípotens. Quid ígitur faciémus, fratres? ceſſábimus à bonis opéribus, & caritátem derelinquémus? neútiquàm hoc à nobis fieri permíttat Dóminus: ſed cum diligéntia & alacritáte feſtinémus omne opus bonum perfícere. Videámus quòd in bonis opéribus ornáti fuérunt omnes juſti. Et ipſe Dóminus cùm ſe opéribus decoráſſet, gavíſus eſt. Habéntes ítaque hoc exémplar, impigrè ad voluntátem ejus accedámus: ex totis víribus noſtris operémus opus juſtítiæ.

bonum tríbuam vobis, legem meam ne derelinquátis. Nam & ego filius fui patris mei, tenéllus, & unigénitus coram matre mea: & docébat me atque dicébat: Suſcípiat verba mea cor tuum, cuſtódi præcépta mea, & vives. Póſſide ſapiéntiam, póſſide prudéntiam: ne oblivíſcáris, neque declínes à verbis oris mei. Ne dimíttas eam, & cuſtódiet te: dílige eam, & conſervábit te. Princípium ſapiéntiæ, póſſide ſapiéntiam: & in omni poſſeſſióne tua, acquíre prudéntiam. Arripe illam, & exaltábit te: glorificáberis ab ea, cùm eam fúeris amplexátus. Dabit cápiti tuo augménta gratiárum, & corónâ ínclytâ próteget te.

Sermo ſancti Hierónymi Presbýteri.

Adversùs Vigilantium.

LECTIO III.

DIcis in libéllo tuo, quòd dum vívimus, mútuò pro nobis oráre póſſumus; poſtquàm autem mórtui fuérimus, nullíus ſit pro álio exaudiénda orátio. Si Apóſtoli & Mártyres adhuc in córpore conſtitúti poſſunt oráre pro cœ́teris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſollíciti, quantò magìs poſt corónas, victórias, & triúmphos? Unus homo Móyſes ſexcéntis míllibus armatórum ímpetrat à Deo véniam: & Stéphanus imitátor Dómini ſui & primus Martyr in Chriſto, pro perſecutóribus véniam deprecátur: & poſtquàm cum Chriſto eſſe cœ́perint, minùs valébunt?

DIE QUINTA

Intra Octavam.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO II. *c.* 4. *v.* 10. *ad* 19.

AUdi, fili mi, & ſúſcipe verba mea, ut multiplicéntur tibi anni vitæ. Viam ſapiéntiæ monſtrábo tibi, ducam te per sémitas æquitátis: quas cùm ingréſſus fúeris, non arctabúntur greſſus tui, & currens non habébis offendículum. Tene diſciplínam, ne dimíttas eam: cuſtódi illam, quia ipſa eſt vita tua. Ne delectéris in sémitis impiórum, nec tibi pláceat malórum via. Fuge ab ea, nec tránſeas per illam: declína, & déſere eam; non enim dórmiunt nisi malefécerint: & rápitur ſomnus ab eis niſi ſupplantáverint: cómedunt panem impietátis, & vinum iniquitátis bibunt. Juſtórum autem sémita, quaſi lux ſplendens procédit, & creſcit uſque ad perféctam diem. Via impiórum tenebróſa: néſciunt ubi córruant.

Sermo ſancti Basílii Epíſcopi.

Homil. in 40. *Martyres.* n. 8.

LECTIO III.

PArátum eſt hîc auxílium Chriſtiánis, exércitus tropǽa geſtántium, chorus laudes divínas celebrántium. Qui anguſtiâ áliquâ prémitur, ad hos confugit: qui

lætátur, recúrrit ad eóſdem: ille quidem, ut à malis liberétur, hic verò, ut res ſibi ſecúndæ eſſe pergant. Hîc múlier pia pro líberis orans deprehénditur: peregrinánti maríto réditum, infírmo ſalútem petit. O chorus ſanctus! ô ſacer ordo! ô confertíſſimum & infráctum agmen! ô commúnes géneris humáni cuſtódes! boni curárum sócii, precum fautóres, legáti potentíſſimi, ſtellæ orbis terrárum, Eccleſiárum flores! Non vos terra opéruit, ſed cœlum ſuſcépit.

DIE SEXTA
Intra Octavam.

De Libro Proverbiórum.

LECTIO II. *c.* 4. *v.* 20. *ad finem.*

FIli mi, auſcúlta ſermónes meos, & ad elóquia mea inclína aurem tuam; ne recédant ab óculis tuis, cuſtódi ea in médio cordis tui: vita enim ſunt inveniéntibus ea, & univérſæ carni sánitas. Omni cuſtódiâ ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procédit. Rémove à te os pravum, & detrahéntia lábia ſint procul à te. Oculi tui recta vídeant, & pálpebræ tuæ præcédant greſſus tuos. Dírige sémitam pédibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabiliéntur. Ne declínes ad déxteram, neque ad ſiníſtram: avérte pedem tuum à malo; *vias enim quæ à dextris* ſunt, novit Dóminus: pervérſæ verò ſunt quæ à ſiníſtris ſunt. Ipſe autem rectos fáciet curſus tuos, itínera autem tua in pace producet.

Sermo ſancti Clementis Papæ & Mártyris.
Epiſt. 1. *ad Cor. c.* 32. 33.

LECTIO III.

II glóriam & amplitúdinem conſecúti ſunt, non per ſeípſos, aut ópera ſua, aut juſtas actiónes quas fecérunt, ſed per voluntátem Dei. Et nos ígitur ex voluntáte illíus in Chriſto Jeſu vocáti, non per nos ipſos juſti effícimur, neque per ſapiéntiam noſtram, aut intelligéntiam, aut pietátem, aut ópera quæ in cordis ſanctitáte operáti ſumus: ſed per fidem, per quam cunctos qui unquam juſti fuérunt, juſtificávit Deus omnípotens. Quid ígitur faciémus, fratres? ceſſábimus à bonis opéribus, & caritátem derelinquémus? neútiquàm hoc à nobis fíeri permíttat Dóminus: ſed cum diligéntia & alacritáte feſtinémus omne opus bonum perfícere. Videámus quòd in bonis opéribus ornáti fuérunt omnes juſti. Et ipſe Dóminus cùm ſe opéribus decoráſſet, gavíſus eſt. Habéntes ítaque hoc exémplar, impigrè ad voluntátem ejus accedámus: ex totis víribus noſtris operémus opus juſtítiæ.

beneficia petitúrus ingréditur, cuncta ſe impetráſſe lætétur; Per Dóminum.

Ipſo die Dedicationis & per Octavam, loco præcedentis Orationis, dicitur ſequens

Oratio.

DEus, qui inviſibíliter ómnia cóntinens, pro ſalúte géneris humáni ſigna tuæ poténtiæ viſibíliter oſténdis, Templum hoc poténtià tuæ inhabitatiónis illúſtra; & concéde, ut omnes qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, conſolatiónis tuæ beneficia conſequántur; Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio Dominicæ, per Lectionem Evangelii cum Homilia, Ant. ℣. & Orationem, ut in Proprio de Tempore.

AD PRIMAM.

Pſalmi de Dominica. Et ſic ad Tertiam, Sextam & Nonam.

Ant. 1. a. Quàm pulchra tabernácula tua, Jacob, & tentória tua, Iſraël! allelúia. *Num.* 24. 5.

CAPITULUM. *Deut.* 12. 5. 6.

AD locum quem elégerit Dóminus Deus veſter de cunctis tríbubus veſtris, ut ponat nomen ſuum ibi, & hábitet in eo, veniétis, & offerétis in loco illo holocaúſta & víctimas veſtras.

In ℟. *brevi.* ℣. Réſpice de Sanctuário tuo. Deut. 26. 15.

CANON *proprius, ad calcem Breviarii.*

Cætera ut in Proprio de Tempore.

AD TERTIAM.

Ant. 7. *d.* Ergone credíbile eſt, ut hábitet Deus cum homínibus ſuper terram? allelúia. 2. *Par.* 6. 18.

CAPITULUM. *Bar.* 3. 24. 25.

O Iſraël! quàm magna eſt Domus Dei & ingens locus poſſeſſiónis ejus! magnus eſt & non habet finem, excélſus & imménſus.

℟. *breve.* Replébimur in bonis domûs tuæ, Dómine, * Allelúia, allelúia. ℟. Replébimur. ℣. Sanctum eſt Templum tuum, mirábile in æquitáte. * Allelúia. Glória. ℟. Replébimur. *Pſ.* 64. 5. 6.

℣. Inhabitábo in Tabernáculo tuo in sécula; ℟. Prótegar in velaménto alárum tuárum. *Pſ.* 65. 5.

AD SEXTAM.

Ant. 3. *a.* Opus grande eſt; neque enim hómini præparátur habitátio, ſed Deo, allelúia. 1. *Par.* 29. 1.

CAPITULUM. *Iſ.* 33. 20.

REſpice Sion civitátem ſolemnitátis noſtræ: óculi tui vidébunt Jeruſalem habitatiónem opuléntam, tabernáculum quod nequáquàm transférri póterit.

℟. *breve.* Quis aſcéndet in montem Dómini? * Allelúia, allelúia. ℟. Quis. ℣. Aut quis ſtabit in loco

ſancto ejus? * Allelúia. Glória. ℟. Quis. *Pſ.* 23. 3.

℣. Innocens mánibus & mundo corde, ℟. Hic accípiet benedictiónem à Dómino. *Pſ.* 23. 4. 5.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Beáti omnes qui diligunt te, cívitas Dei, & qui gaudent ſuper pace tua! allelúia. *Tob.* 13. 18.

CAPITULUM. *Apoc.* 21. 3.

ECce Tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis: & ipſi pópulus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis, erit eórum Deus.

℟. *breve.* Beáti qui hábitant in Domo tua, Dómine, * Allelúia, allelúia. ℟. Beáti. ℣. In sécula ſeculórum laudábunt te. * Allelúia. Glória. ℟. Beáti. *Pſ.* 83. 5.

℣. Introíbo in Domum tuam in holocaúſtis; ℟. Reddam tibi vota mea. *Pſ.* 65. 13.

AD VESPERAS.

In Pſ. 115. Crédidi, propter quod locútus ſum, *p.* 85.

Ant. 1. J. Habémus Domum non manufáctam ætérnam in cœlis, allelúia. 2. *Cor.* 5. 1.

In Pſ. 121. Lætátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, *p.* 116.

Ant. 3. E. Structúra muri ejus ex lápide jáſpide: ipſa verò cívitas aurum mundum ſímile vitro mundo, *allelúia. Apoc.* 21. 18.

In Pſ. 131. Meménto, Dómine, David, *p.* 86.

Ant. 5. a. In médio platéæ ejus, & ex utráque parte flúminis, lignum vitæ, allelúia. *Apoc.* 22. 2.

In diviſ. Pſ. 131. Jurávit Dóminus David veritátem. *p.* 87.

Ant. 2. D. Dóminus Deus omnípotens Templum illíus eſt, & Agnus, allelúia. *Apoc.* 21. 22.

In Pſ. 147. Lauda, Jerúſalem, Dóminum, *p.* 80.

Ant. 8. G. Omne maledíctum non erit ámpliùs: ſed ſedes Dei & Agni in illa erunt, & ſervi ejus sérvient illi, allel. *Apoc.* 22. 3.

CAPITULUM. 2. *Petr.* 3. 14. 15.

PRopter quod, caríſſimi, hæc expectántes, ſatágite immaculáti & invioláti ei inveníri in pace; & Dómini noſtri longanimitátem ſalútem arbitrémini.

HYMNUS.

URBS beáta, vera pácis
Víſio, Jerúſalem,
Quanta ſurgit! celſa ſaxis
Cónditur viventibus:
Quæ polívit, hæc coáptat
Sédibus ſuis Deus.

SINGULIS ex margarítis
Síngulæ portæ nitent:
Murus omnis fulget auro,
Fulget uniónibus:
Anguláris petra Chriſtus,
Fundat urbis mœnia.

EJUS eſt ſol cæſus Agnus,
Ejus eſt templum Deus:
Æmulántes hìc Beáti
Purióres Spíritus,
Laude jugi Numen unum

Térque Sanctum cóncinunt.

Undequaque ſunt apérta
Civitátis óſtia:
Quiſquis ambit huc veníre
Inſeríque mœ́nibus,
Antè duris hîc probári
Débuit labóribus.

Sit perénnis laus Paréntì;
Sit perénnis Fílio;
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perénnis, Spíritus;
Chriſma cujus nos inúngens,
Viva templa cónſecrat.
Amen.

℣. Glorióſa dicta ſunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Pſ.* 86. 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Illa quæ ſursùm eſt Jeruſalem, líbera eſt, quæ eſt mater noſtra, all. *Gal.* 4. 26.

Fit Commemoratio Diei Dominicæ.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 7. *d.* Domus Chriſti ſumus nos, ſi fidúciam & glóriam ſpei uſque ad finem, firmam retineámus, allelúia. *Hebr.* 3. 6.

Hymnus conveniens.

Capitulum. 2. *Cor.* 6. 16.

Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos, & ero illórum Deus, & ipſi erunt mihi pópulus.

℟. *breve.* In manus, *p.* viij.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 2. D. Sancte Sanctórum, ómnium Dómine, consérva in ætérnum impollútam Domum iſtam, allelúia. 2. *Mach.* 14. 36.

DIEBUS
Intra Octav. Anniver. Dedicat. Ecclesiæ,
Quæ eſt ſecundi Ordinis.

Omnia ut in die, exceptis quæ ſequuntur.

Pſalmi de Feria.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium & Hymn. ut in die; ſed Invitatorium dicitur ritu ſimplici.

Tres Antiphonæ, ℣. & ℟℟℟. *ex Officio diei. Non dicitur* ℣. Glória Patri, *niſi in fine ultimi* ℟. *quod reſumitur tantùm à Reclamatione.*

AD LAUDES MATUTINAS.

Ant. ſola. 2. D. Domus tua, Dómine, in ſanctificatióne tua permáneat; & omnes gentes agnóſcant, quia tu es Deus, & non eſt álius præter te, allelúia. *Judith.* 9. 18. 19.

AD VESPERAS.

Ant. ſola. 3. c. Agámus dies Dedicatiónis Altáris in tempóribus ſuis, ab anno in annum, per dies octo, allelúia. 1. *Mach.* 4. 59.

DIE SECUNDA
Intra Octavam.

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio II. *c.* 13. *v.* 1. *ad* 5.

Vani ſunt omnes hómines, in quibus non ſubeſt ſciéntia Dei, & de his quæ vidéntur bona, non potuérunt intellígere eum qui eſt, neque opéribus attendéntes agnovérunt quis eſſet ártifex: ſed aut ignem

aut ſpíritum, aut citátum áerem, aut gyrum ſtellárum, aut nímiam aquam, aut ſolem & lunam, rectóres orbis terrárum deos putavérunt. Quorum ſi ſpécie delectáti, deos putavérunt, ſciant quantò eis Dominátor eórum ſpecióſior eſt: ſpeciéi enim Generátor hæc ómnia conſtítuit. Aut ſi virtútem & ópera eórum miráti ſunt, intélligant ab illis, quóniam qui hæc fecit, fórtior eſt illis: à magnitúdine enim ſpeciéi & creatúræ, cognoſcibíliter póterit Creátor horum vidéri.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 336. in Dedic. Eccleſiæ. n. 6.

LECTIO III.

CElébritas hujus congregatiónis, dedicátio eſt Domûs oratiónis. Domus ergo noſtrárum oratiónum, iſta eſt: Domus Dei, nos ipſi. Si Domus Dei nos ipſi, nos in hoc ſéculo ædificámur, ut in fine séculi dedicémur. Ædificium, imò ædificátio habet labórem: dedicátio, exultatiónem. Quod hîc fiébat, quando iſta ſurgébant, hoc fit modò, cùm congregántur credéntes in Chriſtũ. Credéndo enim, quaſi de ſylvis & móntibus ligna & lápides præcidúntur: cùm verò catechizántur, baptizántur, formántur, tanquam inter manus fabrórum & opíficum, dolántur, collineántur, complanántur. Verúmtamen Domũ Dómini non fáciunt, niſi quando caritáte compaginántur. Ligna iſta & lápides, ſi non ſibi certo órdine cohæréient, ſi non ſe pacíficè innécterent; ſi non ſe ínvicem, cohæréndo ſibi, quodámmodo amárent, nemo huc intráret.

DIE TERTIA

Intra Octavam.

De libro Sapiéntiæ.

LECTIO I. *c.* 13. *v.* 6. *ad* 10.

SEd tamen adhuc in his minor eſt queréla. Et hi enim fortáſſe errant, Deum quæréntes & voléntes inveníre. Etenim cùm in opéribus illíus converséntur, inquírunt: & perſuáſum habent quóniam bona ſunt quæ vidéntur. Iterùm autem nec his debet ignóſci. Si enim tantùm potuérunt ſcire, ut poſſent eſtimáre ſéculum: quómodo hujus Dóminum non facíliùs invenérunt? Infelíces autem ſunt, & inter mórtuos ſpes illórum, qui appellavérunt deos ópera mánuum hóminum, aurum & argéntum, artis inventiónẽ, & ſimilitúdines animálium, aut lápidem inútilem opus manûs antíquæ.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 336. in Dedic. Eccleſiæ. n. 6.

LECTIO III.

DUm novam conſtructiónem ſanctæ hujus Eccléſiæ libénter atténdimus, quam divíno nómi-

ni hódie dedicámus, invenimus à nobis debéri, & Deo noſtro máximam laudem, & ſanctitáti veſtræ cóngruum de divinæ domûs ædificatióne ſermónẽ. Tunc autem ſermo noſter cóngruus erit, ſi in ſe áliquid ædificatiónis hábeat, quod utilitáti animárum veſtrárum, Deo vos intériùs ædificánte, proficiat. Quod hîc factum corporáliter vidémus in pariétibus, ſpirituáliter fiat in méntibus: & quod hîc perféctum cérnimus in lapídibus & lignis, hoc, ædificánte grátiâ Dei, perficiátur in corpóribus veſtris.

DIE QUARTA
Intra Octavam.

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio II. *c.* 13. *v.* 11. *ad fin.*

SI quis ártifex faber de ſylva lignum rectum ſecúerit, & hujus doctè erádat omnem córticem, & arte ſuâ uſus, diligénter fábricet vas útile in converſatiónem vitæ, relíquiis autem ejus óperis ad præparatiónem eſcæ abutátur; & réliquum horum, quod ad nullos uſus facit, lignum curvum, & vortícibus plenum, ſculpat diligénter per vacuitátem ſuam, & per ſciéntiam ſuæ artis figúret illud, & aſsímilet illud imágini hóminis, aut alícui ex animálibus illud cómparet, perlíniens rúbricâ, & rubicúndum fáciens fuco colórem illíus, & omnem máculam quæ in illo eſt, perlíniens; & fáciat ei dignam habitatiónem, & in pariéte ponens illud, & confírmans ferro, ne fortè cadat, proſpíciens illi, ſciens quóniam non poteſt adjuváre ſe, imágo enim eſt, & opus eſt illi adjutórium; & de ſubſtántia ſua, & de filiis ſuis, & de núptiis votum fáciens inquírit. Non erubéſcit loqui cum illo qui ſinè ánima eſt, & pro ſanitáte quidem infírmum deprecátur, & pro vita rogat mórtuum, & in adjutórium inútilem ínvocat, & pro itínere petit ab eo qui ambuláre non poteſt, & de acquiréndo, & de operándo, & de ómniũ rerum evéntu petit ab eo qui in ómnibus eſt inútilis.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 336. *in Dedic. Eccleſiæ.* n. 6.

Lectio III.

GRátias agámus Dómino Deo noſtro, à quo eſt omne datum óptimum & omne donum perféctum; & ejus bonitátem totâ cordis alacritáte laudémus, quóniam ad conſtruéndam iſtam Domum oratiónis, fidélium ſuórum viſitávit ánimum, excitávit afféctum, ſurrogávit auxílium; inſpirávit necdum voléntibus ut vellent, adjúvit bonæ voluntátis conátus ut fácerent: ac per hoc Deus, qui operátur in ſuis, & velle & perfícere, pro bona voluntáte, hæc ómnia ipſe

t, ipſe perfécit. Et quia
ı bona in conſpéctu ſuo
uam eſſe permíttit iná-
fidélibus ſuis, quibus
ıntibus præbuit virtútis
ávórem, tríbuet con-
ım pro tanta operatióne
édem. Adhuc ámpliùs
læ ſunt grátiæ Deo
o: hanc enim Ecclé-
, quam fecit nómini
:ónſtrui, fecit étiam
órum Mártyrum relí-
ámpliùs honorári.

E QUINTA
Intra Octavam.
'e Libro Sapiéntiæ.
IO II. *c.* 14. *v.* 1. *ad* 6.

:ùm álius navigáre có-
ans, & per feros flu-
iter fácere incípiens,
portánte ſe, fragílius
m ínvocat. Illud enim
itas acquiréndi exco-
it, & ártifex ſapién-
ıbricávit ſuâ. Tua au-
Pater, providéntia
rnat: quóniam dedíſti
mari viam, & inter
ıs sémitam firmíſſimá,
dens quóniam potens
ómnibus ſalváre, étiã
: arte áliquis ádeat ma-
:d ut non eſſent vácua
ıtiæ tuæ ópera, prop-
›c étiam & exíguo ligno
nt hómines ánimas
& tranſeúntes mare
ıtem liberáti ſunt: ſed
› inítio cùm perírent
bi gigántes, ſpes orbis
:um ad ratem confú-
, remíſit ſéculo ſemen
tátis, quæ manu tuâ
'ubernáta.

Sermo ſancti Auguſtíni
Epíſcopi.
Serm. 337. *in Dedic. Eccleſiæ.* n. 2.

LECTIO III.

DUm cædúntur de móntibus lápides, & ligna de ſylvis, dum formántur, dolántur, coaptántur, labor & cura eſt: cùm autem perfécti ædifícii dedicátio celebrátur, gaúdium & ſecúritas labóribus curíſque ſuccédunt. Sic étiam ædificátio ſpiritális, cujus habitátor Deus, non ad tempus, ſed in ætérnum erit. Dum ex infidéli vita hómines ſegregántur ad fidem, dum quidquid in eis non bonum atque pervérſum eſt, amputátur & cǽditur, dum fiunt aptæ, pacíficæ, piǽque junctúræ, quantæ tentatiónes timéntur, quantæ tribulatiónes ſuſtinéntur? Cùm verò advénerit dies dedicatiónis Domûs ætérnæ, cùm dicétur nobis: Veníte, benedícti Patris mei; percípite regnum quod vobis parátum eſt ab inítio mundi; quæ illa exultátio, quæ ſecúritas erit? Cantábit cláritas, nec compungétur infírmitas.

DIE SEXTA
Intra Octavam.
De Libro Sapiéntiæ.
LECTIO II. *c.* 14. *v.* 7. *ad* 14.

BEnedíctum eſt lignum, per quod fit juſtítia: per manus autem quod fit ídolum, maledíctum eſt, &

ipſum, & qui fecit illud: quia ille quidem operátus eſt: illud autem, cùm eſſet frágile, deus cognominátus eſt. Simíliter autem ódio ſunt Deo, ímpius & impíetas ejus. Etenim quod factũ eſt, cum illo qui fecit, torménta patiétur. Propter hoc & in idólis natiónum non erit reſpéctus: quóniam creatúræ Dei in ódium factæ ſunt, & in tentatiónem animábus hóminum, & in muſcípulam pédibus inſipiéntium. Inítium enim fornicatiónis eſt exquiſítio idolórum; & adinvéntio illórum corrúptio vitæ eſt: neque enim erant ab inítio, neque erunt in perpétuum: ſupervacúitas enim hóminum advénit in orbem terrárum; & ídcò brevis illórum finis eſt invéntus.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homilia 1. *in* Vidi Dóminum. n. 1.

LECTIO III.

CUm ánimi divítias consídero in vobis augéſcere, gaúdeo ſemper, ut qui non fruſtrà ſeméntem jécerim, ut qui non incáſsùm labóres pertúlerim, ut qui in frugíferam pinguémque terram, & ad fructificándum idóneam ſemen jécerim. Unde ígitur hoc lucrum fore conjécto, unde perſpício ſermónes ad opus profícere? nimirùm ex hoc concúrſu; ex eo quòd Eccléſiam ómnium matrem ſtudióſè occupátis; ex hac pernócte perpetuáque ſtatióne, ex eo quòd Angelicórum Ordinum ſtatiónem imitántes, ſinè ceſſatióne laudes & hymnos offértis Conditóri. O mira Chriſti dona! In ſupérnis exércitus Angelórum canunt glóriam: in terris hómines in Eccléſiis choros agéntes, ad illórum exémplum éadem canunt laudis cántica. In ſupérnis Séraphim ter ſanctum illum hymnum clamant: in terris eúmdem hóminum promit multitúdo, communitérque, tum cœléſtium, tum terréſtrium feſtivus convéntus congregátur.

DIE SEPTIMA

Intra Octavam.

De Libro Sapiéntiæ.

LECTIO II. *c.* 14. *v.* 15. *ad* 21.

ACérbo luctu dolens pater, citò ſibi rapti fílii fecit imáginem: & illum, qui tunc quaſi homo mórtuus fúerat, nunc tanquam deum cólere cœpit, & conſtítuit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrifícia. Deínde interveniénte témpore, convaleſcénte iníquâ conſuetúdine, hic error tanquam lex cuſtodítus eſt, & tyrannórum império colebántur figménta. Et hos quos in palàm hómines honoráre non póterant, propter hoc quòd longè eſſent, è longínquo figúrâ eórum allátâ, evidéntem imáginem regis, quem honoráre volébant, fecérunt: ut illum qui abe-

rat, tanquam præséntem cólerent ſuâ ſollicitúdine. Provéxit autem ad horum cultúram & hos qui ignorábant, artíficis exímia diligéntia. Ille enim volens placére illi qui ſe aſsúmpſit, elaborávit arte ſuâ, ut ſimilitúdinem in mélius figuráret. Multitúdo autem hóminum abdúcta per ſpéciem óperis, eum qui ante tempus tanquam homo honorátus fúerat, nunc deum æſtimavérunt. Et hæc fuit vitæ humánæ decéptio: quóniam, aut affectui, aut régibus deſerviéntes hómines, incommunicábile nomen lapídibus&lignisimpoſuérunt.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. 1. *in* Vidi Dóminum. *n.* 1.

LECTIO III.

NUlla res tantùm affert gaúdii vitæ noſtræ, quantùm hoc quòd ex ánimo gaudeátis in Eccléſia congregári. In Eccléſia, gaudéntium conſervátur gaúdium. In Eccléſia, ánimo dejectórum eſt recreátio. In Eccléſia, doléntium eſt volúptas. In Eccléſia, defatigatórum reſpirátio. In Eccléſia, laborántium réquies. Veníte enim, inquit, ad me, omnes qui laborátis & onerati eſtis, & ego refíciam vos. Quid hâc voce poſſit eſſe deſiderabílius? Quid hâc invitatióne jucúndius? Ad *épulum te vocat*, qui in *Eccléſiam te vocat* Dóminus. Ad réquiem pro labóribus adhortátur, ad relaxatiónem à moléſtiis transfert, pondus peccatórum állevans: delíciis ánimi moléſtiam, gaúdio mœrórem ſanat. O ineffábilem curam! ô vocatiónem cœléſtem!

AD VESPERAS, *omnia ut in I. Veſperis Feſti, ſervato ritu Duplici majore, cum Commemoratione Dominicæ occurrentis.*

OCTAVA DEDICAT. ECCLESIÆ.

Duplex majus.

Omnia ut in die, exceptis quæ ſequuntur, ſervato ritu Duplici majore.

Pſalmi de Feria.

Lectio I. de Scriptura occurrente.

Sermo ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

Enarr. in Pſalm. 121. n. 4.

LECTIO II.

JErúſalem quæ ædificátur ut cívitas. Fratres, quando dicébat iſta David, perfécta erat illa cívitas, non ædificabátur. Néſcio quam ergo civitátem dicit, quæ modò ædificátur, ad quam currunt in fide lápides vivi, de quibus dicit Petrus: Et vos, tanquam lápides vivi, coædificámini in Domum ſpiritálem, id eſt, Templum ſanctum Dei. Quid eſt, lápides vivi coædificámini? Vivis, ſi credis. Si autem credis, efficeris Templum Dei: quia dicit Apóſtolus Paulus: Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vo

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Joánnem.

Lectio III. *c.* 10. *v.* 22. *ad* 29.

Oves Chriſti.

FActa ſunt Encǽnia in Templo in Jeroſólymis; & Hiems erat. Et réliqua.

Homilia venerábilis Bedæ Presbýteri.

Expoſ. in Evang. Joan. c. 10.

ENcǽnia vocabátur Solémnitas Dedicatiónis Templi, quam pópulus Dei ex antíqua patrum traditióne per annos síngulos celebráre conſuéverat. Sed notándum eſt, quòd hæc Encǽnia quæ hîc legúntur, non ad primam Templi Dedicatiónem, ſed ad últimam pértinent: quod ex eo fácilè collígitur quia Hieme factâ referúntur. Prima ſíquidem ejúſdem Templi Dedicátio à Salomóne témpore Autúmni; ſecúnda autem à Zoróbabel & Jeſu Sacerdóte témpore Veris; tértia à Juda Machabǽo témpore Hiemis eſt facta, quando ſpeciáliter conſtitútum eſſe légitur, ut eádem Dedicátio per omnes annos in memóriam ſolémnibus renovarétur officiis: quæ étiam ad tempus uſque Domínicæ Incarnatiónis obſervata fuit, ſicut modò, cùm legerétur Evangélium, audívimus. Quæ étiam Dedicátio ſalúbri conſuetúdine in Eccléſiis Chriſti ſervári modérno témpore dignóſcitur.

Poſt Laudes, fit Commemoratio Dominicæ, per Lectionem Evangelii cum Homilia, Antiphonam, ℣. *& Orationem, ut in Proprio de Tempore.*

Ad Primam non dicitur Symbolum Quicúmque.

OFFICIUM BEATÆ MARIÆ IN SABBATO.

Officium ſequens dicitur ritu ſimplici omnibus Sabbatis non privilegiatis, nec impeditis Feſto ſimplici aut ſuprà, vel diebus intra Octavas etiam quarti Ordinis.

IN VESPERIS *Feriæ VI. præcedentis.*

Capitulum. *Gen.* 3. 15.

AIt Dóminus Deus ad ſerpéntem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & ſemen tuum & ſemen illíus; ipſa cónteret caput tuum.

Hymnus.

DAvidis Sóboles, glória vírginum,
Chriſti, Virgo, Parens, te póſuit Deus,
Partu virgíneo, quæ malè súbdoli
Anguis contéreres caput.
Rebus princípium qui dedit ómnibus,

A te princípium ſumpſit
Homo Deus :
Cunctis proſpíciens qui trí-
buit cibos,
Paſtus lacte fuit tuo.
PER te quod múlier per-
díderat vetus,
Humáno géneri rédditur
aúctiùs :
Tu clauſas míſeris, heu!
nímiùm diu,
Cœlórum réſeras fores.
QUI lucis pater eſt, gló-
ria ſit Patri ;
Cujus Virgo Parens, glória
Fílio ;
Quo fecúnda, tibi, nexus
amábilis,
Sit par glória, Spíritus.
Amen.

℣. Deus operátus eſt ſalútem in médio terræ : ℟. Tu confregíſti cápita dracónis. *Pſ.* 73. 12. 14.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Benedictus Dóminus qui exaltávit eam, & ſit reggnum ejus in sécula ſeculórum ſuper eam, allelúia. *Tob.* 13. 23.

Oratio infrà ad Laudes Matutinas.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Creávit Dóminus novum ſuper terram : Fémina circúmdabit virum, allelúia. *Jer.* 31. 22.

HYMNUS.

VIRGO Dei Génitrix,
quem totus non capit
orbis,
In tua ſe clauſit víſcera
factus homo.
HINC méritò dicent te
sécula cuncta beátam.
Hinc pópuli Matrem, te
Dominámque colunt.
SUSCIPE quos pia plebs
tibi péndere certat ho-
nóres :
Annue, ſollícitâ quam
prece poſcit, opem.
GLORIA magna Patri ;
compar ſit glória Nato ;
Ambórum tibi par, Spí-
ritus alme, decus.
Amen.

CAPITULUM. *Apoc.* 12. 1.

SIgnum magnum appáruit in cœlo : Múlier amícta ſole, & luna ſub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna ſtellárum duódecim.

℟. *breve.* In manus, *p.* viij.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 7. *d.* Non óccidet ultrà ſol tuus, & luna tua non minuétur ; quia erit tibi Dóminus in lucem ſempitérnam, allelúia. *Iſ.* 60. 20.

Oratio.

DEus, qui in caſto ſinu beátæ Vírginis Maríæ requiéſcere dignátus es, da nobis, ipsâ intercedénte, ut per noctem in te requieſcéntes, nullis ſpirituálium hóſtium illuſiónibus conturbémur ; Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitáte Spíritûs ſancti, Deus ; Per ómnia.

Hoc modo dicitur Completorium in omnibus Feſtis Beatæ Mariæ Virginis.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Jeſum de María natum, * Venite,

adorémus, allelúia. *Matt.* 1. 16.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu ſimplici.*

HYMNUS.

PROPRIOS, Virgo, tibi, magna, plauſus
Spléndido Nati damus in triúmpho:
Ille dum vincit, tua, Mater, eſt pars
Máxima palmæ.

DE tua crevit generátus alvo:
De tuo ſuxit ſibi lacte corpus:
De tuo ſanguis, prétium ſalútis,
Ubere fluxit.

QUANTA vis Matrem tétigit dolóris,
Prole tot diras obeúnte mortes!
Carne quas læsâ tulit ille plagas,
Corde tuliſti.

RUPE dum clauſus jácuit ſepúlcri,
Orba tunc lucis páriter jacébas:
At novam Chriſto reparánte vitam,
Ipſa reſúrgis.

FILIO gaude, Génitrix, recépto;
Nulla regnántem tibi fata tollent,
Quem Patri conſors amor, & perénnis
Glória jungit.
Amen.

Pſalmi de Sabbato; & ſic in aliis Horis.

Ant. 1. g. Fecit mihi magna qui Potens eſt, & ſanctum nomen ejus, allelúia. *Luc.* 1. 49.

Ant. 7. *d.* Qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, allelúia. *Eccli.* 24. 12.

Ant. 2. D. Uſque ad futúrum séculum non déſinam, & in habitatióne ſancta coram ipſo miniſtrávi, allelúia. *Eccli.* 24. 14.

℣. In petra exaltávit me; ℟. Et nunc exaltávit caput meum. *Pſ.* 26. 6.

Benedictiones Exúltet, &c. Nobíſcum, &c. Invocet, &c. *poſt Pſalterium*, p. 120.

Lectio I. & II. de Scriptura occurrente. Pro III. verò legitur una de ſequentibus, ſecundùm diverſitatem menſium.

℟. *j.* Ecce Virgo concípiet & páriet Fílium; * Et vocábitur nomen ejus Emmánuël, allelúia. *Iſ.* 7. 14. ℣. Hic erit magnus, & Fílius Altíſſimi vocábitur. *Luc.* 1. 32. * Et vocábitur.

℟. *ij.* Jurávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrábitur eam: * De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam, allelúia. *Pſ.* 131. 11. ℣. María invénta eſt in útero habens de Spíritu ſancto. *Matt.* 1. 18. * De fructu.

℟. *iij.* Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi; juſtítia & pax oſculátæ ſunt: * Véritas de terra orta eſt: & juſtítia de cœlo proſpéxit, allelúia. *Pſ.* 84. 11. 12. ℣

De María natus eſt Jeſus, qui vocátur Chriſtus. *Matt.* 1. 16. * Véritas. Glória. * Véritas.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Confiteántur tibi pópuli, Deus; confiteántur tibi pópuli omnes: ℟. Terra dedit fructum ſuum. *Pſ.* 66. 6. 7.

Ant. ſola. 3. à. In omni.

CANTICUM JUDITH. *c.* 13. *v.* 17. *ad* 18.

Carmen triumphale propter victum ſalutis hoſtem.

LAudáte Dóminum Deũ noſtrum, * qui non deſéruit ſperántes in ſe:

Et in me ancíllâ ſuâ adimplévit miſericórdiam ſuã, * quã promíſit dómui Iſraël:

Et interfécit in manu mea * hoſtem pópuli ſui.

Ant. In omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur ſuper te Deus Iſraël, allelúia. *Judith.* 13. 31.

CAPITULUM. *Cant.* 6. 9.

PRogréditur quaſi auróra conſúrgens, pulchra ut luna, elécta ut ſol, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta.

HYMNUS.

VICTOR triúmphat Fílius;
Lætáre, Mater, & tuo
Qui corde fixit vúlnera,
Nunc pulſus abſíſtat dolor.

FIXUM cruci quem víderas,
Natum reſurgéntem vides;
Magnos amor luctus dedit,
Majóra nunc dat gaúdia.

NEC jam rapáci gútture
Chriſtum reſúmet ínferus;
Mortem volens ſemel tulit,
Nunc vivus ætérnùm manet.

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre, & almo Spíritu
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Veníte, & vidéte ópera Dómini, ℟. Quæ póſuit prodígia ſuper terram. *Pſ.* 45. 9.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. Beáta, quæ credidíſti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta ſunt tibi à Dómino, allelúia. *Luc.* 1. 45.

Oratio.

DEus, qui per Reſurrectiónem Filii tui Dómini noſtri Jeſu Chriſti mundum lætificáre dignátus es; præſta, quæſumus, ut per ejus Genitrícem Vírginem Maríam perpétuæ capiámus gaúdia vitæ; Per eúmdem.

AD HORAS, *Doxologia.*

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Venit lumen tuum, & glória Dómini ſuper te orta eſt, allelúia. *Iſ.* 60. 1.

CAPITULUM. 2. *Reg.* 23. 4.

SIcut lux auróræ oriénte ſole, manè abſque núbibus rútilat.

In ℟. brevi, ℣. Qui na-

tus es de María Vírgine. *Matt.* 1. 16.

Canon habetur ad calcem Breviarii.

Cætera omnia ut in Proprio de Tempore.

AD TERTIAM.

Ant. 3. c. In ómnia sécula ſeculórum luce ſplén-didâ fulgébis, allelúia. *Tob.* 13. 12. 13.

Capitulum. *Cant.* 6. 8.

VIdérunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicavérunt.

℟. *breve.* Vultum tuum deprecabúntur, * Allelúia, allelúia. ℟. Vultum. ℣. Omnes dívites plebis. * Allelúia. Glória. ℟. Vultum. *Pſ.* 44. 13.

℣. Concupíſcet Rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. *Pſ.* 44. 12.

AD SEXTAM.

Ant. 8. c. Benedícta es tu filia à Dómino Deo excélſo, præ ómnibus muliéribus ſuper terram, allelúia. *Judith.* 13. 23.

Capitulum. *Apoc.* 12. 5.

MUlier péperit Filium máſculum, qui rectúrus erat omnes gentes.

℟. *breve.* Homo natus eſt in ea, * Allelúia, allelúia. ℟. Homo. ℣. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. * Allelúia. Glória. ℟. Homo. *Pſ.* 86. 5.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

AD NONAM.

Ant. 7. d. Non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum, allelúia. *Judith.* 13. 25.

Capitulum. *Gal.* 4. 4.

UBi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Fílium ſuum, factum ex mulíere, factum ſub lege.

℟. *breve.* Adducéntur Regi vírgines poſt eam, * Allelúia, allelúia. ℟. Adducéntur. ℣. Próximæ ejus afferéntur tibi. * Allelúia. Glória. ℟. Adducéntur. *Pſ.* 44. 15.

℣. Dóminus virtútum nobíſcum; ℟. Suſcéptor noſter Deus Jacob. *Pſ.* 45. 12.

Hoc Officium abſolvitur poſt Nonam.

Lectiones sequentes dicuntur ſingulis menſibus in Officio B. Mariæ in Sabbato.

MENSE APRILI.

Sermo ſancti Athanáſii Epíſcopi.

Epiſt. ad Epict.

Lectio III.

HUmánum natúrâ erat quod ex María pródiit, ſecúndùm divínas Scriptúras, verúmque erat Dómini corpus: verum, inquam, fuit, cùm idem atque noſtrum extíterit. Soror étenim noſtra eſt María, omnes quippe ex Adam orti ſumus. Nam poſtquàm à mórtuis ſurrexiſſet, cù

quidam exiſtimárent, ſe non in córpore ex María génito Dóminum aſpícere, ſed illíus loco ſpíritum vidére, dixit ille: Palpáte me, & vidéte, quia ſpíritus carnem & oſſa non habet, ſicut me vidétis habére. Non dixit, ut me vidétis carnem & oſſa eſſe, ſed habére; ne ipsúmmet Verbum in res illas transformátum fuiſſe censerétur; ſed illas & ante mortem, & poſt reſurrectiónem habére crederétur.

MENSE MAIO.

Ex Libro de excelléntia B. Vírginis Maríæ.

Inter opera S. Anſelmi. c. 8.

LECTIO III.

SI tam magna fuit in beáta Vírgine gaúdii exultátio in converſatióne Unigéniti Fílii ſui ſecum adhuc in carne mortáli degéntis, quem ſciébat pauló pòſt moritúrum: quæ, vel quanta, putátis, fuit tunc, cùm vidit ipſum, jam calcátis mortis légibus, reſurrexiſſe, in ætérnum victúrum? Nolo hanc immenſitátem gaúdii ejus explicáre quis labóret: quóniam quæ ipſis Angelis eſt admiránda & impenetrábilis, non fácilè credíderim quemquam hóminum mortálium poſſe comprehéndere. Sed ſi gaúdium hábuit, eódem, calcátâ morte, ab ínferis reſurgénte, non minóri gaúdio exultávit, cùm ipſum in ea carne quam de ſe aſſúmptam nóverat, vidit in Dei Patris omnipoténtis conséſſum aſcendéndo pertíngere, cœlo & terræ, omníque creatúræ perpétuo jure dominatúrum.

OFFICIUM PARVUM BEATÆ MARIÆ.

Singulæ Horæ hujus Officii dicuntur hoc modo: Veſperæ & Completorium, ante Veſperas Officii diei: Officium verò Nocturnum cum cæteris Horis poſt Laudes Matutinas Officii diei.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitatorium. Jeſum de María natum, * Veníte, adorémus, all. *Matt.* 1, 16.

Pſalmus. Veníte, *p.* 23 *ritu ſimplici.*

Hymnus. Próprios, Virgo, *p.* xc.

IN I. NOCTURNO.

FERIA II. ET V.

Ant. ſola. 1. g. Fecit.

Pſalmus 18. Cœli enárrant, *p.* 31.

Diviſio Pſalmi 18. Lex Dómini, *p.* 31.

Pſalmus 47. Magnus Dóminus, p. 107.

Ant. Fecit mihi magna qui Potens eſt, & ſanctum nomen ejus, allelúia. *Luc.* 1. 49.

℣. In ſole póſuit tabernáculum ſuum; ℟. Et ipſe tanquam ſponſus procédens de thálamo ſuo. *Pſ.* 18. 6.

Pater noſter.

Benedictiones, Lectiones, & ℟℟℟. *ut infrà.*

IN II. NOCTURNO.

Feria III. et VI.

Ant. ſola. 7. *d.* Qui creávit me.

Pſalmus 44. Eructávit cor meum, *p.* 74.

Diviſio Pſalmi 44. Audi, filia, & vide, *p.* 75.

Pſalmus 84. Benedixíſti, Dómine, *p.* 78.

Ant. Qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, allelúia. *Eccli.* 24. 12.

℣. In petra exaltávit me; ℟. Et nunc exaltávit caput meum. *Pſ.* 26. 6.

Pater noſter.

Benedictiones, Lectiones, & ℟℟℟. *ut infrà.*

IN III. NOCTURNO.

Feria IV. et Sabbato.

Ant. ſola. 2. D. Uſque.

Pſalmus 86. Fundaménta ejus, *p.* 108.

Pſalmus 96. Dóminus regnávit, exúltet terra, *p.* 36.

Pſalmus 97. Cantáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília, *p.* 80.

Ant. Uſque ad futúrum séculum non déſinam, & in habitatióne ſancta corà ipſo miniſtrávi, allelúia. *Eccli.* 24. 14.

℣. Vidérunt omnes términi terræ, ℟. Salutáre Dei noſtri. *Pſ.* 97. 3.

Pater noſter.

Benedictiones. Exúltet, &c. Nobíſcum, &c. Invocet, &c. *Poſt Pſalterium, p.* 120.

De Iſaía Prophéta.

Lectio I. *c.* 7. *v.* 10. *ad* 14.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi ſignum à Dómino Deo tuo in profúndum inférni, ſive in excélſum ſuprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Numquid parùm vobis eſt moléſtos eſſe homínibus, quia moléſti eſtis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concípiet & páriet Fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuël. Tu autem.

℟. *j.* Ecce Virgo concípiet & páriet Fílium; * Et vocábitur nomen ejus Emmánuël, allelúia. *Iſ.* 7. 14.

℣. Hic erit magnus, & Fílius Altíſſimi vocábitur. *Luc.* 1. 32. * Et vocábitur.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Gálatas.

Lectio II. *c.* 4. *v.* 1. *ad* 5.

QUanto témpore hæres párvulus eſt, nihil differt à ſervo, cùm ſit dóminus ómnium: ſed ſub tutóribus & actóribus eſt, uſque ad præfinítum tempus

à patre. Ità & nos, cùm eſsémus párvuli, ſub eleméntis mundi erámus ſerviéntes. At ubi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub Lege, ut eos qui ſub Lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. Tu autem.

℟. *ij.* Jurávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrábitur eam: * De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam, allelúia. *Pſ.* 131. 11. ℣. María invénta eſt in útero habens de Spíritu ſancto. *Matt.* 1. 18. * De fructu.

De Libro Apocalýpſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio III. *c.* 11. *v.* 19. *ad finem. & c.* 12. *v.* 1.

APértum eſt templum Dei in cœlo; & viſa eſt Arca teſtaménti ejus in templo ejus: & facta ſunt fúlgura, & voces, & terræ motus, & grando magna. Et ſignum magnum appáruit in cœlo: Múlier amícta ſole, & luna ſub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna ſtellárum duódecim. Tu autem.

℟. *iij.* Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi; juſtítia & pax oſculátæ ſunt: * Véritas de terra orta eſt, & juſtítia de cœlo proſpéxit, allelúia. *Pſ.* 84. 11. 12. ℣. De María natus eſt Jeſus, qui vocátur Chriſtus. *Matt.* 1. 16. * Véritas. Glória. * Véritas.

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes; ℟. Terra dedit fructum ſuum. *Pſ.* 66. 6. 7.

Ant. ſola. 3. *à.* In omni.

Pſalmus 66. Deus miſereátur noſtrî, *p.* 108.

Pſalmus 92. Dóminus regnávit; decórem indútus eſt, *p.* 10.

Pſalmus 99. Jubiláte Deo, omnis terra, * ſervíte, *p.* 10.

Canticum Judith. *c.* 13. *v.* 17. *ad* 18.

Carmen triumphale propter victum ſalutis hoſtem.

LAudáte Dóminum Deum noſtrum, * qui non deséruit ſperántes in ſe:

Et in me ancíllâ ſuâ adimplévit miſericórdiam ſuam, * quam promíſit dómui Iſraël:

Et interfécit in manu mea * hoſtem pópuli ſui.

Pſalmus 150. Laudáte Dóminum in ſanctis ejus, *p.* 10.

Ant. In omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur ſuper te Deus Iſraël, allelúia. *Judith.* 13. 31.

Capitulum. *Cant.* 6. 9.

PRogréditur quaſi auróra conſúrgens, pulchra ut luna, elécta ut ſol, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta.

Hymnus. Victor triumphat, *p.* xcj.

℣. Veníte, & vidéte ópera Dómini, ℟. Quæ póſuit prodígia ſuper terram. *Pſ.* 45. 9.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. D. Beáta, quæ credidíſti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta ſunt tibi à Dómino! allelúia. *Luc.* 1. 45.

Oratio.

DEus, qui in beátæ Mariæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem ſuſcípere voluíſti; præſta ſupplícibus tuis, ut qui verè eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te interceſſiónibus adjuvémur; Per eúmdem.

AD PRIMAM.

Hymnus.

MEmento, de Deo Deus,
Quòd Matre natus Vírgine,
Noſtrî misértus, pérditi
Mundi Redémptor véneris.

Et nos, Dei Virgo Parens,
Vultu benígno réſpice:
Placábilem tuâ prece
Fac eſſe nobis Fílium.

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna sécula.
Amen.

Ant. 1. g. Venit.

Pſalmus 45. Deus noſter, refúgium & virtus, *p.* 75.

Pſalmus 71. Deus, judícium tuum regi da, *p.* 79. *factâ diviſione ad verſiculum* Coram illo prócident.

Ant. Venit lumen tuum, & glória Dómini ſuper te orta eſt, allelúia. *Iſ.* 60. 1.

CAPITULUM. 2. *Reg.* 23. 4.

SIcut lux auróræ oriénte ſole, manè abſque núbibus rútilat.

℟. *breve.* Recordátus eſt Dóminus miſericórdiæ ſuæ, * Allelúia, allelúia. ℟. Recordátus. ℣. Et veritátis ſuæ dómui Iſraël. * Allelúia. Glória. ℟. Recordátus. *Pſ.* 97. 3.

℣. Adjuvábit eam Deus, ℟. Manè dilúculo. *Pſ.* 45. 6.

Oratio.

PRótege, Dómine, fámulos tuos ſubsídiis pacis; & beátæ Maríæ ſemper Vírginis patrocíniis confidéntes, à cunctis hóſtibus & perículis redde ſecúros; Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Hymnus. Meménto, de Deo Deus, *ſuprà ad Primam.*

Ant. 3. c. In ómnia.

Pſalmus 115. Crédidi; propter quòd, *p.* 85.

Pſalmus 116. Laudáte Dóminum, omnes gentes, *p.* 108.

Pſalmus 129. Ad Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, *p.* 55.

Ant. In ómnia sécula ſeculórum luce ſplendídâ fulgébis, allelúia. *Tob.* 13. 12. 13.

CAPITULUM. *Cant.* 6. 8.

VIdérunt eam filiæ, & beatíſſimam prædicavérunt.

℟. *breve.* Vultum tuum deprecabúntur, * Allelúia, allelúia. ℟. Vultum. ℣. Omnes dívites plebis. * Allelúia. Glória. ℟. Vultum. *Pſ.* 44. 13.

℣. Concupiſcet Rex decor-

córem tuum; ℟. Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. *Pſ.* 44. 12.

Oratio.

DEus, qui ſalútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúndâ, humáno géneri præmia præſtitiſti; tríbue, quæſumus, ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam merúimus Autórem vitæ ſuſcípere, Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuũ, qui tecum, &c.

AD SEXTAM.

Hymnus. Meménto, *ſuprà ad Primam.*

Ant. 8. c. Benedícta.

Pſalmus 120. Levávi óculos meos, *p.* 55.

Pſalmus 122. Ad te levávi óculos meos, *p.* 71.

Pſalmus 123. Niſì quia Dóminus erat, *p.* 56.

Ant. Benedícta es tu fília à Dómino Deo excélſo, præ ómnibus muliéribus ſuper terram, allelúia. *Judith.* 13. 23.

CAPITULUM. *Apoc.* 12. 5.

MUlier péperit fílium máſculum, qui rectúrus erat omnes gentes.

℟. *breve.* Homo natus eſt in ea, Allelúia, allelúia. ℟. Homo. ℣. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. * Allelúia. Glória. ℟. Homo. *Pſ.* 86. 5.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

Oratio.

COrdibus noſtris, quæſumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde; & intercedénte ſanctíſſimâ Dei Genitríce Maríâ, córpora noſtra caſtitáte, & mentes noſtras humilitáte & caritáte ſanctífica; Per eúmdem.

AD NONAM.

Hymnus. Meménto, *ſuprà ad Primam.*

Ant. 7. d. Non recédat.

Pſalmus 124. Qui confídunt in Dómino, *p.* 56.

Pſalmus 125. In convérténdo Dóminus, *p.* 86.

Pſalmus 127. Beáti omnes qui timent, *p.* 86.

Ant. Non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum, allelúia. *Judith.* 13. 25.

CAPITULUM. *Gal.* 4. 4.

UBi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Fíliũ ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege.

℟. *breve.* Adducéntur Regi Vírgines poſt eam, * Allelúia, allelúia. ℟. Adducéntur. ℣. Próximæ ejus afferéntur tibi. * Allelúia. Glória. ℟. Adducéntur. *Pſ.* 44. 15.

℣. Dóminus virtútum nobíſcum; ℟. Suſcéptor noſter Deus Jacob. *Pſ.* 45. 12.

Oratio.

FAmulórum tuórũ, quæſumus, Dómine, delictis ignóſce, ut qui tibi pla-

cére de áctibus noſtris non valémus, Genitrícis Filii tui Dómini noſtri interceſſióne ſalvémur; Per eúmdem.

AD VESPERAS.

Ant. ſola. 7. *d.* Benedíctus.

Pſalmus 109. Dixit Dóminus, *p.* 22.

Pſalmus 112. Laudáte, púeri, *p.* 23.

Pſalmus 121. Lætátus ſum, *p.* 116.

Pſalmus 126. Niſi Dóminus ædificáverit, *p.* 56.

Pſalmus 147. Lauda, Jeruſalem, *p.* 80.

Ant. Benedíctus Dóminus qui creávit cœlum & terram, qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum noſtrórum, allelúia. *Judith.* 13. 24.

CAPITULUM. *Gen.* 3. 15.

AIt Dóminus Deus ad ſerpéntem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & ſemen tuum & ſemen illíus; ipſa cónteret caput tuum.

HYMNUS.

AVE, maris ſtella,
Dei Mater alma,
Atque ſemper Virgo,
Felix cœli porta.

SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.

MONSTRA te eſſe matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.

VIRGO ſinguláris
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolútos,
Mites fac & caſtos.

VITAM præſta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jeſum,
Semper collætémur.

SIT laus Deo Patri,
Summo Chriſto decus,
Spirítui ſancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Deus operátus eſt ſalútem in médio terræ; ℟. Tu confregíſti cápita dracónis. *Pſ.* 73. 12. 14.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. 2. Benedíctus Dóminus, qui exaltávit eam, & ſit regnum ejus in sécula ſeculórum ſuper eam, allelúia. *Tob.* 13. 23.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitáte gaudére; & glorióſa beátæ Maríæ ſemper Vírginis interceſſióne, à præsénti liberári triſtítia, & ætérnâ pérfrui lætítiâ; Per Dóminum.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Creávit.

Pſalmus 128. Sæpè expugnavérunt me, *p.* 100.

Pſalmus 129. De profúndis clamávi, *p.* 101.

Pſalmus 130. Dómine, non eſt exaltátum, *p.* 72.

Ant. Creávit Dóminus novum ſuper terram: Fémina

circúmdabit virum, allelúia. *Jer.* 31. 22.

Hymnus. Virgo Dei Génitrix, *p.* lxxxix.

CAPITULUM. *Apoc.* 12. 1.

SIgnum magnum appáruit in cœlo: Múlier amícta sole, & luna ſub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna ſtellárum duódecim.

℣. Aſtitit Regína à dextris tuis, Deus, ℟. In veſtítu deauráto. *Pſ.* 44. 20.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 7. *d.* Non óccidet ultrà ſol tuus, & luna tua non minuétur; quia erit tibi Dóminus in lucem ſempitérnam, allelúia. *Iſ.* 60. 20.

Oratio.

BEátæ & glorióſæ ſempérque Vírginis Maríæ, quæſumus, Dómine, intercéſſio glorióſa nos prótegat, & ad vitam perdúcat ætérnam; Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíſcum;
℟. Et cum ſpíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino;
℟. Deo grátias.

PSALMI PŒNITENTIALES.

Pſalmus 6. Dómine, ne in furóre tuo árguas me, *p.* 40.

Glória Patri, &c. *& dicitur in fine cujuſque Pſalmi.*

Pſalmus 31. Beáti quorum remíſſæ ſunt iniquitátes, *p.* 74.

Pſalmus 37. Dómine, ne in furóre tuo árguas me, *p.* 102.

Pſalmus 50. Miſerére meî, Deus, * ſecúndùm, *p.* 117.

Pſalmus 101. Dómine, exaúdi oratiónem meam, *p.* 28.

Pſalmus 129. De profúndis clamávi ad te, Dómine, *p.* 101.

Pſalmus 142. Dómine, exaúdi oratiónem meam, aúribus pércipe, *p.* 105.

Ant. Dómine, memor eſto meî, & ne vindíctam ſumas de peccátis meis, neque reminiſcáris delícta mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3. 3.

LITANIÆ.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon.
Chriſte, audi nos.
Chriſte, exaúdi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, Miſerére nobis.
Spíritus ſancte Deus, Miſerére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, Miſerére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Sancte Michaël, ora.
Sancte Gábriël, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Omnes ſancti Angeli & Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes ſancti beatórum Spirítuum órdines, oráte
Sancte Joánnes Baptíſta, o

Omnes ſancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte pro nobis.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, (*Zeb.*) ora.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomǽe, ora.
Sancte Matthǽe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadǽe, ora.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora
Sancte Marce, ora.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangelíſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocéntes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Fabiáne, ora.
Sancte Lauténti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Sebaſtiáne, ora.
Sancti Donatiáne & Rogatiáne, oráte.
Sancte Gohárde cum sóciis tuis, ora.
Sancte Dionýſi cum sóciis tuis, ora.
Sancte Maurici cum sóciis tuis, ora.
Sancti Joánnes & Paule, oráte pro nobis.
Sancti Coſma & Damiáne, oráte pro nobis.
Omnes ſancti Mártyres, orát.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Ambróſi, ora.
Sancte Auguſtíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Athanáſi, ora.
Sancte Basíli, ora.
Sancte Gregóri Nazianzéne, ora.
Sancte Joánnes Chryſóſtome, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Omnes ſancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Clare, ora.
Sancte Similiáne, ora.
Sancte Felix, ora.
Sancte Paſchári, ora.
Sancte Gatiáne, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Remígi, ora.
Sancte Martiális, ora.
Sancte Cárole, ora.
Sancte Franciſce, (*Sal.*) ora.
Omnes ſancti Pontífices, oráte pro nobis.
Sancte Yvo, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Friárde, ora.
Sancte Hervǽe, ora.
Sancte Gildáſi, ora.
Sancte Martíne, (*Abb.*) ora.
Sancte Hermelánde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francíſce, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Roche, ora.
Omnes ſancti Sacerdótes & Levítæ, oráte.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Omnes ſancti Juſti, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléna, ora pro nobis.

Sancta Thecla, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Anaſtáſia, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Clotíldis, ora.
Sancta María Ægýptia, ora pro nobis.
Omnes ſanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro nobis.
Propítius eſto, Parce nobis, Dómine.
Propítius eſto, Exaúdi nos, Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab immúndis cogitatiónibus, líbera.
Ab ira, & ódio, & omni mala voluntáte, líbera.
A fulgure & tempeſtáte, líbera nos, Dómine.
A ſubitánea & improvíſa morte, líbera.
A morte perpétua, líbera.
Per myſtérium ſanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera nos, Dómine.
Per Baptíſmum & ſanctum Jejúnium tuum, líbera.
Per Crucem & Paſſiónem tuam, líbera.
Per Mortem & Sepultúram tuam, líbera.
Per ſanctam Reſurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam, líbera.
Per advéntum Spíritûs ſancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, Te rogámus, audi nos.
Ut compunctiónem cordis, fontémque lacrymárum nobis dones, Te rogámus.
Ut remiſſiónem peccatórum noſtrórum nobis dones, Te rogámus.
Ut fidem, ſpem & caritátem nobis dones, Te rog.
Ut Eccléſiam tuam ſanctam régere & conſerváre dignéris, Te rogámus.
Ut domnum Apoſtólicum, & omnes gradus Eccléſiæ in ſancta Religióne conſerváre dignéris, Te rog.
Ut Antíſtitem noſtrum, & omnes congregatiónes illi commíſſas in tuo ſancto obséquio conſerváre dignéris, Te rogámus.
Ut Regem noſtrum cuſtodíre dignéris, Te rogámus.
Ut inimícos ſanctæ Eccléſiæ humiliáre dignéris, Te rogámus.
Ut Régibus & Princípibus Chriſtiánis pacem & concórdiam donáre dignéris, Te rogámus.
Ut cuncto pópulo Chriſtiáno pacem & unitátem largíri dignéris, Te rog.
Ut noſmetípſos in tuo ſancto ſervítio confortáre & conſerváre dignéris, Te rogámus.

Ut mentes noſtras ad cæleſtia deſideria erigas, Te rogamus.

Ut omnibus benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas, Te rogamus.

Ut animas noſtras, fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorum ab æterna damnatione eripias, Te rogámus.

Ut fructus terræ dare & conſervare dignéris, Te rog.

Ut omnibus fidelibus defunctis réquiem ætérnam donare digneris, Te rog.

Ut nos exaudire dignéris, Te rogámus.

Fili Dei, Te rogámus.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaúdi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miſerére nobis.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater, &c. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentationem; ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Dómine, ne memineris iniquitatum noſtrárum antiquárum; ℟. Citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ; quia paúperes facti ſumus nimis. *Pſ.* 78. 8.

℣. Adjuva nos, Deus ſalutáris noſter, & propter glóriam nóminis tui, Dómine, libera nos; ℟. Et propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. *Pſ.* 78. 6.

℣. Orémus pro Paſtóre noſtro N. ℟. Dóminus conſérvet eum, & vivíficet eum. *Pſ.* 40. 3.

℣. Dómine, ſalvum fac Regem; ℟. Et exaúdi nos in die quâ invocavérimus te. *Pſ.* 19. 10.

℣. Orémus pro benefactóribus noſtris. ℟. Exaúdi de cœlo, Dómine; & dimitte peccáta ſervis tuis. 2. *Paral.* 6. 27.

℣. Pro frátribus noſtris abséntibus. ℟. Rege eos, & extólle illos uſque in ætérnum. *Pſ.* 27. 9.

℣. Pro infirmis, afflictis & captivis. ℟. Libera, Deus, Iſraël ex ómnibus tribulatiónibus ſuis. *Pſ.* 24. 22.

℣. Pro cunctis fidélibus defunctis. ℟. Convértere, Domine, úſquequò? & deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 13.

℣. Memor eſto congregatiónis tuæ, ℟. Quam poſſediſti ab initio. *Pſ.* 73. 2.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobiſcum; ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Orémus.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere, ſúſcipe deprecatiónem noſtram; ut nos, & omnes famulos tuos quos delictórum caténa conſtringit, miſerátio tuæ pietátis clementer abſolvat.

EXaúdi, quǽſumus, Dómine, ſúpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus & pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, miſericórdiam tuam cleménter oſténde; ut ſimul nos & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro his merémur, erípias.

DEus, qui culpas delinquéntium diſtríctè feriéndo pércutis, fletus quoque lugéntium non recúſes; ut qui pondus tuæ animadverſiónis cognóvimus, pietátis tuæ grátiam ſentiámus.

OMnípotens ſempitérne Deus, miſerére fámulo tuo Pontífici noſtro *N.* & dírige eum ſecúndùm tuam cleméntiam in viam ſalútis ætérnæ; ut, te donánte, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat.

QUǽſumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noſter *N.* qui tuâ miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula, virtútum étiam ómniũ percípiat increménta; quibus decénter ornátus, vitiórum monſtra devitáre, hoſtes ſuperáre, & ad te, qui via, véritas & vita es, gratióſus váleat perveníre.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta consília, & juſta ſunt ópera; da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut, & corda noſtra mandátis tuis dédita, & hóſtiũ ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquílla.

URe igne ſancti Spíritûs renes noſtros, & cor noſtrum, Dómine; ut tibi caſto córpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

ACtiónes noſtras, quǽſumus, Dómine, aſpirándo prǽveni, & adjuvándo proſéquere; ut cuncta noſtra orátio & operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur.

FIdélium, Deus, ómnium Cónditor & Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remiſſiónem cunctórũ tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequántur.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui vivórum domináris ſimul & mortuórum, omniúmque miſeréris quos tuos fide & ópere futúros eſſe prænóſcis; te ſúpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quóſque vel præſens ſéculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore ſuſcépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum ſuórum véniam conſequántur; Per Dóminum noſtrum.

℣. Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

ORDO
COMMENDATIONIS ANIMÆ
ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.
Sancta María, Ora pro eo; (*vel* ea.)
Omnes ſancti Angeli & Archángeli, Oráte pro eo, (*vel* ea.)
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Juſtórum, oráte.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptíſta, ora.
Omnes ſancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Lauréntì, ora.
Sancti Donatiáne & Rogatiáne, oráte.
Omnes ſancti Mártyres, oráte.
Sancte Clare, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Yvo, ora.
Omnes ſancti Pontífices & Sacerdótes, oráte.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Friárde, ora.
Sancte Francíſce, ora.
Omnes ſancti Mónachi, oráte.
Sancta María Magdaléne, ora.
Sancta Thecla, ora.
Sancta Genovéfa, ora.
Omnes ſanctæ Vírgines & Víduæ, oráte pro eo, (*vel* ea.)
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, oráte.
Propítius eſto, Parce ei, Dómine.
Ab ira tua, Líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
A mala morte, líbera.
A poteſtáte diáboli, líbera.
A pœnis inférni, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
Per Crucem & Paſſiónem tuam, líbera.
Per Mortem & Sepultúram tuam, líbera.
Per glorióſam Reſurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritûs ſancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, Te rogámus, audi nos.

Kýrie, eléiſon.
Chriſte, eléiſon.
Kýrie, eléiſon.

Deinde, cùm in agone ſui exitûs anxiatur anima, dicitur :

PRoficíſcere, ánima Chriſtiána, de hoc mundo, in nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit; in nómine Jeſu Chriſti Filii Dei vivi, qui pro te paſſus eſt; in nómine Spíritûs ſancti, qui in te effúſus eſt; in nómine Angelórum & Archangelórum; in nómine Thronórum & Dominatiónum; in nómine Principátuum & Poteſtátum; in nómine Chérubim & Séraphim; in nómine Patriarchárum & Prophetárum; in nómine ſanctórum Apoſtolórum & Evangeliſtárum; in nómine ſanctórum Mártyrum & Pontíficum; in nómine ſanctórum Sacerdótum & Monachórum; in nómine ſanctárum Vírginum, & ómnium Sanctórum & Sanctárum Dei. Hódie ſit in pace locus tuus, & habitátio tua in ſancta Sion; Per eúmdem Chriſtum Dóminum noſtrũ. ℞. Amen.

Orémus.

DEus miséricors, Deus clemens, Deus, qui ſecúndum multitúdinem miſeratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, & præteritórum críminum culpas véniâ remiſſiónis evácuas; réſpice propítius ſuper hunc *fámulum tuum* (*vel* hanc *fámulam tuam*) *N.* & remiſſiónem ómnium peccatórum ſuórum totâ cordis confeſſióne poſcéntem deprecátus exaúdi. Rénova in eo, (*vel* ea,) piiſſime Pater, quidquid terrénâ fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólicâ fraude violátum eſt: & unitáti córporis Eccléſiæ membrum redemptiónis annécte. Miſerére, Dómine, gemítuum, miſerére lacrymárum ejus; & non habéntem fidúciam, niſi in miſericórdia tua, ad tuæ Sacraméntum reconciliatiónis admítte; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℞. Amen.

COmméndo te omnipoténti Deo, cariſſime frater, (*vel* caríſſima ſoror,) & ei cujus es creatúra, commítto; ut cùm humanitátis débitum, morte interveniénte, persólveris; ad Autórem tuum, qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore, ſplendidus Angelórum cœtus occúrrat; judex Apoſtolórum tibi ſenátus advéniat; candidatórũ tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet; liliáta rutilántium te Pontíficum turma circúmdet; jubilántium te Vírginum chorus excípiat; beátæ quiétis in ſinu Patriarchárum te compléxus aſtríngat; mitis atque feſtívus Chriſti Jeſu tibi aſpéctus appáreat, qui te inter aſſi-

ſténtes ſibi júgiter interéſſe decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod ſtridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi tetérrimus Sátanas cum ſatellítibus ſuis; in advéntu tuo te comitántibus Angelis contremíſcat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus; & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant: ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei; & juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei. Confundántur ígitur & erubéſcant omnes tartáreæ legiónes, & miníſtri Sátanæ iter tuum impedíre non aúdeant. Líberet te à cruciátu Chriſtus, qui pro te crucifíxus eſt. Líberet te ab ætérna morte Chriſtus, qui pro te mori dignátus eſt. Conſtítuat te Chriſtus Fílius Dei vivi intra paradíſi ſui ſemper amœ́na viréntia, & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnóſcat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te abſólvat; atque ad déxteram ſuã in Electórum ſuórum te ſorte conſtítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas; & præſens ſemper aſſíſtens, manifeſtíſſimã beátis óculis aſpícias veritátem. Conſtitútus (*vel* conſtitúta) ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in sécula ſeculórum. ℟. Amen.

SUſcipe, Dómine, ſervum tuum (*vel* ancíllam tuam) in locum ſperándæ ſibi ſalvatiónis à miſericórdia tua. ℟. Amen.

LIbera, Dómine, ánimam ejus ex ómnibus perículis inférni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Enoch & Elíam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus à morte, ſicut liberáſti Noë de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Job de paſſiónibus ſuis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Iſaac de hóſtia, & de manu patris ſui Abrahæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Lot de Sódomis & de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Móyſen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti tres púeros de camíno ignis ardéntis, & de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Susánnam de falſo crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti David de manu regis Saül, & de manu Góliath. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Petrum & Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et ſicut beátam Theclam vírginem & mártyrem tuã liberáſti, ſic liberáre dignéris ánimam ejus, & tecum fácias in cœléſtibus bonis gaudére. ℟. Amen.

COmmendámus tibi, Dómine, ánimam fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) *N.* precamúrque te, Dómine Jeſu Chriſte, Salvátor mundi; ut propter quam ad terram miſericórditer deſcendíſti, Patriarchárum tuórum ſínibus inſinuáre non rénuas. Agnóſce, Dómine, creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, ſed à te ſolo Deo vivo & vero; quia non eſt álius Deus præter te. Lætífica, Dómine, ánimam ejus in conſpéctu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum. Licèt enim peccáverit, tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum ſanctũ *non negávit, ſed crédidit, & zelum Dei in ſe hábuit;* & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.

Orémus.

DElícta juventútis, & ignorántias ejus, quǽſumus, ne memíneris, Dómine, ſed ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam memor eſto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cœli; collæténtur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, creatúram tuam ſúſcipe. Suſcípiat eam ſanctus Míchaël Archángelus Dei, qui milítiæ cœléſtis méruit principátum. Véniant illi óbviàm ſancti Angeli Dei, & perdúcant eam in civitátem cœléſtem Jerúſalem. Suſcípiat eam beátus Petrus Apóſtolus, cui à Deo claves regni cœléſtis tráditæ ſunt. Adjuvet eam ſanctus Paulus Apóſtolus, qui dignus fuit eſſe vas electiónis. Intercédat pro ea ſanctus Joánnes eléctus Dei Apóſtolus, cui reveláta ſunt ſecréta cœléſtia. Orent pro ea omnes ſancti Apóſtoli, quibus à Dómino data eſt potéſtas ligándi atque ſolvéndi. Intercédant pro ea omnes Sancti & Elécti Dei, qui pro Chriſti nómine torménta in hoc século ſuſtinuérunt; ut vínculis carnis exúta perveníre mereátur ad glóriam regni cœléſtis, præſtánte Dómino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spíritu ſancto vivit & regnat in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Si anxiàtur adhuc anima, dicitur Pſalmus, Confitémini Dómino, *p.* 12. *& totus Pſalmus,* Beáti immaculáti, *per Horas Dominicæ diſtributus, p.* 13. *& ſequent.*

Egreſſâ autem animâ, aſpergitur corpus aquâ benedictâ, & dicitur.

℟. In te, Dómine, ſperávi, non confúndar in ætérnum; accélera ut éruas me: in manus tuas comméndo ſpíritum meum. * Redemíſti me, Dómine Deus veritátis, illúſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum, (*vel* ancíllam tuam,) ſalvum (*vel* ſalvam) me fac in miſericórdia tua. *Pſ.* 30. 2. 3. 6. 17. ℣. Dómine Jeſu, ſúſcipe ſpíritũ meum. *Act.* 7. 58. * Redemíſti me.

Kýrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon.

Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum ſervo tuo, (*vel* ancílla tua,) Dómine; ℟. Quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens. *Pſ.* 142. 2.

℣. Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi; ℟. Et ánimas paúperum tuórum ne obliviſcáris in finem. *Pſ.* 73. 19.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) *N.* ut defúnctus (*vel* defúncta) ſéculo, tibi vivat; & quæ per fragilitátem humánæ converſatiónis peccáta commíſit, tu vénia miſericordíſſimæ pietátis abſtérge; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

OFFICIUM
DEFUNCTORUM
In die Obitûs & in depoſitione Corporis.

Qualibet Hora ſequentis Officii incipit abſolutè.

In fine Pſalmorum & Canticorum, loco Glória Patri, *dicitur:*

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; * Et lux perpétua lúceat eis.

AD VESPERAS.

In Pſ. 124. Diléxi, quóniam exaúdiet Dóminus, *p.* 115.

Ant. 3. c. Verba mea dolóre ſunt plena, quia ſagittæ Dómini in me ſunt. Job. 6. 3. 4.

In Pſ. 119. Ad Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, *p.* 55.

Ant. 2. D. In memetípſo marcéſcit ánima mea, & póſſident me dies afflictiónis. *Job.* 30. 16.

In Pſ. 120. Levávi óculos meos in montes, *p.* 55.

Ant. 8. d. Quis det ut véniat petítio mea, & quod expécto tríbuat mihi Deus? *Job.* 6. 8.

In Pſ. 129. De profúndis clamávi ad te, Dómine, *p.* 101.

Ant. 3. b. Timor quem timébam evénit mihi: & quod verébar áccidit. *Job.* 3. 25.

In Pſ. 137. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * quóniam, *p.* 38.

Ant. 2. D. Quæ eſt fortitúdo mea, ut ſuſtíneam? aut quis finis meus, ut patiénter agam? *Job.* 6. 11.

℣. Tribulatiónem & dolórem invéni: ℟. Et nomen Dómini invocávi. *Pſ.* 114. 3. 4.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Uniuſcujúſque opus maniféſtum erit: dies enim Dómini declarábit, quia in igne revelábitur: & uniuſcujúſque opus quale ſit, ignis probábit. 1. *Cor.* 3. 13.

Oratio conveniens, ut infrà ad Laudes Matutinas.

Completâ Oratione, loco ℣. Benedicámus Dómino, *dicitur:*

℣. Requiéſcant in pace: ℟. Amen.

AD VIGILIAS.

Invitatorium. Deum cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc.* 20. 38.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2. *ritu duplici; in hujus fine loco* ℣. Glória Patri, *dicitur:*

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; & lux perpétua lúceat eis.

Vigiliæ dicuntur, vel cum tribus Nocturnis, vel cum unico. Quando dicitur unicum Nocturnum, in Dominica, & in Feria II. & V. Antiphonæ, Pſalmi, Verſiculus & duo priora Reſponſoria ſumuntur è I. Nocturno. In Feria III. & VI. è II. Nocturno. In Feria IV. & Sabbato, è III. Nocturno.

I. Lectio erit I. è I. Nocturno. II. erit I. è II. Nocturno. III. erit I. è III. Nocturno. Tertium Reſponſorium ſemper erit ultimum III. Nocturni. Líbera.

IN I. NOCTURNO.

In Pſ. 5. Verba mea áuribus pércipe, *p.* 51.

Ant. 4. f. Multíplicat Deus gentes, & perdit eas, & ſubvérſas in íntegrum reſtítuit. *Job.* 12. 23.

In Pſ. 6. Dómine, ne in furóre tuo árguas me, *p.* 40.

Ant. 2. D. Revélat profúnda de ténebris, & prodúcit in lucem umbram mortis. *Job.* 12. 22.

In Pſ. 12. Uſquequò, Dómine, oblivíſcéris me in finem? p. 57.

Ant. 3. c. Bálteum regum

diſſólvit, & præcíngit fune renes eórum. *Job.* 12. 18.

℣. Sitívit ánima mea ad Deum, fortem, vivum: ℟. Quando véniam & apparébo ante fáciem Dei? *Pſ.* 41. 3.

Pater noſter, *totum ſecretò.*

Lectiones leguntur ſinè Benedictionibus, nec additur in fine, Tu autem, *nec quidquam aliud.*

De Libro Job.

LECTIO I. *c.* 7. *v.* 1. *ad* 8.

MIlítia eſt vita hóminis ſuper terram: & ſicut dies mercenárii, dies ejus. Sicut cervus desíderat umbram, & ſicut mercenárius præſtolátur finem óperis ſui, ſic & ego hábui menſes vácuos, & noctes laborióſas enumerávi mihi. Si dormíero, dicam: Quando consúrgam? & rursùm expectábo véſperam, & replébor dolóribus uſque ad ténebras. Indúta eſt caro mea putrédine & sórdibus púlveris; cutis mea áruit & contrácta eſt. Dies mei velóciùs tranſiérunt quàm à texénte tela ſuccíditur, & consúmpti ſunt abſque ulla ſpe. Meménto quia ventus eſt vita mea, & non revertétur óculus meus ut vídeat bona, nec aſpíciet me viſus hóminis.

℟. *j.* Dóminus mortíficat & vivíficat; * Dedúcit ad ínferos & redúcit. 1. *Reg.* 2. 6. ℣. In ipſo vívimus, & movémur, & ſumus. *Act.* 17. 28. * Dedúcit.

LECTIO II. *c.* 17. *v.* 11. *ad finem.*

DIes mei tranſiérunt, cogitatiónes meæ diſſipátæ ſunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, & rursùm poſt ténebras ſpero lucem. Si ſuſtinúero, inférnus domus mea eſt, & in ténebris ſtravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es; mater mea, & ſoror mea vérmibus. Ubi eſt ergo nunc præſtolátio mea? & patiéntiam meam quis consíderat? In profundíſſimū inférnum deſcéndent ómnia mea: putáſne ſaltèm ibi erit réquies mihi?

℟. *ij.* Ego occídam & ego vívere fáciam, * Percútiam & ego ſanábo; & non eſt qui de manu mea poſſit erúere. *Deut.* 32. 39. ℣. Hæc dicit Primus & Noviſſimus, qui fuit mórtuus & vivit. *Apoc.* 2. 8. * Percútiam.

LECTIO III. *c.* 19. *v.* 20. *ad* 27.

PElli meæ, consúmptis cárnibus, adhǽſit os meum, & derelícta ſunt tantúmmodò lábia circa dentes meos. Miſerémini meî, miſerémini meî, ſaltèm vos, amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare perſequímini me ſicut Deus, & cárnibus meis ſaturámini? Quis mihi tríbuat ut ſcribántur ſermónes mei? Quis mihi det ut exaréntur in libro ſtylo férreo & plumbi láminâ, vel celte ſculpántur

in ſílice? Scio enim quòd Redémptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrectúrus ſum: & rursùm circúmdabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum meum, quem viſúrus ſum ego ipſe, & óculi mei conſpectúri ſunt, & non álius. Repóſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

℞. *iij.* Tu, Dómine, flagéllas & ſalvas, * Dedúcis ad ínferos & redúcis: & non eſt qui effúgiat manū tuam. *Tob.* 13. 2. ℣. Dómine, ſalva nos. *Matt.* 8. 25. * Dedúcis.

IN II. NOCTURNO.

In Pſ. 22. Dóminus regit me, *p.* 84.

Ant. 6. F. Omnes mórimur, & quaſi aquæ dilábimur in terram. 2. *Reg.* 14. 14.

In Pſ. 24. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam, *p.* 82.

Ant. 8. G. Generátio prætérit, & generátio ádvenit: terra autem in ætérnum ſtat. *Eccle.* 1. 4.

In diviſ. Pſ. 24. Univérſæ viæ Dómini, *p.* 82.

Ant. 1. a. Omnia pergunt ad unum locum: de terra facta ſunt, & in terram páriter revertúntur. *Eccle.* 3. 20.

℣. In médio umbræ mortis non timébo mala; ℞. Quóniam tu mecum es, Dómine. *Pſ.* 22. 4.

Sermo ſancti Joánnis Chrysóſtomi.

Homil. de Dormient. n. 1. 2.

LECTIO IV.

DEus corpus diſſólvit, & in illo habitántem ánimam priùs edúcit, ceu ex domo quápiam, ut pòſt in eámdem magnificéntiùs conſtrúctam domum ánimam cum majóri glória redúcat. Ne ítaque intueáris eum, cujus clauſi ſunt óculi, qui mutus jacet, ſed eum qui resúrget, & accípiet glóriam ineffábilem, atque à præſénti hujúſmodi aſpéctu cogitatiónes transfer in ſpem futúram. At conſuetúdinem requíris, ideóque ingemíſcis ac luges. Et quómodo, ínquies, homo cùm ſim, poſſim non mœrére? Neque ego id póſtulo: non mœrórem veto, ſed mœróris veheméntiam. Mœrére namque natúræ eſt, ſed ultra modum mœrére, furóris, inſániæ, muliebríſque ánimi. Mœre, lacrymáre, ſed ne ægrè moleſtéque feras; ne indignéris. Grátias age ei qui ábſtulit, ut defúnctum exórnes, ejúſque fúneri hæc juſta ſplendidè persólvas, ipſíque mittas.

℞. *iv.* Dies mei ſicut umbra declinavérunt, & ego ſicut fœnum árui; * Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes. *Pſ.* 101. 12. 13. ℣. Quæ eſt vita veſtra? Vapor eſt ad módicum parens.

& deínceps exterminábitur. *Jac.* 4. 15. * Tu autem.

LECTIO V.

LAcrymáre, ut Dóminus tuus Lázarum luxit, modum nobis, régulam, terminúmque dolóris ponens, quem prætérgredi non licet. Mœre, at non ut Ethnicus, qui de reſurrectióne deſpérat, qui futúram vitam non expéctat. Pudet me & erubéſco, cùm per forum vídeo muliérum turmas indecórè agéntes, capillos velléntes, bráchia genáſque lacerántes, ídque coram Ethnicis. Hunc efferéndi modū erubéſce. Pſalmódiæ, preces, patrum convéntus, fratrum multitúdo tanta: hæc, inquam, non ídeò adſunt ut fleas, mœreas & indignéris, ſed ut grátias ei agas qui defúnctum accépit. Quemádmodum enim eos qui ad magiſtrátum vocántur, multi cum laúdibus & acclamatióne comitántur; ità & ſanctos qui deceſsérunt, útpotè qui ad majórem evocéntur honórem, cum magnis omnes laúdibus dedúcunt.

℟. v. Qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt; álii in vitam ætérnam, & álii in oppróbrium, ut vídeant ſemper. *Dan.* 12. 2. ℣. Procédent qui bona fecérunt, in reſurrectiónem vitæ; qui verò mala egérunt, in reſurrectiónem judícii. *Joan.* 5. 29. * Evigilábunt.

LECTIO VI. n. 2. 3.

MOrs quies eſt, & à ſudóribus, curíſque ſeculáribus liberátio. Cùm ígitur ex propínquis áliquem víderis hinc abeúntem, ne indígnè feras, ſed compúngere, ad teípſum redi, conſciéntiam ſcrutáre, hoc consídera, brevi parem tibi ſubeúndum eſſe finem. Temperántior eſto, & altérius morte timére diſce, ignáviam omnem præcíde, facta tua expénde, erráta córrige, óptimam fac morum mutatiónem. Cógita ad quem abíerit, & conſolatiónem áccipe. Eò ſcílicet ubi Paulus eſt, ubi Petrus, ubi Sanctórū chorus omnis. Cógita quómodo reſurrectúrus ſit, cum quanta glória & ſplendóre. Animo réputa te fletu & lácrymis in re illa nihil immutatúrum: cógita quos id fáciens imitéris. Quos ergo imitáris? Quos æmuláris? Infidéles qui ſpem non habent, quemádmodum & Paulus dixit: Ut non contriſtémini, ſicut & cœteri qui ſpem non habent.

℟. vj. Scio quòd Redémptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrectúrus ſum; * Et rursùm circúmdabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum meum. *Job.* 19. 25. 26. ℣. Opórtet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere im-

mortalitátem. 1. *Cor.* 15. 53. * Et rursùm.

IN III. NOCTURNO.

In Pſ. 26. Dóminus illuminátio mea, *p.* 77.

Ant. 1. D. Dies mei velocióres fuérunt cursóre: fugérunt, & non vidérunt bonum. *Job.* 9. 25.

In diviſ. Pſ. 26. Exaúdi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te, *p.* 77.

Ant. 4. f. Verébar ómnia ópera mea, Dómine, ſciens quòd non párceres delinquénti. *Job.* 9. 28.

In Pſ. 42. Júdica me, Deus, & diſcérne, *p.* 81.

Ant. 8. d. Si ímpius fúero, væ mihi eſt; & ſi juſtus, non levábo caput, ſaturátus afflictióne & miſériâ. *Job.* 10. 15.

℣. Ne avértas fáciem tuam à me, Dómine; ℟. Ne declínes in ira à ſervo tuo. *Pſ.* 26. 9.

Pater noſter, *ſecretò ut ſuprà.*

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

LECTIO VII. *c.* 15. *v.* 12. *ad* 15.

SI Chriſtus prædicátur quòd reſurréxit à mórtuis, quómodo quidam dicunt in vobis, quóniam reſurréctio mortuórum non eſt? Si autem reſurréctio mortuórum non eſt, neque Chriſtus reſurréxit: ſi autem *Chriſtus non reſurréxit, inánis eſt ergo prædi*cátio noſtra, inánis eſt & fides veſtra: invenímur autem & falſi teſtes Dei: quóniam teſtimónium díximus advérsùs Deum quòd ſuſcitáverit Chriſtum, quem non ſuſcitávit ſi mórtui non resúrgunt.

℟. vij. Ego ad Dóminum aſpíciam; expectábo Deum Salvatórem meum; * Aúdiet me Deus meus: ne lætéris, inimíca mea, ſuper me, quia cécidi. *Mich.* 7. 7. 8. ℣. Quem díligit Dóminus caſtigat; flagéllat autem omnem fílium quem récipit. *Hebr.* 12. 6. * Aúdiet.

LECTIO VIII. *v.* 16. *ad* 19.

NAm ſi mórtui non resúrgunt, neque Chriſtus reſurréxit. Quòd ſi Chriſtus non reſurréxit, vana eſt fides veſtra, adhuc enim eſtis in peccátis veſtris. Ergo & qui dormiérunt in Chriſto, periérunt. Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperántes ſumus, miſerabilióres ſumus ómnibus homínibus.

℟. viij. Consúrgam cùm ſédero in ténebris; Dóminus lux mea eſt: * Iram Dómini portábo, quóniã peccávi ei, donec cauſam meam júdicet. *Mich.* 7. 8. 9. ℣. Deus, propítius eſto mihi peccatóri. *Luc.* 18. 13. * Iram.

LECTIO IX. *v.* 20. *ad* 27.

NUnc autem Chriſtus reſurréxit à mórtuis primítiæ dormiéntium:

quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem reſurréctio mortuórum. Et ſicut in Adam omnes moriúntur, ità & in Chriſto omnes vivificabúntur; unuſquíſque autem in ſuo órdine, primítiæ Chriſtus, deínde ii qui ſunt Chriſti, qui in advéntu ejus credidérunt. Deínde finis; cùm tradíderit regnum Deo & Patri, cùm evacuáverit omnem Principátum, & Poteſtátem, & Virtútem. Opórtet autem illum regnáre, donec ponat omnes inimícos ſub pédibus ejus. Novíſſima autem inimíca deſtruétur mors; omnia enim ſubjécit ſub pédibus ejus: cùm autem dicat: Omnia ſubjécta ſunt ei, ſinè dúbio præter eum, qui ſubjécit ei ómnia.

℟. *ix.* Líberà me, Dómine, ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquárum: * Non me demérgat tempéſtas aquæ, neque abſórbeat me profúndum, neque úrgeat ſuper me púteus os ſum: exaúdi me, Dómine, quóniam benígna eſt miſericórdia tua. *Pſ.* 68. 15. 16. 17. ℣. Miſerére meì, Dómine, fili David. *Matt.* 15. 22. * Non. *Reſumitur* ℟. Líbera.

AD LAUDES MATUTINAS.

In Pſ. 40. Beátus qui intélligit, *p.* 108.

Ant. 3. b. Dómine omnipotens, Deus Iſraël, audi nunc oratiónem mortuórum Iſraël. *Bar.* 3. 4.

In Pſ. 50. Miſerére meì, Deus, * ſecúndùm, *p.* 117.

Ant. 8. G. Deus fortis ſuper omnes, exaúdi voces eórum qui nullam áliam ſpem habent. *Eſth.* 14. 19.

In Pſ. 64. Te decet hymnus, Deus, *p.* 75.

Ant. 2. D. Tu es, Dómine, qui vitæ & mortis habes poteſtátem, & dedúcis ad portas mortis, & redúcis. *Sap.* 16. 13.

Ant. 1. a. Meménto.

CANTICUM EZECHIÆ.

Iſ. c. 38. *v.* 10. *ad* 20.

Vita noſtra fragilitas. In manu Dei ſunt dies noſtri.

EGo dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi: * quæsívi resíduum annórum meórum.

Dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terra viventium; * non aſpíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta eſt, * & convolúta eſt à me, quaſi tabernáculum paſtórum.

Præcíſa eſt velut à texénte vita mea; dum adhuc ordírer, ſuccídit me: * de manè uſque ad véſperam finies me.

Sperábam uſque ad manè; * quaſi leo, ſic contrívit ómnia oſſa mea.

De manè uſque ad véſperam finies me: * ſicut pullus hirúndinis ſic cla-

mábo, meditábor ut colúmba.

Attenuáti ſunt óculi mei* ſuſpiciéntes in excélſum.

Dómine, vim pátior, reſpónde pro me: * quid dicam, aut quid reſpondébit mihi, cùm ipſe fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, ſi ſic vívitur, & in tálibus vita ſpíritûs mei, corrípies me, & vivificábis me: * ecce in pace amaritúdo mea amaríſſima.

Tu autem eruíſti ánimam meam ut non períret; * projecíſti poſt tergum tuum ómnia peccáta mea:

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te; * non expectábunt, qui deſcéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipſe confitébitur tibi, ſicut & ego hódie: * pater filiis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, ſalvum me fac, * & Pſalmos noſtros cantábimus cunctis diébus vitæ noſtræ in domo Dómini.

Réquiem ætérnam, &c.

Ant. Meménto manûs tuæ & nóminis tui in témpore iſto, quia tu es Dóminus Deus noſter. *Bar.* 3. 5. 6.

In Pſ. 150. Laudáte Dóminum in ſanctis ejus, *p.* 10.

Ant. 7. d. Nihil odíſti eórum *quæ fecíſti*; nec enim ódiens áliquid conſtituíſti aut feciſti. *Sap.* 11.25.

℣. Si iniquitátes obſerváveris, Dómine, ℟. Dómine, quis ſuſtinébit? *Pſ.* 129. 3.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. a. Revertátur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpíritus rédeat ad Deum qui dedit illum. *Eccle.* 12. 7.

℣. Dóminus vobíſcum;
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio conveniens.

℣. Requiéſcant in pace.
℟. Amen.

In depoſitione Pontificis.

Oratio.

DEus, qui inter Apoſtólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* Pontificáli feciſti dignitáte vigére; præſta, quæſumus, ut eórum perpétuo aggregétur consórtio; Per Dóminum.

In depoſitione Sacerdotis.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, Dómine, ut ánima fámuli tui *N.* Sacerdótis, quem in hoc século commorántem ſacris munéribus decoráſti, in cœléſti ſede glorióſa ſemper exúltet; Per Dóminum.

In depoſitione Defuncti non Sacerdotis.

Oratio.

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericórdiam tuã ſúpplices deprecámur, ut ánimam fámuli tui N. quam de hoc século migráre juſsíſti, in pacis ac lucis

regióne conſtituas, & Sanctórum tuórum júbeas eſſe consórtem; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus: Per omnia ſécula ſeculórum. Amen.

In depoſitione Defuncti.
Oratio.

QUæſumus, Dómine, pro tua pietáte miſerére ánimæ fámulæ tuæ N. & à contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ ſalvatiónis partem reſtítue; Per Dóminum.

IN ANNIVERSARIO DEFUNCTORUM.

Omnia ut in Officio præcedenti, exceptis quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

De Libro Job.

Lectio I. *c.* 7. *v.* 16. *ad finem.*

PArce mihi, Dómine; nihil enim ſunt dies mei. Quid eſt homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Víſitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Uſquequò non parcis mihi, nec dimíttis me, ut glútiam ſalívam meam? Peccávi: quid fáciam tibi, ô Cuſtos hóminum? Quare poſuíſti me contrárium tibi, & factus ſum mihimetípſi gravis? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam: & ſi manè me quæſíeris, non ſubsíſtam.

Lectio II. *c.* 10. *v.* 8. *ad* 12.

MAnus tuæ fecérunt me, & plaſmavérunt me totum in circúitu: & ſic repéntè præcípitas me? Meménto, quæſo, quòd ſicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nónne ſicut lac mulsíſti me, & ſicut cáſeum me coaguláſti? Pelle & cárnibus veſtíſti me; óſſibus & nervis compegíſti me; vitam & miſericórdiam tribuíſti mihi; & viſitátio tua cuſtodívit ſpíritum meum.

Lectio III. *c.* 13. *v.* 23. *ad finem.*

QUantas hábeo iniquitátes & peccáta, ſcélera mea & delícta oſténde mihi. Cur fáciem tuam abſcóndis, & arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium quod vento rápitur, oſténdis poténtiam tuam, & ſtípulam ſiccam perſéqueris: ſcribis enim contra me amaritúdines, & consúmere me vis peccátis adoleſcéntiæ meæ. Poſuíſti in nervo pedem meum, & obſerváſti omnes ſémitas meas, & veſtígia pedum meórũ conſideráſti: qui, quaſi putr-

do conſuméndus ſum, & quaſi veſtiméntum quod coméditur à tínea.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 2. *de fide Reſurr.* n. 3.

Lectio IV.

PRopoſúimus, fratres caríſſimi, ſolári nos commúni uſu, nec durum putáre quidquid univérſos manéret, & ídeò mortem non eſſe lugéndam: primùm, quia commúnis ſit & cunctis débita; deínde, quia nos séculi hujus absólvat ærúmnis; poſtrémò, quia ſomni ſpécie ubi ab iſtíus mundi labóre requiétum ſit, vigor nobis vivácior refundátur. Quem dolórem non ſoléttur reſurrectiónis grátia? quem non exclúdat mœrórem, ſi credas nihil períre morte? imò ipsíus mortis celeritáte fieri, ut plus períre non poſſit?

Lectio V. n. 5.

FUiſſe étiam quidam feruntur pópuli, qui ortus hóminum lugérent, obitúſque celebrárent. Nec imprudénter: eos enim qui in hoc vitæ ſalum veníſſent mœréndos putábant: eos verò qui ex iſtíus mundi procéllis & flúctibus emersíſſent, non injúſto gáudio proſequéndos arbitrabántur. Nos quoque ipſi natáles dies defunctórũ *oblivíſcimur*, & eum *quo obiérunt diem*, célebri *ſolemnitáte renovámus*.

Lectio VI. n. 6.

NOn eſt ergo gravis ſubeúndus mœror ſecúndùm natúram; ne, aut excellentiórem áliquam natúræ exceptiónem nobis arrogáre videámur, aut commúnem recusáre. Etenim mors æquális eſt ómnibus, indiſcréta paupéribus, inexcépta divítibus. Et ídeò, licèt per unius peccátum, in omnes tamen pertransívit: ut quem géneris non refúgimus autórem, non refugiámus & mortis: & ſit nobis ſicut per unum mors, ità per unum étiam reſurréctio; nec recusémus ærúmnam, ut perveniámus ad grátiam. Venit enim, ut légimus, Chriſtus ſalvũ fácere quod períerat: & ut non ſolùm vivórum, ſed étiam mortuórum dominétur.

IN III. NOCTURNO.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Coríinthios.

Lectio VII. *c.* 15. *v.* 51. *ad finem.*

ECce myſtérium vobis dico: Omnes quidem reſurgémus, ſed non omnes immutábimur. In moménto, in ictu óculi, in novíſſima tuba: canet enim tuba, & mórtui resúrgent incorrúpti: & nos immutábimur. Opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem. Cùm autem mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc ſi

ſermo qui ſcriptus eſt: Absórpta eſt mors in victória. Ubi eſt, mors, victória tua? ubi eſt, mors, ſtímulus tuus? Stímulus autem mortis peccátum eſt: virtus verò peccáti lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. Itaque, fratres mei dilécti, ſtábiles eſtóte & immóbiles, abundántes in ópere Dómini ſemper, ſciéntes quòd labor veſter non eſt inánis in Dómino.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Theſſalonicénſes.

Lectio VIII. *c.* 4. *v.* 12. *ad finem.*

NOlumus vos ignoráre, fratres, de dormiéntibus, ut non contriſtémini, ſicut & cœteri qui ſpem non habent. Si enim crédimus quòd Jeſus mórtuus eſt & reſurréxit, ità & Deus eos qui dormiérunt per Jeſum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in verbo Dómini, quia nos, qui vívimus, qui reſidui ſumus in advéntum Dómini, non præveniémus eos qui dormiérunt: quóniam ipſe Dóminus in juſſu, & in voce Archángeli, & in tuba Dei deſcéndet de cœlo: & mórtui qui in Chriſto ſunt, resúrgent primi. Deínde nos, qui vívimus, qui relínquimur, ſimul rapiémur cum illis in núbibus óbviàm Chriſto in áera, & ſic ſemper cum Dómino érimus. Itaque conſolámini ínvicē in verbis iſtis.

Lectio IX. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 6.

DE tempóribus autem & moméntis, fratres, non indigétis ut ſcribámus vobis. Ipſi enim diligénter ſcitis quia dies Dómini, ſicut fur in nocte, ità véniet. Cùm enim díxerint pax & ſecúritas, tunc repentínus eis ſupervéniet intéritus, ſicut dolor in útero habénti, & non effúgient. Vos autem, fratres, non eſtis in ténebris, ut vos dies illa, tanquam fur comprehéndat: omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii diéi: non ſumus noctis neque tenebrárum: ígitur non dormiámus ſicut & cœ́teri, ſed vigilémus, & sóbrii ſimus.

In Anniverſariis, in quibus unicum dicitur Nocturnum, Invitatorium, Antiphonæ, Pſalmi, Verſiculus & duo priora Reſponſoria ſumuntur ex Officio præcedenti, ſecundùm Feriam. Invitatorium dicitur ritu ſimplici, & ultimum Reſponſorium ſemper erit, Libera me, *p.* cxiv. *& ſemper reſumetur.*

Lectiones dicentur ut infrà.

FERIA II. ET V.

De Libro Job.

Lectio I. *c.* 14. *v.* 1. *ad* 6.

HOmo natus de mulíere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis: qui, quaſi flos, egréditur & contéritur, & fugit

velut umbra, & nunquam in eódem ſtatu pérmanet. Et dignum ducis ſuper hujuſcémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis poteſt fácere mundum de immúndo concéptum sémine? nónne tu qui ſolus es? Breves dies hóminis ſunt, númerus ménſium ejus apud te eſt: conſtituíſti términos ejus qui prætiríri non póterunt. Recéde paúlulùm ab eo, ut quiéſcat, donec optáta véniat, ſicut mercenárii, dies ejus.

Sermo ſancti Cyrílli Hieroſolymitáni Epíſcopi. *Catech. Myſtag.* 5.

LECTIO II.

PRo ómnibus orámus qui inter nos vitâ functi ſunt, máximum eſſe credéntes animárum juvámen pro quibus offértur precátio ſancti illíus & treméndi quod in altári póſitum eſt Sacrifícii. Scio multos dícere: Quid juvat ánimam, ſive cum peccátis, ſive abſque peccátis ex hoc mundo diſcedéntem, etiámſi in hoc Sacrificio illíus méntio fiat? Chriſtum pro noſtris peccátis mactátum offérimus, ut & nobis & illis, eum qui eſt benigníſſimus, propítium reddámus.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Coríntthios.

LECTIO III. *c.* 3. *v.* 11. *ad* 15.

FUndaméntum áliud nemo poteſt pónere, præter id quod póſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Si quis autem ſuperædíficat ſuper fundaméntum hoc, aurum, argéntum, lápides pretióſos, ligna, fœnum, ſtípulam, uniuſcujúſque opus maniféſtum erit; dies enim Dómini declarábit: quia in igne revelábitur: & uniuſcujúſque opus quale ſit, ignis probábit. Si cujus opus mánſerit quod ſuperædificávit, mercédem accípiet. Si cujus opus árſerit, detriméntum patiétur; ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.

FERIA III. ET VI.

De Libro ſecúndo Machabæórum.

LECTIO I. *c.* 12. *v.* 42. *ad finem.*

VIr fortíſſimus Judas hortabátur pópulum conſerváre ſe ſinè peccáto, ſub óculis vidéntes quæ facta ſunt pro peccátis eórum qui proſtráti ſunt. Et factâ collatióne, duódecim míllia drachmas argénti miſit Jeroſólymam offérri pro peccátis mortuórũ Sacrifícium, benè & religióſè de reſurrectióne cógitans: (niſi enim eos qui cecíderant, reſurrectúros ſperáret, ſupérfluum viderétur & vanum oráre pro mórtuis:) & quia conſiderábat quòd hi qui cum pietáte dormitiónem accéperant, óptimam habérent repóſitâ grátiam. Sancta ergo & ſalúbris eſt cogitátio pro defunctis exoráre, ut à peccátis ſolvántur.

Sermo ſancti Epiphánii Epíſcopi.

Adverſ. Hæreſ. Lib. 3. *Hæreſ.* 75. n. 7. 8.

LECTIO II.

QUòd ſpectat ad ritum illum quo mortuórum nómina pronuntiántur, quid eo eſſe poteſt utílius, quid opportúnius, aut verò admiratióne dignius? Nempè ut qui adſunt, certíſſimè ſibi perſuádeant mórtuos vívere, nec in níhilum redáctos eſſe, ſed exíſtere adhuc, atque apud Dóminum vívere: tum ut religioſíſſimum illud dogma prædicétur, quo qui pro frátribus precántur, benè de illis ſperáre conſtat, quaſi péregrè profectis. Neceſſáriò fácere illud Eccléſiam dico, quæ tráditum ſibi ritum illum à majóribus accéperit.

De Epíſtola ſecúnda beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

LECTIO III. *c.* 5. *v.* 1. *ad* 10.

SCimus quóniam ſi terréſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cœlis. Nam & in hoc ingemíſcimus, habitatiónem noſtram quæ de cœlo eſt, ſuperíndui cupiéntes: ſi tamen veſtíti, non nudi inveniámur. Nam & qui ſumus in hoc tabernáculo, ingemíſcimus graváti, eò quòd nólumus expoliári, ſed ſuperveſtíri: ut abſorbeátur quod mortále eſt à vita. Qui autem éfficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus Spíritûs. Audéntes igitur ſemper, ſciéntes quóniam dum ſumus in córpore, peregrinámur à Dómino: (per fidem enim ambulámus, & non per ſpéciem.) Audémus autem, & bonam voluntátem habémus magìs peregrinári à córpore, & præséntes eſſe ad Dóminum. Et ídeò conténdimus, ſive abséntes, ſive præséntes, placére illi. Omnes enim nos manifeſtári opórtet ante tribúnal Chriſti, ut réferat unuſquíſque própria córporis, próut geſſit, ſive bonum, ſive malum.

FERIA IV. ET SABBAT.

De Michǽa Prophéta.

LECTIO I. *c.* 7. *v.* 7. *ad* 10.

EGo ad Dóminum aſpíciam, expectábo Deum Salvatórem meum: áudiet me Deus meus. Ne læteris, inimíca mea, ſuper me, quia cécidi: conſúrgam, cùm ſédero in ténebris, Dóminus lux mea eſt. Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei, donec cauſam meam júdicet, & fáciat judícium meum: edúcet me in lucem, vidébo juſtítiam ejus; & aſpíciet inimíca mea, & operiétur confuſióne, quæ dicit ad me: Ubi eſt Dóminus Deus tuus? Oculi mei vidébunt in eam; nunc erit in conculcatiónem ut lutum plateárum.

Sermo

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 21. *in Act. Apoſt.* n. 4.

LECTIO II.

NOn fruſtrà oblatiónes pro defúnctis fiunt, non fruſtrà preces, non fruſtrà eleemóſynæ. Hæc ómnia Spíritus diſpóſuit, volens ut nos mútuò juvémus. Non fruſtrà clamat Diáconus: Pro iis qui in Chriſto defuncti ſunt, & pro iis qui illórum memóriam fáciunt. Non Diáconus hanc emíttit vocem, ſed Spíritus, non Sanctus dico, ſed donum ejus. Quid dicis? In mánibus eſt Hóſtia, & ómnia paráta proſtant; adſunt Angeli, Archángeli; ádeſt Fílius Dei; cum tanto horróre adſtant omnes; adſtant illi clamántes, ómnibus ſiléntibus; & putas hæc fruſtrà fieri? Itaque ne utcúnque accedámus, nec témerè hæc fieri putémus. Hæc cùm ſciámus, conſiderémus quantas póſſumus conſolatiónes defúnctis conférre, vice lacrymárum, vice flétuum, vice monumentórum, eleemóſynas nempè, oratiónes, oblatiónes; ut, & illi, & nos promíſſa conſequámur bona.

De Epiſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

LECTIO III. *c.* 5. *v.* 15. *ad* 19.

SI unius delícto multi mórtui ſunt, multò magìs grátia Dei & donum in grátia *unius hóminis Jeſu Chriſti in plures* abundávit. Et non ſicut per unum, peccátum, ità & donum: nam judícium quidem ex uno in condemnatiónem; grátia autem ex multis delíctis in juſtificatiónem. Si enim uníus delícto mors regnávit per unum, multò magìs abundántiam grátiæ, & donatiónis, & juſtítiæ accipiéntes, in vita regnábunt per unum Jeſum Chriſtum. Igitur ſicut per uníus delíctum in omnes hómines in condemnatiónem, ſic & per uníus juſtítiam in omnes hómines in juſtificatiónem vitæ. Sicut enim per inobediéntiam uníus hóminis peccatóres conſtitúti ſunt multi, ità & per uníus obeditiónem, juſti conſtituéntur multi.

Oratio.

DEus indulgentiárum Dómine, da ánimæ fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) *N.* cujus Anniversárium depoſitiónis diem commemorámus, refrigérii ſedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem; Per Dóminum.

In primo Anniverſario dicitur tantùm prædicta Oratio; in aliis adduntur ſequentes, ſub eadem concluſione.

Pro Benefactoribus.

DEus, véniæ largítor & humánæ ſalútis amátor; quæſumus cleméntiam tuam, ut noſtræ congregatiónis fratres, propínquos & benefactóres

qui ex hoc ſéculo tranſiérunt, beatâ Mariâ ſemper Virgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

Pro omnibus Defunctis.

FIdelium, Deus, ómnium Cónditor & Redémptor, animabus ómnium Fidélium Defunctórum remiſſiónem cunctórum tribue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequántur; Qui vivis & regnas cũ Deo Patre.

℣. Dóminus vobiſcum;
℟. Et cum ſpiritu tuo.
℣. Requiéſcant in pace.
℟. Amen.

Pro pluribus Defunctis.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere; propitiáre animabus famulórum famularúmque tuárum, & ómnia eárum peccáta dimítte; ut mortalitátis vínculis abſolútæ, transíre mereántur ad vitam; Per Dóminum noſtrum.

Pro Patre vel Matre.

DEus, qui nos patrem & matrem honoráre præcepíſti; miſerére cleménter animábus patris mei & matris meæ, (*vel* ánimæ patris mei *vel* matris meæ,) eorúmque (*vel* ejúſque) peccáta dimítte; méque eos (*vel* eum, *vel* eam) in ætérnæ claritátis gaúdio fac vidére; Per Dóminũ noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per ómnia sécula ſeculórum. ℟. Amen.

PSALMI GRADUALES.

Dicuntur quinque primi Pſalmi ſinè Glória Patri, *ſed in fine ultimi dicitur,* Réquiem ætérnam, &c.

Inchoantur abſolutè ſinè Antiphona, Pſalmi, Ad Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, *p.* 55. Levávi óculos meos, *p.* 55. Lætátus ſum, *p.* 116. Ad te levávi, *p.* 71. Niſi quia Dóminus, *p.* 56.

In fine dicitur, Réquiem ætérnã dona eis, Dómine; * & lux perpétua lúceat eis.

Deinde dicitur flexis genibus:

Kýrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Convértere, Dómine, úſquequò? ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 13.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobiſcum; ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Orémus.

ABſólve, quæſumus, Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuá-

rum, & ómnium Fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum; ut in reſurrectiónis glória inter Sanctos & Eléctos tuos reſuſcitáti reſpírent; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Poſt Orationem ſtatim dicuntur ſequentes quinque Pſalmi abſolutè; & in fine cujuſlibet dicitur, Glória Patri.

Pſalmi, Qui confidunt, *p.* 56. In converténdo, *p.* 86. Nisi Dóminus, *p.* 56. Beáti omnes, *p.* 86. Sæpè expugnavérunt me, *p.* 100.

Deinde dicitur flexis genibus:

Kýrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. *ſecretò.* ℣. Et ne nos indúcas, &c.

℣. Memor eſto congregatiónis tuæ, ℟. Quam poſſedíſti ab início. *Pſ.* 73. 2.

℟. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere, ſúſcipe deprecatiónem noſtram; ut nos & omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa conſtríngit, miſerátio tuæ pietátis clementer abſólvat; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Similiter poſt hanc Orationem dicuntur ſequentes quinque Pſalmi, cum Glória Patri, *in fine cujuſlibet.*

Pſal. De profúndis, *p.* 101. Dómine, non eſt exaltátum, *p.* 72. Meménto, Dómine, *p.* 86. Ecce quàm bonum, *p.* 116. Ecce nunc benedícite, *p.* 26.

Deinde dicitur flexis genibus:

Kýrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. *ſecretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Deus ómnium, miſerére plebi tuæ, ℟. Super quam invocátum eſt nomen tuum. *Eccli.* 36. 14.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

PRæténde, quæſumus, Dómine, fámulis & famulábus tuis déxteram cœléſtis auxílii; ut te toto corde perquírant, & quæ dignè póſtulant, cónſequi mereántur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ.

ANTE PRANDIUM.

Qui benedicit Menſam, incipit: Benedícite. *Alii reſpondent*: Dóminus. *Deinde dicit* ℣. Oculi ómnium, *& alii proſequuntur*, In te ſperant, Dómine; & tu das eſcam illórum in témpore opportúno: áperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Pſ.* 144. 15. 16.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat. Kýrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. *ſecretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Orémus.

BEnedic, Dómine, nos, & hæc ✝ tua dona, quæ de tua largitáte ſumus ſumptúri; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Lector dicit: Jube, Domne, benedícere.

Benedictio: Menſæ cœléſtis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

In fine Lectionis dicitur: Tu autem, Dómine, miſerére noſtri. ℟. Deo grátias.

GRATIARUM ACTIO poſt Prandium.

Qui benedixit Menſam, incipit ℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, *& alii proſequuntur*: Et ſancti tui benedícant tibi. *Pſ.* 144. 10. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Poſteà dicit: Agimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérſis beneficiis tuis; Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Pſalmus, Laudáte Dóminum, omnes gentes, *p.* 108.

In fine Glória Patri. *Deinde* Kýrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Diſpérſit dedit paupéribus; ℟. Juſtítia ejus manet in séculum séculi. *Pſ.* 111. 9.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore; ℟. Semper laus ejus in ore meo. *Pſ.* 33. 2.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea: ℟. Aúdiant manſuéti, & læténtur. *Pſ.* 33. 3.

℣. Magnificáte Dóminum mecum; ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípſum. *Pſ.* 33. 4.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, ℟. Ex hoc, nunc, & uſque in séculum. *Pſ.* 112. 2.

REtribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus, propter nomen tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias.

Secretò: Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ ante Cœnam.

Qui benedicit Menſam, incipit: Benedícite. *Alii reſpondent*: Dóminus. *Deinde dicit* ℣. Edent paúperes, *& alii proſequuntur*; Et ſaturabúntur: & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: vivent corda eórum in séculum séculi. *Pſ.* 21. 27.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat. Kýrie, eléiſon. Christe, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas, &c.

Orémus.

BEnedic, Dómine, nos, & hæc † tua dona, quæ de tua largitáte ſumus ſumptúri; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Lector dicit, Jube, Domne, benedícere.

Benedictio: Ad cœnam perpétuæ vitæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

In fine Lectionis dicitur: Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî. ℟. Deo grátias.

GRATIARUM ACTIO poſt Cœnam.

Qui benedixit Menſam, incipit ℣. Memóriam fecit mirabílium ſuórum, *& alii proſequuntur*: Miséricors & miſerátor Dóminus; eſcam dedit timéntibus ſe. *Pſ.* 110. 4. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Poſteà dicit: Benedíctus Deus in donis ſuis, & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis; Qui vivit & regnat in sécula ſeculórum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Pſalmus, Laudáte Dóminum, omnes gentes, *p.* 108. *& reliqua, ut ſuprà.*

IN JEJUNIIS, *ad refectionem fit Benedictio Menſæ & Gratiarum Actio, ut notatum eſt pro Cœna.*

FERIA IV. V. ET VI. Majoris Hebdomadæ.

BENEDICTIO.

CHriſtus factus eſt pro nobis obédiens uſque ad mortem, mortem autem crucis. *Philip.* 2. 8.

Pater, *totum ſecretò.*

Deinde nihil dicendo, ſigno Crucis benedicitur menſa: quæ benedictio Feriâ ſextâ omittitur.

Ad Lectionem non datur benedictio, nec dicitur Tu autem.

GRATIARUM ACTIO.

CHriſtus factus eſt pro nobis obédiens uſque ad mortem, mortem autem crucis. *Philip.* 2. 8.

Pſalmus, Miſerére meî, Deus, * ſecúndum magnam miſericórdiam tuam, *p.* 117. *ſinè* Glória Patri. Pater noſter, *totum ſecretò.*

REſpice, quæſumus, Dómine, ſuper hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noſter Jeſus Chriſtus non dubitávit mánibus tra-

nocéntium, & crucis ſubíre torméntum. *Secretò*, Qui tecum vivit & regnat in unitáte.

SABBATO SANCTO.

BENEDICTIO.

BEnedícite, ℟. Dóminus. Cùm transíſſet Sábbatum, María Magdaléne, & María Jacóbi, & Salóme emérunt arómata; ut veniéntes úngerent Jeſum, allelúia. *Marc.* 16. 1.

Kýrie, eléiſon, & *reliqua, ut ſuprà, p.* cxxiv.

GRATIARUM ACTIO.

VEſpere autem Sábbati, quæ lucéſcit in prima Sábbati, venit María Magdaléne, & áltera María vidére ſepúlcrum, allelúia. *Matt.* 28. 1.

Benedíctus Deus in donis, &c. *Pſalmus*, Laudáte Dóminum, omnes gentes, *p.* 108. Kýrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Diſpérſit, & *reliqua, ut ſuprà, p.* cxxiv.

IN DIE S. PASCHÆ.

Et uſque ad prandium ſequentis ſabbati incluſivè.

BENEDICTIO.

BEnedícite, ℣. Dóminus. Hæc dies quam fecit Dóminus, exultémus & lætémur in ea, allelúia. *Pſ.* 117. 24.

Glória Patri, & Fílio. Kýrie, eléiſon, & *reliqua, ut ſuprà, p.* cxxiv.

GRATIARUM ACTIO.

HÆc dies quam fecit Dóminus; exultémus & lætémur in ea, allelúia. *Pſ.* 117. 24.

Glória Patri, & *reliqua, ut ſuprà, p.* cxxiv. *Excepto quòd loco Pſalmi*, Laudáte, *dicitur Pſalmus*, Confitémini Dómino, *p.* 11.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Et uſque ad Vigil. Pent.

BENEDICTIO.

BEnedícite, ℟. Dóminus. Aſcéndens Chriſtus in altum, allelúia, captívam duxit captivitátem, allelúia. *Epheſ.* 4. 8.

Glória Patri. Kýrie, eléiſon, & *reliqua, ut ſuprà, p.* cxxiv.

GRATIARUM ACTIO.

AScéndit Deus in júbilo, allelúia, & Dóminus in voce tubæ, allelúia. *Pſ.* 46. 6.

Glória, & *reliqua, ut ſuprà, p.* cxxiv. *Excepto quòd loco Pſalmi*, Laudáte Dóminum, omnes gentes, *dicitur Pſalmu*, Omnes gentes, *p.* 107.

IN PENTECOSTE, & per Hebdomadam.

BENEDICTIO.

BEnedícite, ℟. Dóminus. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúia; & hoc, quod cóntinet ómnia, ſciéntiam habet vocis, allelúia. *Sap.* 1. 7.

Glória Patri. Kýrie, eléiſon, & reliqua, ut ſuprà. p. cxxiv.

GRATIARUM ACTIO.

REpléti ſunt omnes Spíritu ſancto, allelúia, & cœpérunt loqui, allelúia. *Act.* 2. 4.

Glória Patri, *& reliqua*, *ut ſuprà*, *p.* cxxiv. *Excepto quòd loco Pſalmi*, Laudáte Dóminum, omnes gentes, *dicitur Pſalmus*, Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, *p.* 107.

ITINERARIUM.

Viator, in ipſo itineris ingreſſu, ſi ſolus fuerit, dicat quæ ſequuntur in ſingulari; ſi cum ſociis, in plurali, ut ſequitur.

Canticum, Benedíctus Dóminus Deus Iſraël, *p.* 11.

Ant. Benè ambulémus, & ſit Deus in itínere noſtro, & Angelus ejus comitétur nobíſcum.

PRECES.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon.

Pater noſter, &c. *ſecretò.*

℣. Et ne nos indúcas, &c.

℣. Salvos fac ſervos tuos, ℟. Deus meus, ſperántes in te. *Pſ.* 85. 2.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de Sancto; ℟. Et de Sion tuére nos. *Pſ.* 19. 3.

℣. Eſto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Pſ.* 60. 4.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis; ℟. Et filius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Pſ.* 88. 23.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie: ℟. Próſperum iter fáciat nobis Deus ſalutárium noſtrórũ. *Pſ.* 67. 20.

℣. *Vias tuas*, Dómine, demónſtra nobis; ℟. Et ſémitas tuas édoce nos. *Pſ.* 24. 4.

℣. Utinàm dirigántur viæ noſtræ, ℟. Ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas! *Pſ.* 118. 5.

℣. Erunt prava in dirécta; ℟. Et áſpera in vias planas. *Iſ.* 40. 4.

℣. Angelis ſuis Deus mandávit de te, ℟. Ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis. *Pſ.* 90. 11.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

Orémus.

DEus, qui filios Iſraël per maris médium ſicco veſtígio ire fecíſti, quique Magis iter ad te ſtellâ duce pandíſti; tribue nobis, quæſumus, iter próſperum tempúſque tranquíllum; ut Angelo tuo ſancto cómite, ad eum quò pérgimus locum, ac demùm ad ætérnæ ſalútis portum pervenire felíciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes ſuæ peregrinatiónis vias illæſum cuſtodíſti; quæſumus, ut nos famulos tuos cuſtodíre dignéris: eſto no-

bis, Dómine, in procínctu ſuffrágium, in via ſolátium, in æſtu umbráculum, in plúvia & frígore teguméntum, in laſſitúdine vehículum, in adverſitáte præſídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut, te duce, quò téndimus, próſperè perveniámus, & demùm incólumes ad própria redeámus.

ADéſto, quǽſumus, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris; & viam famulórum tuórum in ſalútis tuæ proſperitáte diſpóne; ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes, tuo ſemper protegámur auxílio.

PRæſta, quǽſumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam ſalútis incédat; & beáti Joánnis Præcurſóris hortaménta ſectándo, ad eum quem prædíxit, ſecúra pervéniat Dóminum noſtrū Jeſum Chriſtum Fílium tuum. ℟. Am.

℣. Procedámus cum pace, in nómine Dómini. ℟. Amen.

PRÆPARATIO AD MISSAM,
AD LIBITUM SACERDOTIS.

Pſalmi, Quàm diléćta, *p.* 83. Benedixíſti, *p.* 78. Inclína, *p.* 112. Crédidi, *p.* 85. De profúndis, *p.* 101.

Ant. Dómine, memor eſto meî; & ne vindíćtam ſumas de peccátis meis; neque reminiſcáris delíćta mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3. 3.

PRECES.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. Et ne nos indúcas, &c.

℣. Ego dixi: Dómine, miſerére meî; ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Pſ.* 40. 5.

℣. Convértere, Dómine, úſquequò? ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 15.

℣. Fiat miſericórdia tuà, Dómine, ſuper nos, ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Sacerdótes tui induántur juſtítiam; ℟. Et ſanćti tui exúltent. *Pſ.* 131. 9.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine; ℟. Et ab aliénis parce ſervo tuo. *Pſ.* 18. 13.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

Orémus.

AUres tuæ pietátis, mitíſſime Deus, inclína précibus noſtris, & grátiâ ſanćti Spíritûs illúmina cor noſtrum; ut tuis myſtériis dignè miniſtráre, teque æ

ternâ caritáte dilígere mereámur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis volúntas lóquitur, & quem nullum latet ſecrétum; puríſica per infuſiónem ſancti Spíritûs cogitatiónes cordis noſtri, ut te perfécte dilígere, & dignè laudáre mereámur.

URe igne ſancti Spíritûs renes noſtros & cor noſtrum, Dómine; ut tibi caſto córpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

MEntes noſtras, quæſumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit, illúminet; & indúcat in omnem, ſicut tuus promíſit Fílius, veritátem.

ADſit nobis, quæſumus, Dómine, virtus Spíritûs ſancti; quæ & corda noſtra cleménter expúrget, & ab ómnibus tueátur advérſis.

DEus, qui corda fidélium ſancti Spíritûs illuſtratióne docuíſti; da nobis in eódem Spíritu recta ſápere, & de ejus ſemper conſolatióne gaudére.

COnſciéntias noſtras, quæſumus, Dómine, viſitándo puríſica; ut véniens Dóminus noſter Jeſus Chriſtus Fílius tuus, parátam ſibi in nobis invéniat manſiónem; Qui tecum vivit & regnat Deus. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO
POST MISSAM.

Pſalmus Bénedic, ánima mea, Dómino, *p.* 37.

Pſalmus Laudáte Dóminum in ſanctis ejus, *p.* 10.

Ant. Benedícite, Sacerdótes Dómini, Dómino: laudáte & ſuperexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3. 84.

PRECES.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kýrie, eléiſon. Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos indúcas, &c.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; ℟. Et ſancti tui benedícant tibi. *Pſ.* 144. 10.

℣. Exultábunt ſancti in *glória; ℟. Lætabúntur in cubílibus ſuis. Pſ.* 149. 5.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis, ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Pſ.* 113. 9.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

Orémus.

DEus, qui tribus púeris mitigáſti flammas ígnium; concéde propítius, ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

ACtiónes noſtras, quæſumus, Dómine, aſpirándo præveni, & adjuvándo proséquere; ut cuncta noſtra orátio & operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur.

DA nobis, quæſumus, Dómine, vitiórum noſtrórum flammas extíngue-re, qui beáto Lauréntio tribuiſti tormentórum ſuórum incéndia ſuperáre; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

LITANIÆ
SANCTISSIMI NOMINIS JESU.

KYrie, eléiſon.
Chriſte, eléiſon.
Kýrie, eléiſon.
Jeſu, audi nos.
Jeſu, exaúdi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, Miſerére nobis.
Spíritus ſancte Deus, Miſerére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, Miſerére nobis.
Jeſu Fili Dei vivi, Miſerére nobis.
Jeſu Splendor Patris, miſ.
Jeſu Candor lucis ætérnæ, miſerére nobis.
Jeſu Rex glóriæ, miſ.
Jeſu Sol juſtítiæ, miſ.
Jeſu Fili Maríæ Vírginis, miſerére nobis.
Jeſu admirábilis, miſ.
Jeſu Deus fortis, miſ.
Jeſu Pater futúri séculi, miſerére nobis.
Jeſu magni consílii Angele, miſ.
Jeſu potentíſſime, miſ.
Jeſu patientíſſime, miſ.
Jeſu obedientíſſime, miſ.
Jeſu mitis, & húmilis corde, miſ.
Jeſu amátor caſtitátis, miſ.
Jeſu amátor noſter, miſ.
Jeſu Deus pacis, miſ.
Jeſu Autor vitæ, miſ.
Jeſu exémplar virtútum, miſerére nobis.
Jeſu zelátor animárum, miſerére nobis.
Jeſu Deus noſter, miſ.
Jeſu refúgium noſtrũ, miſ.
Jeſu Pater paúperum, miſ.
Jeſu theſaúrus fidélium, miſerére nobis.
Jeſu bone Paſtor, miſ.
Jeſu lux vera, miſ.
Jeſu Sapiéntia ætérna, miſ.
Jeſu bónitas infiníta, miſ.
Jeſu via & vita noſtra, miſ.
Jeſu gaúdium Angelórum, miſerére nobis.
Jeſu Magíſter Apoſtolórum, miſ.
Jeſu Doctor Evangeliſtárum, miſ.
Jeſu fortitúdo Mártyrum, miſerére nobis.
Jeſu lumen Confeſſórum, miſerére nobis.
Jeſu púritas Vírginum, miſerére nobis.
Jeſu coróna Sanctórum ómnium, miſ.
Propítius eſto, Parce nobis, Jeſu.
Propítius eſto, Exaúdi nos, Jeſu.
Ab omni malo, Libera nos, Jeſu.
Ab ira tua, libera.
Ab insídiis diáboli, libera.
A ſpíritu fornicatiónis

libera nos, Jeſu.
A morte perpétua, líbera.
A neglé&u inſpiratiónum tuárum, líbera.
Per myſtérium ſanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera nos, Jeſu.
Per Infántiam tuam, líbera.
Per diviníſſimam Vitam tuam, líbera.
Per Labóres tuos, líbera.
Per Agóniam & Paſſiónem tuam, líbera.
Per Crucem & Derelictiónem tuam, líbera.
Per Languóres tuos, líbera.
Per Mortem & Sepultúram tuam, líbera.
Per Reſurrectiónem tuam, líbera nos, Jeſu.
Per Aſcenſiónem tuam, líbera nos, Jeſu.
Per Gaúdia tua, líbera.
Per Glóriam tuam, líbera.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Jeſu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaúdi nos, Jeſu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miſerére nobis, Jeſu.

Orémus.

Domine Jeſu, cujus Nomen nemo cum fructu dícere poteſt, niſi in Spíritu ſancto; concéde, quæſumus, illud ſacratíſſimum Nomen invocántibus, ómnium remiſſiónem peccatórum; Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

LITANIÆ
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Kyrie, eléiſon.
Chriſte, eléiſon.
Kýrie, eléiſon.
Chriſte, audi nos.
Chriſte, exaúdi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, Miſerére nobis.
Spíritus ſancte Deus, Miſerére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, Miſerére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, *ora pro nobis.*
Mater Chriſti, ora.
Mater divínæ grátiæ, ora.
Mater puríſſima, ora.
Mater caſtíſſima, ora.
Mater invioláta, ora.
Mater intemeráta, ora.
Mater amábilis, ora.
Mater admirábilis, ora.
Mater Creatóris, ora.
Mater Salvatóris, ora.
Virgo prudentíſſima, ora.
Virgo veneránda, ora.
Virgo prædicánda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidélis, ora.
Spéculum juſtítiæ, ora.
Sedes ſapiéntiæ, ora.
Cauſa noſtræ lætítiæ, ora.
Vas ſpirituále, or

Vas honorábile, ora.
Vas insígne devotiónis, ora pro nobis.
Roſa mýſtica, ora.
Turris Davídica, ora.
Turris ebúrnea, ora.
Domus aúrea, ora.
Fœ́deris arca, ora.
Jánua cœli, ora.
Stella matutína, ora.
Salus infirmórum, ora.
Refúgium peccatórum, ora.
Conſolátrix afflictórum, ora pro nobis.
Auxílium Chriſtianórum, ora pro nobis.
Regína Angelórum, ora.
Regína Patriarchárum, ora.
Regína Prophetárum, ora.
Regína Apoſtolórum, ora.
Regína Mártyrum, ora.
Regína Confeſsórum, ora.
Regína Vírginum, ora.
Regína Sanctórum ómnium, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaúdi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miſerére nobis.

Orémus.

Famulórum tuórum, quæſumus, Dómine, delíctis ignóſce; ut qui tibi placére de áctibus noſtris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini noſtri interceſſióne ſalvémur; Per eúmdem Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

SELECTI CONCILIORUM CANONES

Singulis diebus ad Primam legendi.

PARS VERNA.

✱ *Deſignat Concilium Generale ſeu Œcumenicum.*

✚ *Deſignat Concilium Nationale, ſeu totius, aut ferè totius Eccleſiæ Gallicanæ.*

✜ *Deſignat Concilium Provinciale, ſeu Provinciæ Turonenſis aut ſaltèm Aremoricæ.*

✠ *Deſignat Concilium aliud à præfatis, at Eccleſiæ univerſæ reverentiâ conſecratum.*

De Jejunio & Obſervantia Quadrageſimali.

FERIA IV. CINERUM. IN CAPITE JEJUNII.
Ex Concílio Nicæno primo. ✱
Ann. 325. Can. de Sanctionibus 19.

OMnibus Chriſti Fidélibus tam viris quàm muliéribus, púeris, ſervis, cœteríſque áliis jejunándum in primis eſt jejúnium majus, nimírùm per octo ſeptímanas, cujus inítium eſt poſtrémum Hyemis, & finis, inítium Veris.

FERIA V.
Ex Concílio Laodicéno. ✜
Ann. 366. Can. 50.

NOn opórtet in Quadragéſima, quintâ fériâ últimæ hebdómadæ jejúnium diſsólvi, & totam Quadragéſimam inhonorári, *ſed per totos dies jejunáre, & eſcis* abſtinéntiæ convenientibus, id eſt, aridióribus, uti.

FERIA VI.
Ex Concílio Agathénſi. ✚
Ann. 506. Can. 12.

PLácuit, ut omnes Eccléſiæ fílii, excéptis diébus Domínicis, in Quadragéſima, étiam die Sábbato, Sacerdotáli ordinatióne, & diſtrictiónis comminatióne, jejúnent.

SABBATO.
Ex Concílio Laodicéno. ✠
Ann. 366. Can. 51.

NOn celebréntur in Quadragéſima Mártyrum Natalítia. Feſtívitas non poteſt celebrári condígnè cùm Quadragéſimæ dies vel Paſchále Feſtum videntur incúmbere, in quibus nihil de Sanctórum Solemnitátibus, ſicut reguláriter ex antiquitáte cautum eſt, convenit celebrári.

DOMINICA PRIMA IN QUADRAGESIMA.

Ex Concilio Aurelianénſi. ✠

Ann. 511. *Can.* 24.

ID Sacerdótibus ómnibus decrétum eſt, ut ante Paſchæ Solemnitátem non Quinquagéſima, ſed Quadragéſima teneátur.

FERIA II.

Ex Concilio Aurelianénſi. ✠

Ann. 541. *Can.* 2.

HOc decérnimus obſervándum, ut Quadragéſima ab ómnibus Eccléſiis æquáliter teneátur: neque per Sábbatum abſque infirmitáte quiſquam ſolvat quadragéſimæ jejúnium. Si quis hanc régulam irrúperit, tanquam tranſgréſſor diſciplínæ à Sacerdótibus teneátur.

FERIA III.

Ex Concílio Toletáno. ✠

Ann. 653. *Can.* 9.

QUiſquis abſque inevitábili neceſſitáte, atque fragilitátis evidénti languóre, ſeu étiam ætátis impoſſibilitáte, diébus Quadragéſimæ eſum cárnium præſúmpſerit attentáre, non ſolùm reus erit Domínicæ Reſurrectiónis, verùm étiã aliénus ab ejúſdem diéi ſancta communióne.

FERIA IV.

Ex Concílio Toletáno. ✠

Ann. 653. *Can.* 9.

HOc illi cumulétur ad pœnam, qui ſacris *diébus* abſtinéntiæ oblitus *eſt diſciplinam*, ut ipſius *anni témpore* ab omni eſu *carnium* abſtíneat. Illi verò, quos aut ætas incúrvat, aut languor exténuat, aut necéſſitas arctat, non antè prohibíta violáre præſúmant, quàm à Sacerdótibus permíſſum accípiant.

FERIA V.

Ex Capituláribus Theodúlphi, Aurelianénſis Epíſcopi. ✠

Ann. 797. *Can.* 37.

JEjúnium in Quadragéſima præter dies Domínicos nullátenùs reſolvátur; quia iſti dies décimæ ſunt anni, quos cum omni religióne & ſanctitáte tranſígere debémus. Hoc témpore non jejunáre, præcéptum Dei tranſcéndere eſt. Præter infirmos aut párvulos, quiſquis non jejunáverit, pœnam ſibi acquirit.

FERIA VI.

Ex Concílio Pariſiénſi. ✠

Ann. 1528. *Can.* 7.

CUm in ómnibus Eccleſiáſticis conſtitutiónibus, útilis quædam honéſtas & ſpirituális proféctûs increméntum elucéſcat, in indicéndis tamen jejúniis insígniter emícuit, quibus nihil áptius retundéndæ carnis petulántiæ pótuit inſtitui. Quæ res Apóſtolos impulit ut quadrageſimále jejúnium ſanctificárent.

SABBATO.

Ex Concílio Mediolanénſi quinto. ✠

Ann. 1579. *p.* 1. *Can.* 3.

OMni témpore à jocis Chriſtianum hóminem abſtinére convenit; at Qua

e ac jejúnii témpo- diligéntiùs quantò ... is ſtudioſiúſque, oratióni, abſtinéntiæ, omníque pœniténtiæ géneri incumbéndum eſt.

De Sacramento Pœnitentiæ.

INICA II.
[QU]ADRAGESIMÆ.
...lio Tridentíno. *
... *Seſſ.* 14. *de SS.*
Sacram. Can. 1.
...líxerit, in Cathó... ...cléſia Pœniténtiam ...verè & própriè Sa... ...m, pro Fidélibus, ...óſt Baptíſmum in... ...abúntur, ipſi Deo ...ndis, à Chriſto ...inſtitútum, aná...

...RIA II.
...lio Tridentíno. *
...1. *Seſſ.* 14. *Can.* 9.
...íxerit, Abſolutió... ...acramentálem Sa... ...ion eſſe actum ju... , ſed nudum mi... pronuntiándi & ...i remiſſa eſſe pec... ...ténti, modò tan... ...at ſe eſſe abſolú... ...áthema ſit.

...RIA III.
...lio Tridentíno. *
...1. *Seſſ.* 14. *Can.* 2.
Sacraménta con... ...s, ipſum Baptíſ... ...iténtiæ Sacramén... ...íxerit, quaſi hæc ...raménta diſtíncta , atque ídeò Pœ... non rectè ſecún... ...naufrágium tábu... ...ári, anáthema ſit.

FERIA IV.
Ex Concílio Tridentíno. *
Ann. 1514. *Seſſ.* 14. *Can.* 3.

SI quis díxerit, verba illa Dómini Salvatóris: Accípite Spíritum Sanctum, quorum remiſéritis peccáta, remittúntur eis; & quorum retinuéritis, reténta ſunt, non eſſe intelligénda de poteſtáte remittendi & retinéndi peccáta in Sacraménto Pœniténtiæ, ſicut Eccléſia Cathólica ab início ſemper intelléxit, anáthema ſit.

FERIA V.
Ex Concílio Tridentíno. *
Ann. 1551. *Seſſ.* 14. *Can.* 4.

SI quis negáverit, ad íntegram & perféctam peccatórum remiſſiónem requíri tres actus in pœniténte, quaſi matériam Sacraménti Pœniténtiæ, vidélicet Contritiónem, Confeſſiónem & Satisfactiónem, quæ tres Pœniténtiæ partes dicúntur, anáthema ſit.

FERIA VI.
Ex Concílio Tridentíno.
*
Anno 1547. *Seſſ.* 6. *de Juſtificat. Can.* 8.

SI quis díxerit, gehénnæ metum, per quem ad miſericórdiam Dei de peccátis doléndo confúgimus, vel à peccándo abſtinémus

peccatum eſſe, aut peccatóres pejóres fácere, anáthema ſit.

SABBATO.

Ex Concilio Florentino. ✱ *Ann.* 1439.

QUartum Sacraméntum eſt Pœniténtia, cujus quaſi matéria ſunt actus pœniténtis, qui in tres diſtinguúntur partes, quarum prima eſt cordis Contrítio, ſecúnda eſt oris Conféſſio, tértia eſt Satisfáctio pro peccátis, ſecúndum arbitrium Sacerdótis.

De Contritione Sacramentali.

DOMINICA III. IN QUADRAGESIMA.

Ex Concilio Tridentino. ✱ *Ann.* 1547. *Seſſ.* 6. *de Juſtificat. Can.* 3.

SI quis dixerit, ſine præveniente Spíritûs Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hóminem crédere, ſperáre, diligere, aut pœnitére poſſe, ſicut opórtet, ut ei juſtificatiónis grátia conferatur, anáthema ſit.

FERIA II.

Ex Concilio Tridentino. ✱ *Ann.* 1547. *Seſſ.* 6. *de Juſtificat. Can.* 29.

SI quis dixerit, eum qui poſt Baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei grátiam resúrgere; aut poſſe quidem, ſed ſolâ fide, amiſſam juſtitiam recuperáre, ſine Sacraménto Pœniténtiæ, anathema ſit.

FERIA III.

Ex Concilio Tridentino. ✱ *Ann.* 1551. *Seſſ.* 14. *Can.* 5.

SI quis dixerit, eam contritiónem quæ parátur per diſcuſſiónem, collectiónem & deteſtatiónem peccatórum, quâ quis recógitat annos ſuos in amaritúdine ánimæ ſuæ, ponderando peccatórum ſuórú gravitátem, multitúdinem, fœditátem, amiſſiónem ætérnæ beatitúdinis, & ætérnæ damnatiónis incúrſum, cum propóſito melióris vitæ, non eſſe verum & útilem dolórem, ſed fácere hóminem hypócritam & magis peccatórem, anáthema ſit.

FERIA IV.

Ex Concilio Tridentino. ✱ *Ann.* 1547. *Seſſ.* 6. *de Juſtificat. Cap.* 5 & 6.

QUi per peccáta à Deo avérſi erant, diſponúntur ad juſtitiam, dum excitáti divinâ grátiâ & adjúti, liberè movéntur in Deum, credéntes vera eſſe quæ divinitus reveláta & promiſſa ſunt; & dum peccatóres ſe eſſe intelligéntes, à divinæ juſtitiæ timóre, quo utiliter concutiúntur, ad conſequéndam Dei miſericórdiam ſe converténdo, in ſpem erigúntur, fidéntes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illúmque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.

FERIA V.

Ex Declaratióne Cleri Gallicáni Paríſiis congregáti. ✠

Ann. 1700. *Tit.* 1.

DE dilectióne Dei, ſicut ad Sacraméntum Baptíſmi in adúltis, ità & ad Sacraméntum Pœniténtiæ, quæ eſt laborióſus baptíſmus, requisítâ, ne neceſſáriam doctrínam omittámus, hæc duo imprímìs ex ſacroſánctâ Sýnodo Tridentína docénda eſſe dúximus: primùm, ne quis putet in utróque Sacraménto requíri ut prǽviam contritiónem, eam quæ ſit caritáte perfécta, & quæ cum voto Sacraménti, ántequàm actu ſuſcipiátur, hóminem Deo reconcíliet: álterum, ne quis putet in utróque Sacraménto ſecúrum ſe eſſe, ſi præter fídei & ſpei actus, non incípiat dilígere Deum tanquam omnis juſtítiæ fontem.

FERIA VI.

Ex Concílio Aquiſgranénſi. ✠

Ann. 816. *Lib.* 1. *Cap.* 37.

VIdéndum eſt quæ culpa præcéſſerit, aut quæ ſit pœniténtia ſecúta poſt culpam, ut quos omnípotens Deus per compunctiónis grátiam víſitat, illos Paſtóris ſenténtia abſólvat. Tunc enim vera eſt abſolútio præſidéntis, cùm ſupérni ſequitur arbítrium Júdicis.

SABBATO.

Ex Concílio Tridentíno. ✱

Ann. 1551. *Seſſ.* 14. *Cap.* 4.

DEclárat ſancta Sýnodus contritiónem quæ primum locum inter pœniténtis actus habet, non ſolùm ceſſatiónem à peccáto, & vitæ novæ propóſitum & inchoatiónem, ſed véteris étiam ódium continére juxta illud: Projícite à vobis omnes iniquitátes veſtras in quibus aliquándo prævaricáti eſtis, & fácite vobis cor novum & ſpíritum novum.

De Confeſſione Sacramentali & Confeſſariorum Officio.

DOMINICA IV. IN QUADRAGESIMA.

Ex Concílio Tridentíno. ✱

Ann. 1551. *Seſſ.* 14. *Can.* 6.

SI quis negáverit, Confeſſiónem ſacramentálem, vel inſtitútam, vel ad ſalútem neceſsáriam eſſe jure divíno; aut díxerit, modum ſecrétè confiténdi ſoli Sacerdóti, quem Eccléſia *Cathólica ab inítio ſemper obſervávit* & obsérvat, aliénum eſſe ab inſtitutióne & mandáto Chriſti, & invéntum eſſe humánum, anáthema ſit.

FERIA II.

Ex Concílio Nicǽno primo. ✱

Ann. 325. *Cap.* 25.

QUi in peccátum íncidit, ne deſpéret, aut de Dei diffídat miſericórdia & ſpem omnem abjíciat, ſed revertátur ad Deum & pœniténdo

tiam agat; Sacerdóti médico animárum ſuárum apériat peccátum, & puro défleat corde; quia per eum Deus ſolus condónat nobis peccáta & crímina.

FERIA III.

Ex Concílio Carthaginénſi. ✠

Ann. 398. *Can.* 74 & 75.

SAcerdótes pœniténtiam imploránti, abſque perſónæ acceptióne, pœniténtiæ leges injúngant: negligentióres pœniténtes tárdiùs recipiántur.

FERIA IV.

Ex Concílio Pariſiénſi ſexto. ✠

Ann. 829. *Lib.* 1. *Cap.* 46.

ILlis eſt conféſſio peccatórum faciénda, à quibus ſubínde & modus pœniténtiæ & consílium ſalútis capiátur, & à quibus poſt témpora pœniténtiæ peráća, ſecúndùm canónicam inſtitutiónem, ſi Epíſcopus júſſerit, reconciliátio mereátur.

FERIA V.

Ex Concílio Mediolanénſi primo. ✠

Ann. 1565. *p.* 2. *de Pœnit.*

SAcerdótes, niſi ex cauſa neceſſária, mulíeres ante ſolis ortum, vel poſt ejus occáſū confiténtes ne aúdiant, néve in cellis, ſed públicè in Eccléſia, in sédibus in quibus tabélla omnínò inter confiténtem & pœniténtem interjécta ſit; nec ſinè cauſa neceſſária in privátis ædibus, cujúſquam maris vel fœminæ confeſſiónem aúdiat.

FERIA VI.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 4.

SInguli Confeſſárii Concílii Tridentíni Catechiſmum, certámque confeſſiónes excipiéndi fórmulam à doctis & Cathólicis viris congéſtam, ſuper qua examinabúntur, penès ſe habére debent; & ut prómptiùs lepram à lepra diſcérnere queant, quantùm fieri póterit, memóriter ſcire teneántur.

SABBATO.

Ex Concílio Pariſiénſi. ✠

Ann. 1188. *Cap.* 6.

IN Confeſſióne, hábeat Sacérdos vultum húmilem, & óculos ad terram, nec aſpíciat vultum confiténtis, máximè mulíeris, & patiénter aúdiat quæ díxerit in ſpíritu lenitátis, & ei pro poſſe ſuo plúribus modis perſuádeat ut confiteátur íntegrè; áliter enim dicat ei nihil valére.

De Satisfactione Sacramentali.

DOMINICA
IN PASSIONE DOMINI.
Ex Concílio Tridentíno. ✻
Ann. 1551. *Seſſ.* 14. *Can.* 12.

SI quis díxerit, totam pœnam ſimul cum culpa remítti ſemper à Deo, ſatisfactionémque pœniténtium non eſſe áliam quàm fidem quâ apprehéndunt Chriſtum pro eis ſatisfecíſſe, anáthema ſit.

FERIA II.
Ex Concílio Tridentíno. ✻
Ann. 1551. *Seſſ.* 14. *de Pœnit. Cap.* 8.

MAgnóperè à peccáto révocant, & quaſi fræno quodam coércent ſatisfactóriæ pœnæ, cautioréſque & vigilantióres in futúrum pœniténtes efficiunt: medéntur quoque peccatórum relíquiis, & vitióſos hábitus malè vivéndo comparátos, contráriis virtútum actiónibus tollunt.

FERIA III.
Ex Concílio Tridentíno. ✻
Ann. 1551. *Seſſ.* 14. *de Pœnit. Cap.* 8.

NEque verò ità noſtra eſt Satisfáctio hæc quam pro peccátis noſtris exſólvimus, ut non ſit per Jeſum Chriſtum, in quo merémur, in quo ſatisfácimus; faciéntes fructus dignos pœniténtiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offerúntur *Patri, & per illum acceptántur à Patre.*

FERIA IV.
Ex Concílio Lateranénſi ſecúndo. ✻
Ann. 1139. *Can.* 22.

FAlſam pœniténtiam eſſe conſtat, cùm ſpretis plúribus, de uno ſolo pœniténtia ágitur; aut, cùm ſic ágitur de uno, ut non diſcedátur ab álio; cùm pœnitens ab offício non recédit, quòd ſinè peccáto agi nullâ ratióne prævalet; aut ſi ódium in corde geſtétur, aut ſi offénſo cuílibet non ſatísfiat, aut ſi offendénti offénſus non indúlgeat.

FERIA V.
Ex Concílio Pariſiénſi ſexto. ✣
Ann. 829. *Lib.* 1. *Cap.* 52 *&* 46.

SAcerdótes qui aut múneris, aut amóris, aut timóris, aut certè favóris causâ, témpora modúmque pœniténtiæ ad líbitum pœniténtium indícunt, aúdiant quid Dóminus per Ezechiélem Prophétam terribíliter dicat: Erit manus mea ſuper Prophétas qui decepérunt pópulum meum, dicéntes: Pax, pax; & non erat pax.

FERIA VI.
IN COMPASSIONE B. M. V.
Ex Concílio Coloniénſi. ✣
Ann. 1423. *Can.* 11.

AD glóriam ſanctæ & intemerátæ Vírginis Dei Genitrícis, pro miſeris pec

catóribus Fílium ſuum crucifixum aſſíduè deprecántis, nécnon ad honórem illíus angúſtiæ & dolóris, dum Redémptor noſter Jeſus Chriſtus, expánſis mánibus in ara crucis, pro ſalúte noſtra immolátus, Matrem ſuam benedíctam dilectíſſimo Diſcípulo ſuo Joánni Evangeliſtæ commendávit, & præſértim ut profanórum hæreticórum perfidia retundátur, qui imágines ad laudem Crucifixi & glorióſæ Vírginis dedicátas mínimè combúrere formidárunt, Feſtum Commemoratiónis præfátæ angúſtiæ & dolóris beátæ Maríæ Vírginis ſingulis annis celebrári.

SABBATO.

Ex Concílio Tridentíno. *

Ann. 1551. *Seſſ.* 14. Cap. 8.

HAbeant præ óculis Sacerdótes ut Satisfactiónem quam impónunt, non tantùm ad novæ vitæ custódiam, & infirmitátis medicaméntum, ſed étiam ad præteritórum peccatórum vindíctam & caſtigatiónem

---

De annua peccatorum Confeſſione & Paſchali Communione unicuique adulto præſcriptis. De prima Communione, & requiſitis ad Sacræ Euchariſtiæ perceptionem Diſpoſitionibus.

DOMINICA

IN RAMIS PALMARUM.

Ex Concílio Lateranénſi quarto. *

Ann. 1215. *Cap.* 21.

OMnis utriúſque ſexûs Fidélis poſtquàm ad annos diſcretiónis pervénerit, ómnia ſua ſolus peccáta confiteátur fidéliter, ſaltèm ſemel in anno, próprio Sacerdóti, & injúnctam ſibi pœniténtiam ſtúdeat pro víribus adimplére, ſuſcípiens reverénter ad minùs in Paſcha, Euchariſtiæ Sacraméntum, niſi fortè de consílio próprii Sacerdótis, ob áliquam rationábilem cauſam ad tempus ab ejus perceptióne dúxerit abſtinéndum. Alióquin & vivens ab ingréſſu Eccléſiæ arceátur, & móriens Chriſtiánâ cáreat ſepultúrâ. Si quis autem aliéno Sacerdóti volúerit juſta de cauſa ſua confitéri peccáta, licéntiam prius obtíneat.

FERIA II.

Ex Concílio Tridentíno. *

Ann. 1551. *Seſſ.* 14. *de Pœnit. Cap.* 5.

NEque per Lateranénſe Concílium Eccléſia ſtátuit ut Chriſti Fidéles confiteréntur, quod jure divíno neceſſárium & inſtitútum fuíſſe intelléxerat; ſed ut præcéptum confeſſiónis, ſaltèm ſemel in anno, ab ómnibus & ſingulis, cùm ad annos diſcretiónis pervéniſſent, implerétur. Unde jam in univérſa Eccléſia, cum ingénti animárum fidé-

lium fructu obſervátur mos ille ſalutáris confiténdi ſacro illo & máximè acceptábili témpore Quadragéſimæ, quem morem hæc ſancta Sýnodus máximè probat & ampléctitur, tanquam pium & méritò retinéndum.

FERIA III.

Ex Concílio Rotomagénſi.

✠

Ann. 1223. *Can.* 9.

DE confeſſióne faciénda próprio Sacerdóti, vel alícui álii de ipsíus licéntia, & de pœna ſubditórum qui hæc negléxerint adimplére, de celánda confeſſióne, & de pœna illíus qui ſigíllum confeſſiónis infrégerit, ſicut ſtatútum eſt, executióni diligénter mandétur.

FERIA IV.

Ex Concílio Tridentíno. ✠

Ann. 1551. *Seſſ.* 14. *Can.* 11.

SI quis díxerit, Epíſcopos non habére jus reſervándi ſibi caſus, niſi quoàd extérnam polítiam, atque ídeò cáſuum reſervatiónem non prohibére quóminùs Sacérdos à reſervátis verè absólvat, anáthema ſit.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Ex Concílio Matiſconénſi.

✠

Ann. 583. *Can.* 2.

PAſcha noſtrum in quo ſummus Sacérdos & Pontifex pro noſtris delíctis, nullam habens obnoxietátem peccáti, immolátus eſt, debémus omnes feſtivíſſimè cólere, & sédulæ obſervatiónis ſinceritáte in ómnibus venerári: ut illis ſanctíſſimis diébus omnes ſimul coadunáti, hymnis paſchálibus indulgéntes, perſeveratiónis noſtræ præséntiam quotidiánis ſacrifíciis oſtendámus, laudántes Creatórem ac regeneratórem noſtrum véſpere, manè, & merídie.

FERIA II.

Ex Concílio Tridentíno.

✠

Ann. 1551. *Seſſ.* 13. *Can.* 9.

SI quis negáverit, omnes & ſíngulos Chriſti Fidéles utriúſque ſexûs, cùm ad annos diſcretiónis pervénerint, tenéri ſíngulis annis, ſaltèm in Páſchate, ad communicándum, juxta præcéptum ſanctæ Eccléſiæ, anáthema ſit.

FERIA III.

Ex Concílio Avenionénſi.

✠

Ann. 1337. *Cap.* 4.

DEſiderámus illud præcéptum Generális Concílii: Quòd omnis utriúſque ſexûs, poſtquàm ad annos diſcretiónis pervénerit, reverénter recípiat ad minùs in Páſchate Eucharíſtiæ Sacraméntum, ſic à Chriſti Fidélibus obſervári, quòd nulli, quæſítis colóribus, & ſimulátis devotiónibus, vel áliàs, dum ab áliis quàm à própriis Sacerdótibus recípere velle ſe áſſerunt Corpus Chriſti, fraudem quæ-

catóribus Fílium ſuum crucifixum aſſiduè deprecántis, nécnon ad honórem illíus angúſtiæ & dolóris, dum Redémptor noſter Jeſus Chriſtus, expánſis mánibus in ara crucis, pro ſalúte noſtra immolátus, Matrem ſuam benedíctam dilectíſſimo Diſcípulo ſuo Joánni Evangeliſtæ commendávit, & præſértim ut profanórum hæreticórum perfídia retundátur, qui imágines ad laudem Crucifixi & gloriósæ Vírginis dedicátas mínimè combúrere formidárunt, Feſtum Commemoratiónis præfátæ angúſtiæ & dolóris beátæ Maríæ Vírginis síngulis annis celebrétur.

SABBATO.

Ex Concílio Tridentíno. *
Ann. 1551. *Seſſ.* 14. *Cap.* 8.

HAbeant præ óculis Sacerdótes ut Satisfactiónem quam impónunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtódiam, & infirmitátis medicaméntum, ſed étiam ad præteritórum peccatórum vindíctam & caſtigatiónem.

De annua peccatorum Confeſſione & Paſchali Communione unicuique adulto præſcriptis. De prima Communione, & requiſitis ad Sacræ Euchariſtiæ perceptionem Diſpoſitionibus.

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

Ex Concílio Lateranénſi quarto. *
Ann. 1215. *Cap.* 21.

OMnis utriúſque ſexûs Fidélis poſtquàm ad annos diſcretiónis pervénerit, ómnia ſua ſolus peccáta confiteátur fidéliter, ſaltèm ſemel in anno, próprio Sacerdóti, & injúnctam ſibi pœniténtiam ſtúdeat pro víribus adimplére, ſuſcípiens reverénter ad minùs in Paſcha, Euchariſtiæ Sacraméntum, niſi fortè de conſílio próprii Sacerdótis, ob áliquam rationábilem cauſam ad tempus ab ejus perceptióne dúxerit abſtinéndum. Alióquin & vivens ab ingréſſu Eccléſiæ arceátur, & móriens Chriſtiánâ cáreat ſepultúrâ. Si quis autem alièno Sacerdóti volúerit juſta de cauſa ſua confitéri peccáta, licéntiam priùs obtíneat.

FERIA II.

Ex Concílio Tridentíno. *
Ann. 1551. *Seſſ.* 14. *de Pœnit. Cap.* 5.

NEque per Lateranénſe Concílium Eccléſia ſtátuit ut Chriſti Fidéles confiteréntur, quod jure divíno neceſſárium & inſtitútum fuiſſe intelléxerat; ſed ut præcéptum confeſſiónis, ſaltèm ſemel in anno, ab ómnibus & ſíngulis, cùm ad annos diſcretiónis perveniſſent, impleréntur. Unde jam in univérſa Eccléſia, cum ingénti animárum fidi

ructu obſervátur mos
lutáris confiténdi ſa-
lo & máximè accep-
témpore Quadragé-
, quem morem hæc
Sýnodus máximè pro-
: ampléctitur, tan-
pium & méritò reti-
m.

FERIA III.

oncílio Rotomagénſi.

✠

nn. 1223. *Can.* 9.

: confeſſióne faciénda
próprio Sacerdóti, vel
álii de ipsíus licéntia;
e pœna ſubditórum
æc negléxerint adim-
, de celánda confeſſió-
& de pœna illíus qui
m confeſſiónis infré-
, ſicut ſtatútum eſt,
tióni diligénter man-

FERIA IV.

oncílio Tridentíno. ✠

1551. *Seſſ.* 14. *Can.* 11.

uis díxerit, Epíſcopos
n habére jus reſervándi
aſus, niſi quoàd ex-
m polítiam, atque ídeò
m reſervatiónem non
bére quóminùs Sacér-
reſervátis verè abſól-
anáthema ſit.

DIE SANCTO
PASCHÆ.

oncílio Matiſconénſi.

✠

nn. 583. *Can.* 2.

ſcha noſtrum in quo
mmus Sacérdos & Pón-
pro noſtris delíctis,
m *habens* obnoxietá-
eccáti, immolátus eſt,
debémus omnes feſtivíſſimè
cólere, & sédulæ obſerva-
tiónis ſinceritáte in ómnibus
venerári: ut illis ſanctíſſi-
mis diébus omnes ſimul coa-
dunáti, hymnis paſchálibus
indulgéntes, perſeveratiónis
noſtræ præséntiam quotidiá-
nis ſacrifíciis oſtendámus,
laudántes Creatórem ac re-
generatórem noſtrum véſ-
pere, manè, & merídie.

FERIA II.

Ex Concílio Tridentíno.

✠

Ann. 1551. *Seſſ.* 13.
Can. 9.

SI quis negáverit, omnes
& ſíngulos Chriſti Fi-
déles utriúſque ſexûs, cùm
ad annos diſcretiónis per-
vénerint, tenéri ſíngulis an-
nis, ſaltèm in Páſchate, ad
communicándum, juxta
præcéptum ſanctæ Eccléſiæ,
anáthema ſit.

FERIA III.

Ex Concílio Avenionénſi.

✠

Ann. 1337. *Cap.* 4.

DEſiderámus illud præ-
céptum Generális Con-
cílii: Quòd omnis utriúſque
ſexûs, poſtquàm ad annos
diſcretiónis pervénerit, re-
verénter recípiat ad minùs
in Páſchate Euchariſtiæ Sa-
craméntum, ſic à Chriſti
Fidélibus obſervári, quòd
nulli, quæſítis colóribus,
& ſimulátis devotiónibus,
vel áliàs, dum ab áliis quàm
à própriis Sacerdótibus re-
cípere velle ſe áſſerunt Cor-
pus Chriſti, fraudem quæ-

táte irrepſiſſe videántur quæ a tanti Sacrificii dignitáte aliéna ſunt; ut ei débitus honor & cultus reſtituátur, decérnit ſancta Sýnodus ut ordinárii locórum Epíſcopi ea ómnia prohibére, atque è médio tóllere curent, quæ vel avarítia, vel irreveréntia, vel ſuperſtítio indúxit.

SABBATO.

Ex Concilio Tridentino. *
Ann. 1562. *Seſſ.* 22. *Decret. de obſerv. in Miſſa.*

UT irreveréntia vitétur, ſinguli in ſuis diœcéſibus interdícant, ne cui vago & ignóto Sacerdóti, Miſſas celebráre líceat. Néminem prætérea qui públicè & notóriè criminóſus ſit, aut ſancto Altári miniſtráre, aut Sacris interéſſe permíttant.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ex Concilio Tridentino. *
Ann. 1562. *Seſſ.* 22. *Decret. de obſerv. in Miſſa.*

ILliberáles eleemoſynárum exactiónes, pótiùs quàm poſtulatiónes pro celebrándis Miſſis, aliaque hujúſmodi quæ à ſimoníaca labe vel certè à turpi quæſtu non longè abſunt, omnínò prohíbeant ordinárii locórum Epíſcopi.

FERIA II.

Ex Concílio Tridentino. *
Ann. 1562. *Seſſ.* 22. *Decret. de obſerv. in Miſſa.*

NE patiántur Epíſcopi privátis in dómibus, atque omnínò extra Eccléſiam, & ad divínum tantum cultum dedicáta Oratória ab eíſdem Ordináriis deſignánda & viſitánda, ſanctum Miſſæ Sacrificium à Seculáribus aut Reguláribus quibuſcúmque péragi, ac niſi priùs qui intérſint, decénter compóſito córporis hábitu, declaráverint ſe mente étiam ac devóto cordis afféctu, non ſolùm córpore, adéſſe.

FERIA III.

Ex Concílio Turonénſi. †
Ann. 1583. *Cap.* 8.

SAcrificium Miſſæ, cùm ſit auguſtiſſimum ac digníſſimum, ideóque non niſi quàm digníſſimè ac honeſtiſſimo loco tractári débeat, nulli Presbýtero Seculari vel Regulári in privátis dómibus, nec étiam nobilium aut aliórum potentùm, juxta ſacros Cánones, ſub pœna ſuſpenſiónis ipſo jure incurréndæ, celebráre liceat.

FERIA IV.

Ex Concílio Turonénſi. †
Ann. 1583. *Cap.* 8.

OBſervándum eſt ut menſa Chriſti, id eſt altáre ubi Corpus Domínicum conſecrátur, ubi Sanguis ejus hauritur, ubi Sanctórum Relíquiæ recondúntur, ubi preces & vota pópuli in conſpéctu Dei à Sacerdóte offerúntur, cum omni veneratióne honorétur, & mundiſſimis línteis & pallis diligentiſſimè cooperiátur, nihilque ſuper eo ponátur,

niſi

niſi capſæ cum Sanctórum Relíquiis & Miſsále.

FERIA V.

Ex Concílio Tridentíno. ✱ *Ann.* 1562. *Seſſ.* 22. *Decret. de obſerv. in Miſſa.*

AB Eccléſiis múſicas eas, ubi ſive órgano, ſive cantu, laſcívum aut impúrũ áliquid miſcétur, itèm ſeculáres omnes actiónes, vana atque profána collóquia, deambulatiónes, ſtrépitus, clamóres árceant Epíſcopi, ut domus Dei verè domus oratiónis dici poſſit.

FERIA VI.

Ex Concílio Turonénſi. ✤ *Ann.* 1583. *Cap.* 8.

ECcleſiárum Rectóribus earúmque Procuratóribus ſeu Theſauráriis, ac ómnibus quibus ornamentórum cura eſt commíſſa, exáctè curáre mandámus; ut nihil decóris, ad tam ſanctum myſtérium deéſſe patiántur.

SABBATO.

Ex Concílio Turonénſi. ✤ *Ann.* 1583. *Cap.* 8.

NE quod, proh dolor! plúribus in locis fit nimis licénter, Sacerdótes pópulum ſibi commíſſum à devotióne pótiùs révocent, quàm ad ſacrórum Myſteriórum meditatiónem, contemplatiónem & veneratiónem invítent; eíſdem diſtrictíſſimè inhibémus, ne Miſſis celebrándis ſe immíſceant, *niſi priùs docti ritus & ceremónias in tam célebri Sacrifício obſervándas,*

eárum vim, efféctum & ratiónem didícerint.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Ex Concílio Tridentíno. ✱ *Ann.* 1562. *Seſſ.* 22. *Decret. de obſerv. in Miſſa.*

NE ſuperſtitióni locus áliquis detur, edícto & pœnis propóſitis cáveant Epíſcopi, ne Sacerdótes áliis quàm débitis horis célebrent; néve ritus álios aut álias ceremónias & preces in Miſsárum celebratióne adhíbeant, præter eas quæ ab Eccléſia probátæ, ac frequénti & laudábili uſu recéptæ fúerint.

FERIA II.

Ex Concílio Turonénſi. ✤ *Ann.* 1583. *Cap.* 8.

MIſſas, primam, majórem, Parœciáles, & in iis Eccléſiis quibus duæ Miſſæ debent aut conſuevérunt celebrári, horâ conveniénte útpotè ſextâ & nonâ ante merídiem, non priùs aut tardiùs célebrent hi quibus incúmbit, poténtûm quorúmvis étiam nobílium, aut aliárum perſonárum favóre, précibus, minis in contrárium non prævalitúris.

FERIA III.

Ex Concílio Turonénſi. ✤ *Ann.* 1583. *Cap.* 8.

CUm pleríque Sacerdótes horis intempeſtívis, vidélicet primâ & majóre Miſſis Parœciálibus durántibus célebrent, eóque fiat, ut Parœciáni Pronis & chriſ-

nanæ inſtructióni, poſt Offertórium à Rectóribus fieri ſolitis, non intérſint; prohibémus, Miſſis Parœciálibus durántibus, ne in eádem Ecclésia áliæ Miſſæ, altâ aut ſubmiſſa voce, cujúſvis fundatiónis aut confraternitátis colóre, celebréntur.

FERIA IV.

Ex Concilio Aurelianénſi. ✠

Ann. 511. *Cap.* 26.

CUm ad celebrándas Miſſas in Dei nómine convenitur, pópulus non antè diſcédat, quàm Miſſæ ſolémnitas compleátur; & ubi Epiſcopus non fúerit, benedictiónem accipiat Sacerdótis.

FERIA V.

Ex Concilio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 8.

CUm ſacri Cánones, priùs à Miſſæ Sacrificio non eſſe recedéndum dóceant, quàm fúerit poſt communiónem impertíta benedíctio, juſsúſque pópulus, Miſsâ peráctâ, recédere, eorúmdem conſtitutiónibus inhæréndo, ne quis ante benedictiónem quæ poſt communiónem ſéquitur, abſcédat, vetámus.

FERIA VI.

Ex Concílio Tridentíno.

✠

Ann. 1562. *Seſſ.* 22. *de Sacrif. Miſſ. Cap.* 5.

CUm natúra hóminum ſit, ut non fácilè queat ſinè adminículis exteriónbus ad rerum divinárum meditatiónem ſuſtólli, proptéreà pia mater Ecclésia ritus quoſdam, ut ſcílicet quædam ſubmiſsâ voce, ália verò elatióre in Miſſa pronuntiaréntur, inſtítuit.

SABBATO.

Ex Concílio Mediolanénſi primo. ✠

Ann. 1565. *Part.* 2. *Tit.* 5.

MIſſæ nec ante auróram, nec poſt merídiem, nisì ex cauſa jure permiſſa celebréntur. Ne Párochi, cujúſquam grátiâ, metúve, Miſſam parochiálem antícipent aut dífferant; ſed illam eâ potiſſimùm horâ célebrent, quæ pópulo magis accommodáta ſit.

De Verbi Divini Prædicatione.

DOMINICA IV.

POST PASCHA.

Ex Concilio Tridentino. ✠

Ann. 1546. *Seſſ.* 5. *de Reform. Cap.* 2.

QUia Chriſtianæ Reipúblicæ neceſsária eſt prædicátio Evangélii, & hoc eſt præcípuum Epiſcopórum munus, ſtátuit ſancta Sýnodus, omnes Epiſcopos, Archiepíſcopos, Primátes, & álios Eccleſiárum Prælátos tenéri per ſeipſos, ſi legítimè impedíti non fúerint, ad prædicándum ſanctum Jeſu Chriſti Evangélium.

FERIA II.
Ex Concílio Tridentíno. *

Ann. 1546. *Seſſ.* 5. *de Reform. Cap.* 2.

SI contígerit Epíſcopos & álios Eccleſiárum Prælátos legítimo detinéri impediménto, viros idóneos aſſúmere teneántur ad prædicatiónis officium ſalúbriter exequéndum. Si quis autem hoc adimplére contémpſerit; diſtríctæ ſubjáceat ultióni.

FERIA III.
Ex Concílio Pariſiénſi ſexto. ✠

Ann. 829. *Lib.* 1. *Cap.* 31.

EVangélica prædicátio, & ália divínæ ſervitútis execútio, non terrenárum pecuniárum quæſtu, nec cujúſlibet altérius turpis lucri grátiâ, ſed ſolíus Chriſti amóre à diſcípulis ejus eſt peragénda. Quiſquis ígitur ſui quæſtûs, non Dei causâ evangélicam prædicatiónem implet, longè ſe à diſcipulátu Chriſti ſejúngit.

FERIA IV.
Ex Concílio Aquiſgranénſi. ✠

Ann. 816. *Lib.* 1. *Cap.* 23.

PRima prudéntiæ virtus eſt, eam quam docére opórteat exiſtimáre persónam. Rúdibus pópulis, ſeu carnálibus, plana atque commúnia, non ſumma atque árdua prædicánda ſunt; *ne immenſitáte doctrínæ opprimántur*, pótiùs *quàm erudiántur.*

FERIA V.
Ex Concílio Tridentíno. *

An. 1546. *Seſſ.* 5. *de Ref. c.* 2.

QUi curam animárum habéntes Eccléſias quocúmque modo óbtinent, per ſe vel álios idóneos, ſi legítimè impediti fúerint, diébus ſaltèm Domínicis, & Feſtis ſolémnibus plebes ſibi commíſſas pro ſua & eárum capacitáte paſcant ſalutáribus verbis, docéndo quæ ſcire ómnibus neceſsárium eſt ad ſalútem.

FERIA VI.
Ex Concílio Pariſiénſi ſexto. ✠

Ann. 829. *Lib.* 1. *Cap.* 5.

ILle cui diſpensátio verbi commíſſa eſt, etiámſi ſanctè vivat, & tamen pérditè vivéntes argúere aut erubéſcat aut métuat, cum ómnibus qui eo tacénte períerint, perit: & quid ei próderit non puníri ſuo, qui puniéndus eſt alièno peccáto?

SABBATO.
Ex Concílio Pariſiénſi ſexto. ✠

Ann. 829. *Lib.* 1. *Cap.* 5.

CUm prædicáre necéſſe ſit, juxta illud Iſaíæ: Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exálta vocem tuam; & annúntia pópulo meo ſcélera eórum, & dómui Jacob peccáta eórum, tùm máximè id Sacerdótibus fácere necéſſe eſt, quando iram Dómini contra pópulum Dei, méritis exigéntibus graſsári perſpéxerint.

De Rogationibus, aliiſque Supplicationibus Proceſſionis nomine deſignatis.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Ex Mónitis Sancti Caroli. ✠

Monito 1. *de Proceſſionib.*

DOmínicâ Proceſſiónis diem immediátè præcedénti, Párochus Fidéles móneat de hujus die & occaſióne. Unde eos ut intérſint, efficáciter adhortábitur; ut Deus ómnium preces, pro ſua miſericórdia, in animárum & córporum tam noſtrórum quàm proximórum beneficium, dignétur exaudíre: dicétque quantâ modéſtiâ, devotióne & órdine, hæ Proceſſiónes celebrári débeant.

FERIA II.

IN ROGATIONIBUS.

Ex Concílio Aurelianénſi. ✠

Ann. 511. *Can.* 27 & 28.

ROgatiónes, id eſt, Litánias ante Aſcenſiónem Dómini, ab ómnibus Eccléſiis plácuit celebrári: quo tríduo omnes abſtíneant, & cibis quadrageſimálibus utántur. Clérici verò qui ad hoc opus ſanctum adéſſe contémpſerint, ſecúndùm arbítrium Epíſcopi Eccléſiæ ſuſcípiant diſciplínam.

FERIA III.

IN ROGATIONIBUS.

Ex Concílio Moguntíno. ✠

Ann. 813. *Can.* 33.

PLácuit nobis, ut Litánia major obſervánda ſit à cunctis Chriſtiánis diébus tribus, ſicut legéndo repérimus, & ſicut ſancti Patres noſtri inſtituérunt: non pretióſis véſtibus ſint indúti, ſed cínere & cilício, niſi infírmitas impedíerit.

FERIA IV.

IN VIG. ASCENS. DOMINI.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1282. *Cap.* 5.

PRo eò quòd in faciéndis Proceſſiónibus, ob devotiónem pópuli antíquitùs introdúctis, multi Eccleſiárum Rectóres ſe exhibent negligéntes, præcípimus eos ad Proceſſiónes hujúſmodi faciéndas, per locórum Ordinários, Cenſúrâ Eccleſiáſticâ, niſi tempéſtas témporis, vel ália neceſſária cauſa eos impedíerit, fore cogéndos.

FERIA V.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Ex Conſtitutiónibus Apoſtolórum. ✠

Lib. 5. *Cap.* 18.

NUmerátis quadragínta diébus à primo Domínico die, celebráte diem feſtum Aſſumptiónis Dómini, quo die aſcéndit ad Deum eumdémque Patrem ſuum à quo miſſus fúerat, ad cujus déxteram virtútis ſedet, quíque in conſummatióne séculi véniet cum poteſtáte multa & glória, ad judicándum vivos & mórtuos.

De Baptiſmo, ejúſque Ceremoniis.

FERIA VI.

ncílio Tridentíno. ✱

:547. *Seſſ.* 7. *de Bapt.*

Can. 2.

uis díxerit, aquam

am & naturálem non

neceſſitáte Baptíſmi,

ideò verba illa Dómi-

ri Jeſu Chriſti: Nisì

nátus fúerit ex aqua

itu ſancto, ad metá-

n áliquam detórſerit,

ma ſit.

SABBATO.

ncílio Tridentíno. ✱

547. *Seſſ.* 7. *de Bapt.*

Can. 3.

is díxerit, in Ecclésia

mána, quæ ómnium

árum mater eſt &

tra, non eſſe veram

aptíſmi Sacraménto

iam, anáthema ſit.

OMINICA

OCT. ASCENSIONIS.

oncílio Tridentíno.

✱

547. *Seſſ.* 7. *de Bapt.*

Can. 13.

uis díxerit, párvulos,

quòd actum credéndi

bent, ſuſcépto Bap-

inter Fidéles compu-

non eſſe, ac prop-

cùm ad annos diſ-

nis pervénerint, eſſe

isándos; aut præſtá-

tti eórum Baptíſma,

eos non actu próprio

es *baptisári in* ſola

clésiæ, anáthema

FERIA II.

Ex Concílio Tridentíno. ✱

Ann. 1547. *Seſſ.* 7. *de Bap.*

Can. 14.

SI quis díxerit, párvulos baptisátos, cùm adoléverint, interrogándos eſſe, an ratum habére velint, quod patríni eórum nómine dum baptiſaréntur, pollíciti ſunt; & ubi ſe nolle reſpónderint, ſuo eſſe arbítrio relinquéndos; nec áliâ intérim pœnâ ad Chriſtiánam vitam cogéndos, nisì ut ab Eucharíſtiæ aliorúmque Sacramentórum perceptióne arceántur, donec reſipíſcant, anáthema ſit.

FERIA III.

Ex Concílio Pariſiénſi ſexto. ✠

Ann. 829. *Lib.* 1. *Can.* 16.

ABrenuntiáre diábolo eſt pénitùs eum reſpúere, eíque contradícere, séque unumquémque ab eo alienáre. Opera ejus ſunt, primùm ſupérbia, inítium omnis peccáti. Pompa diáboli, hæc eſt quæ pompa mundi, id eſt, ambítio, arrogántia, vana glória, omnis cujúſlibet rei ſuperflúitas in humánis úſibus.

FERIA IV.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 6.

NAtos infántes, quàm diligénter fieri pòterit ad Ecclésiam parœciálem ſolémniter deférri, & in

nec prorsùs álibi, nisì úrgeat necéſſitas, adhíbitis exorcíſmis, exufflatiónibus, unctiónibus & cǽteris rítibus, jam inde ab inítio Religiónis Chriſtiánæ per univérſam Eccléſiam adhibéri sólitis, & aquâ, benedictióne ſolémni & ſacri Chríſmatis unctióne ſanctificátâ, baptisári jubet Sýnodus.

FERIA V.

IN OCT. ASCENS. DOMINI.

Ex Concílio Turonénſi. ✠

Ann. 1583. *Cap.* 6.

JUbémus baptisátis impóni nómina ſanctórum & laudatórum virórum quorum exémplo ad virtútem alliciántur, non verò ália à poétis vel áliis fabulatóribus invénta. Plures patríni aut matrínæ non adhibeántur: junióres non ſint annis quatuórdecim, memóriter Sýmbolum & oratiónem Domínicam tenéntes, & cognoſcéntes cujus causâ fidejuſsóres apud Deum & Eccléſiam exíſtunt.

FERIA VI.

Ex Concílio Tridentíno. ✠

Ann. 1547. *Seſſ.* 7. *de Baptiſmo.*

SI quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab ómnibus ſanctæ Eccléſiæ præcéptis, quæ vel ſcripta vel trádita ſunt, ità ut ea obſerváre non teneántur, nisì ſe ſuâ ſpóntè illis ſubmíttere volúerint, anáthema ſit.

SABBATO.

IN VIG. PENTECOSTES.

Ex Concílio Coloniénſi. ✠

Ann. 1548. *Cap.* 15.

STatúimus ut paſtóres & concionatóres adhorténtur pópulum, ut párvulos natos inſtánte Feſto Paſchæ, ſervent baptisándos in Vigíliam Paſchæ; & natos Feſto Pentecóſtes inſtánte, ad Feſtum Pentecóſtes uſque ſervent; ſi tamen nullum immíneat vitæ periculum.

De Sacramento Confirmationis.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Ex Concílio Tridentíno. ✠

Ann. 1547. *Seſſ.* 7. *de Confirm. Can.* 1.

SI quis dixerit, Confirmatiónem baptiſatórum otióſam ceremóniam eſſe, & non pótiùs verum & próprium Sacraméntum; aut olim nihil áliud fuiſſe, quàm catechéſim quamdam, quâ adoleſcéntiæ próximi fidei ſuæ ratiónem coram Eccléſia exponébant, anáthema ſit.

FERIA II.

Ex Concílio Tridentíno. ✠

Ann. 1547. *Seſſ.* 7. *de Confirm. Can.* 2.

SI quis dixerit, injúrios eſſe Spirítui ſancto eos qui ſacro Chríſmati virtútem áliquam tríbuunt, anáthema ſit.

F E R I A III.
oncílio Tridentíno. ✱
:. 1547. *Seſſ.* 7. *de*
Confirm. Can. 3.
quis díxerit, Sanctæ
onfirmatiónis ordiná-
miníſtrum non eſſe
Epíſcopum, ſed
vis símplicem Sacerdó-
anáthema ſit.

F E R I A IV.
ATUOR TEMPORUM.
Concílio Moguntíno.
✤
. 813. *Can.* 34 *&* 35.
uátuor Témpora anni
b ómnibus cum jejú-
bſervéntur: jejunétur
ad horam nonam, &
ne ab ómnibus abſti-
r. Quòd ſi quis indíc-
jejúnium ſuperbiéndo
npſerit, & obſerváre
cœ́teris Chriſtiánis
rit, in Gangrénſi Con-
præcípitur, ut anathe-
étur, nisì emendáre
deat.

F E R I A V.
oncílio Turonénſi. ✤
. 1583. *Cap.* 7. *de*
Confirmat.
nfirmatiónem eſſe Sa-
raméntum, ab ómni-
hriſtiánis máximè am-
ndum, illiúſque ſolum
pum eſſe ordinárium
rum nos docet Ec-
Cathólica: idcircò
s Chriſtiános hortátur
hæc Sýnodus, ne in illíus
ſuſceptióne negligéntes ſe
exhíbeant, quò facíliùs ad-
vérsùs diáboli insídias ſtare,
ejúſque tela ígnea váleant
extínguere.

F E R I A VI.
QUATUOR TEMPORUM.
Ex Concílio Turonénſi. ✤
Ann. 1583. *Cap.* 7. *de*
Confirm.

UT Sacraméntum Con-
firmatiónis decéntiùs
conferátur, ſtatúimus ne ad
illud fácilè, minóres ſepténnio,
qui autem ſunt adúlti
nónnisì prǽviâ peccatórum
confeſſióne, admittántur.

S A B B A T O
QUATUOR TEMPORUM.
Ex Concílio Mediolanénſi
quinto. ✤
Ann. 1579. *Part.* 1. *Tit.* 9.

CUret Epíſcopus ac Páro-
chus, ut qui turpe ridi-
culúmve nomen habet, ne-
que planè convéniens Chriſ-
tiáno hómini, ſumat in
Confirmatiónis Sacraménto
nomen alicújus qui veræ
pietátis ſanctǽque religió-
nis laude flóruit; ut qui
háctenùs non ad normam
Chriſti Dómini vitam inſ-
títuit, jam depóſito véteri
hómine & antíquâ ſocórdiâ,
rursúſque novo ac ſancto
ſuſcépto nómine, virílem
in ſanctè agéndo conſtán-
tiam deinceps præſtet.

Die XXV. Martii.

IN ANNUNTIATIONE ET INCARNATIONE DOMINI.

Ex Concilio Lateranénſi. ✠ *Ann.* 649. *Can.* 3.

SI quis ſecúndùm ſanctos Patres non confitétur, próprié & ſecúndùm veritátem, Dei Genitrícem ſanctam ſempérque Vírginem & immaculátam Maríam, útpotè ipſum Deum Verbum ſpeciáliter & verácitur abſque sémine concepíſſe ex Spíritu Sancto, & incorruptibíliter eam genuíſſe, indiſſolúbili permanénte & poſt partum ejúſdem virginitáte, condemnátus ſit.

Die XXIV. Maii.

In Festo SS. DONATIANI ET ROGATIANI, Nannetensium Martyrum.

Ex antíquis Conſtitutiónibus Eccleſiárum Orientálium. ✠ *Tom.* 2. *Concil. Lab. Cap.* 2.

SAnctórum Mártyrum, & ómnium qui bonum certámen pro Chriſto ejúſque orthodóxa fide certárunt, oſſa deponántur in Eccléſiis & Monaſtériis, ut emánent ex iis ſanitátes & utilitátes ægrótis, infírmis, paralýticis & indigéntibus áliis. Eórum fiat quotánnis Commemorátio ab univérſa Chriſtiána plebe: nec reputéntur étiam ut réliqui mórtui, ſed máximus deferátur illis honor: quóniam amíci Dei & Eccléſiæ diadéma & coróna, ſuo quippe pretióſo sánguine cornu Chriſtiánæ Religiónis extulérunt pro cunctis géntibus & pópulis.

In Præcipua Solemnitate Patroni Primarii.

Ex Concílio Mediolanénſi tértio.

✠

Ann. 1573. *Tit.* 1.

QUò religióſiùs íncolæ uniuſcujúſque Paróchiæ feſtum diem colant illíus Sancti Sanctǽve cujus Patrocínio Parochiális Eccléſia dicáta eſt, cohortatiónibus agat Párochus, ut ánimo piè répetant religióſas ejus ſanctárum virtútum exercitatiónes, quarum méritis in cœlum ille vocátus, cùm ſempitérnâ glóriâ perfruátur, pro caritáte quâ abúndat, eórum quorum ſalútis patrocínium ſuſcépit, preces Deo offert.

In Anniversario Dedicationis Ecclesiæ.

Ex Concílio Coloniénſi primo. ✠

Ann. 1536. *Part.* 9. *Can.* 13.

SIgnat Templi Dedicátio tam fidélis ánimæ quàm Eccléſiæ cum Chriſto deſponſatiónem. Quamóbrem, niſì ómnia quæ in hujuſcémodi Conſecratióne extériùs agúntur, in nobis ſpirituáliter impleántur, parùm hinc fructûs nobis accéſſerit.

Pſal.		Pagina
133	ECce nunc benedícite Dóminum.	26
132	Ecce quàm bonum.	116
58	Eripe me de inimícis meis.	110
139	Eripe me, Dómine, ab hómine malo.	101
44	Eructávit cor meum verbum bonum.	74
144	Exaltábo te, Deus meus Rex.	72
29	Exaltábo te, Dómine, quóniam.	7
19	Exaúdiat te Dóminus in die tribulatiónis.	84
60	Exaúdi, Deus, deprecatiónem meam.	82
63	Exaúdi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor.	90
54	Exaúdi, Deus, oratiónem meam, & ne.	89
16	Exaúdi, Dómine, juſtítiam meam.	103
39	Expéctans expectávi Dóminum.	97
80	Exultáte Deo adjutóri noſtro.	83
32	Exultáte, juſti, in Dómino.	27
67	Exúrgat Deus, & diſſipéntur.	63
86	FUndaménta ejus in móntibus ſanctis.	108
85	INclína, Dómine, aurem tuam.	118
125	In convertendo Dóminus.	86
10	In Dómino confido.	57
113	In éxitu Iſraël de Ægýpto.	24
70	In te, Dómine, ſperávi .... & éripe me.	93
30	In te, Dómine, ſperávi .... in juſtítia.	99
65	Jubiláte Deo, omnis terra, pſalmum.	7
99	Jubiláte Deo, omnis terra, ſervíte.	10
34	Júdica, Dómine, nocéntes me.	95
42	Júdica me, Deus, & diſcérne.	81
25	Júdica me, Dómine, quóniam.	96
121	LÆtátus ſum in his.	116
145	Lauda, ánima mea, Dóminum.	94
147	Lauda, Jerúſalem, Dóminum.	80
148	Laudáte Dóminum de cœlis.	32
150	Laudáte Dóminum in ſanctis ejus.	10
116	Laudáte Dóminum, omnes gentes.	108
146	Laudáte Dóminum, quóniam bonus.	64
134	Laudáte nomen Dómini.	48
112	Laudáte, púeri, Dóminum.	23
120	Levávi óculos meos in montes.	55
47	MAgnus Dóminus, & laudábilis.	107
131	Meménto, Dómine, David.	[illegible]

Pſal. *Pagina*

56 Miſerére meî, Deus, miſerére meî. 53
55 Miſerére meî, Deus, quóniam. 103
50 Miſerére meî, Deus, ſecúndùm. 117
100 Miſericórdiam & judícium. 112
88 Miſericórdias Dómini in ætérnum. 65

126 NIsì Dóminus ædificáverit domum. 56
123 Nisì quia Dóminus erat in nobis. 56
36 Noli æmulári in malignántibus. 58
61 Nónne Deo ſubjécta erit. 41
75 Notus in Judæa Deus. 111

46 OMnes gentes, plaúdite mánibus. 107

107 PArátum cor meum, Deus. 110

72 QUàm bonus Iſraël Deus. 61
83 Quàm diléćta tabernácula tua. 83
2 Quare fremuérunt gentes? 3
41 Quemádmodum desíderat cervus. 80
124 Qui confidunt in Dómino. 56
51 Quid gloriáris in malítia. 88
90 Qui hábitat in adjutório Altíſſimi. 26
79 Qui regis Iſraël, inténde. 42

128 SÆpè expugnavérunt me. 100
68 Salvum me fac, Deus. 91
11 Salvum me fac, Dómine. 57
57 Si verè útique juſtítiam. 105
136 Super flúmina Babylónis. 116

64 TE decet hymnus, Deus, in Sion. 75

94 VEníte, exultémus Dómino. 2
5 Verba mea aúribus pércipe, Dómine. 51
76 Voce meâ ad Dóminum.... voce meâ ad Deum. 76
141 Voce meâ ad Dñum.... voce meâ ad Dóminum. 101
12 Uſquequò, Dómine, oblivíſcéris. 57
73 Ut quid, Deus, repulíſti in finem? 34

INDEX DIVISIONUM PSALMORUM.

38 AB ómnibus iniquitátibus. 106
77 Abundávit (Dóminus) ut avérteret. 70

Pſal.		*Paginæ*
41	Ad meípſum ánima mea.	81
37	Amíci mei.	102
39	Annuntiávi juſtítiam tuam.	97
21	Apud te laus mea.	99
44	Audi, fília.	75
49	Audi, pópulus meus.	67
142	Audítam fac mihi manè.	106
32	Beáta gens.	28
88	Beátus pópulus.	65
93	Beátus homo.	54
118	Bonitátem fecíſti.	17
105	Citò fecérunt.	45
87	Clamávi ad te, Dómine, totâ die.	91
118	Clamávi in toto corde meo.	21
144	Confiteántur tibi, Dómine.	72
138	Confitébor tibi, (Dómine,) quia terribíliter.	39
89	Convértere, Dómine, úſquequò ?	34
85	Deduc me, Dómine.	118
118	Defécit in ſalutáre tuum.	18
143	Deus, cánticum novum.	40
7	Deus judex juſtus.	41
17	Deus meus, impollúta.	5
67	Dóminus dabit verbum.	63
139	Dómine, Dómine, virtus.	101
68	Ego ſum pauper.	92
108	Et tu, Dómine.	113
26	Exaúdi, Dómine, vocem meam.	77
68	Exaúdi me, Dómine.	92
77	Et ábſtulit ſicut oves.	70
77	Et excitátus eſt.	71
34	Exúrge, & inténde.	96
77	Fílii Ephrem.	69
58	Fortitúdinem meam.	111
43	In Deo laudábimur.	54
118	Iníquos ódio hábui.	19
101	Inítio tu, Dómine.	29
80	In tribulatióne.	83
131	Jurávit Dóminus David.	87
144	Juſtus Dóminus.	72
104	Lætáta eſt Ægýptus.	44
18	Lex Dómini immaculáta.	31
118	Legem pone mihi.	26
118	Memor eſto verbi tui.	27
76	Memor fuï óperum.	

Pſal.		*Pagina*
118	Mirabília teſtimónia tua.	20
16	Miríſica miſericórdias tuas.	104
102	Miſerátor.	37
9	Miſerére meî, Dómine, vide.	50
30	Miſerére meî, Dómine, quóniam tríbulor.	99
17	Míſit de ſummo.	5
21	Ne diſcéſſeris à me.	98
48	Ne timúeris.	60
105	Non diſperdidérunt gentes.	46
104	Non reliquit.	43
36	Novit Dóminus dies.	59
36	Os juſti meditábitur.	59
70	Os meum annuntiábit.	94
106	Póſuit (Dóminus.)	48
118	Príncipes perſecúti ſunt me.	21
30	Quàm magna multitúdo.	100
91	Quàm magnificáta ſunt .... nimis.	36
103	Quàm magnificáta ſunt .... ómnia.	30
118	Quómodo diléxi.	19
102	Quómodo miſerétur.	37
118	Retríbue ſervo tuo.	14
88	Semel jurávi.	66
43	Si oblíti ſumus.	55
103	Sit glória Dómini in séculum.	30
34	Surgéntes teſtes iníqui.	95
106	Suſcépit eos (Dóminus) de via.	47
72	Tenuíſti, (Dómine,) manum.	62
77	Tránſtulit Auſtrum.	69
73	Tu confirmáſti.	34
101	Tu exúrgens.	29
33	Veníte, filii.	52
54	Véſpere & manè.	89
67	Vidérunt ingréſſus tuos.	64
79	Víneam de Ægýpto.	42
24	Univérſæ viæ Dómini.	82
9	Ut quid, Dómine, receſsíſti longè.	50

Index Canticorum Pſalterii.

Benedícite, ómnia ópera.
Magníficat ánima mea.
Nunc dimíttis.

Index Canticorum Communis.

Cibábit illum. xxix
Confitébor tibi, Dómine Rex. x
Ego dixi: In dimídio. cxiv
Gaudens gaudébo. lv
Jerúſalem, cívitas Dei. lxxviij
Juſtórum ánimæ. xvj
Laudáte Dóminum. xcv
Pactum meum fuit. xxxv
Pars mea Dóminus. xlij
Os ſuum apéruit. lxj
Quàm pulchri ſuper montes. iv
Qui timétis Dóminum. xlviij
Sacérdos magnus. xxiij

QUO MORE AC MODO

RECITANDÆ SINT

HORÆ CANONICÆ.

Santolius Victorinus.

1. ALTERNO Jeſſæa choro quæ carmina pſallis,
Æternas Gens nata Deo perſolvere laudes,
Hîc tibi ſervandas, quas ſcripſimus, accipe leges:
Qui formavit, habet, quibus audiat, & Deus aures.

2. Maxima debetur ſanctis reverentia Templis.
Hæc habitat Deus, & præſenti Numine replet.
Hujus ad aſpectum, puræ ſinè corpore mentes
Terrificæ trepidant crebra inter fulgura lucis.

3. Si mordet te noxa gravis, vel limine in ipſo
Ingreſſum paveas, ſceleris neque conſcius intres
Templa auguſta: ſacris Deus eſt penetralibus ultor.
Si quid at impuri contraxeris, elue labem
Confeſtim. Mundis oculis ſint omnia munda.

Pectoris ille tui ſacros habitare receſſus
Plus ambit, quàm juncta ſimul certo ordine ſaxa.
Sic loca ſancta, metu poſito, luſtratus adibis;
Et ſolves divina tuam in præconia linguam.

4. Ne venias, placare cupis ſi Numinis iram,
Elatus caput, & benè compto bellulus ore,
Promiſsóque capillitio, nec odoribus unctus,
Allicias ſpectantûm oculos; nec veſte placebis,
Moribus at puris: decus eſt ſibi ſplendida Virtus.

5. Ne rerum ſpecies violent ſacraria mentis,
Captivos ſenſus dura ſub lege tenebis;
Acceptóque jugo, dociles tua juſſa capeſſent,
Mentis ad imperium. Multùm eſt componere ſenſus.

6. In toto ſedeat depicta modeſtia vultu;
Ut qui te videat, propiori Numine tactus,
Sentiat eſſe Deum præſentem, & pronus adoret.

7. Ne nimiùm celeri confundas omnia cantu;
Sed paveas ad verba, ipſo dictata Tonante.
Plena Deo ſunt verba. Moras ſervare memento:
Cantanti prodeſt, ſeu pectora feſſa ſubinde
Reſpirent, ſeu mens, quod profert lingua, revolvat,
Et ſacras voces arcano ruminet ore.
Ad numeros hilarem lentus ne protrahe cantum.
Nec te adeò recreet vocis ſonus: intima rerum
Scrutare, & ſenſus tecum meditare profundos.

8. Non incompoſitis lædas clamoribus aures;
Nec leviore ſono molles imitabere cantus.
Fractáque femineo ſupplantans verba palato,
Sit plauſum captare pudor: nam talia ſpernit
Vota, precéſque Deus. Puri ſuſpiria cordis,
Et tacitos gemitus attentis auribus audit.

9. At neque cantanti rictus diſtorqueat ora
Vaſtior, & rupto ſe vox de gutture trudat,

Unde ſolent reſonare immani templa boatu.
Non clamore Deus placatur. Ut audiat alto
E ſolio, nil vocis eget. Vos ſurda, Prophetæ,
Numina necquicquàm valido pulmone vocaſtis.

10. Concordes animos monſtret concordia vocum,
Par ſtudium. Varia pro conditione locorum
Ritè obſerventur, quæ ſunt præſcripta quotannis.

11. Abſint bella, procul ſacris diſcordia Templis;
Pro ritu ancipiti ſi quid peccatur, in ipſo
Advertens culpam momento corrige, dum res
Et tempus tulerit. Si qui tibi fortè reſiſtant,
Nec valeas ſolus te contra opponere turbæ:
Errorem permitte. Deo gratiſſimus error!
Mox cujus fuerat melior ſententia prudens,
Paulatim cùm ſe malè nata remiſerit ira,
Errorem oſtendas, & erit tibi gloria major.

12. Ne tibi longa nimis ſubeant faſtidia cantûs,
Te ſuper aſtra feras; propriis mens libera vinclis
Audeat interdùm ſedes percurrere ſanctas,
Cœleſtéſque intrare domos. Te junge ſupernis
Obvius agminibus, Superíſque admixtus, adora
Quem cœli prona aula canit, quem térque Beatum,
Térque canit Sanctum. Sic tu novus ætheris hoſpes,
Laudare incipies quem mox laudabis in ævum.
Pectus inundabit quàm pura & ſancta voluptas!

Felix, ſi nondùm exutus mortalia membra,
Has retinens leges, patrio præludis Olympo!

Cùm Domino pſalles, pſallendo tu tria ſerves:
Sit tibi cor ſursùm, benè profer, reſpice ſenſum.
Auſcultando cane, ſimul incipe, deſine planè.
Sit mens ſublimis, pes junctus, viſus in imis.

INTONATIONES, MEDIATIONES, & Terminationes Pſalmorum & Canticorum, ſecundùm cujuſque Toni & Modi differentias.

IN hôcce Breviario, cuilibet Antiphonæ præfigitur numerus & littera. Numerus Tonum deſignat; Littera Toni ſpeciem, ſeu Modum.

Modi completi, id eſt, qui deſinunt in legitimam Toni ſui finalem, litteris majuſculis ut plurimùm notantur.

Incompleti, ſeu ii qui in Chorda finali non deſinunt, minuſculis litteris ſemper indicantur.

Cùm aliquando Modi, ſive completi, ſive incompleti, in eadem chorda diverſimodè deſinant, ut diſtinguantur, diverſis caracteribus, Romano ſcilicet & Italico, quandoque etiam aſteriſco *, *aut accentu diſcernuntur.*

Intonatio adhibetur tantùm ad primum Verſum Pſalmi; reliqui Verſus à Dominante ſumuntur. Canticorum Benedictus *&* Magnificat, *in Duplicibus Majoribus, & ſupra, ſinguli Verſus inchoantur ut primus.*

Pſalmodia autem illa ſolemnis Canticorum nunquam adhibetur in Officio Defunctorum, neque in Simplicibus & Feriis, niſi aliud expreſsè notetur.

Cùm autem in primo Verſu Cantici Magnificat, *Intonatio & Mediatio, ut plurimùm* compleri non *poſſint propter ejus brevitatem,* in cæteris ej

Verſibus recurrendum eſt ad Intonationem, quæ ad Benedictus, *eodem in Tono notatur.*


Notandum verò eſt, quòd loco ſyllabarum ut, re, mi, fa, ſol, la, ſi, *hæ terminationes, compendii causâ, per unam è ſeptem litteris alphabeticis in hôcce libro deſignentur; ità ut, more Veterum,* a, *deſignet chordam* la; b, *chordam* ſi; c, *chordam* ut; d, *chordam* re; e, *chordam* mi; f, *chordam* fa; g, *chordam* ſol.

A	B	C	D	E	F	G
la	*ſi*	*ut*	*re*	*mi*	*fa*	*ſol*


INTONATIONES.

PRIMUS TONUS.

In A.




In e- xi-tu Iſ-ra- ël de Ægypto,




domûs Ja-cob de popu-lo barba- ro.

In Canticis Evangelicis.




Bene- dictus Dominus De- us Iſra- ël.



Ma-gni- ficat. e u o u a e.

Clavis ut plurimùm ſic tranſponitur.




Glo-ria Patri, & Fi-li-o. e u o u a e.


In D,



Lauda- te Dominum, omnes gentes.




e u o u a e.


In D. 

e u o u a e.


Sequens finalis eſt pariter in D ; *ſed quia reddit ultimam ſyllabam caudatam, defectu caracterum, notatur ut ſequitur,* J.

In J. 


e u o u a e.

In f. 


e u o u a e.

In g. 

e u o u a e.


In g. 

e u o u a e.


In a. 

e u o u a e.

In Canticis Evangelicis.




Be-ne- dictus Domi-nus De-us Iſra- ël.




Magni- ficat a-nima.

SECUNDUS TONUS.

In A.




Lau-da-te Domi-num, omnes gentes;




lauda-te e- um, omnes po-pu-li.

In Canticis Evangelicis.




Nunc di-mit-tis ſervum tu-um, Do-mine.




e u o u a e.

In D.




Lau-date Dominum, omnes gentes.




e u o u a e.


In D.




Lauda-te, pu-e-ri, Domi-num.



In Canticis Evangelicis.





In D. *




TERTIUS TONUS.

In E.






In a.




In a.




In

In a.




e u o u a e.

In b.




e u o u a e.

In c.




e u o u a e.

In g.




e u o u a e.

In Canticis Evangelicis.




Bene-dictus Domi-nus De-us Iſra-ël.




Magni- ficat.

QUARTUS TONUS.

In E.




Lauda-te Dominum, omnes gentes.




e u o u a e.

In E.




e u o u a e.

In f.




e u o u a e.

In d. *vel* D.




e u o u a e.

In a.




e u o u a e.

In Canticis Evangelicis.




Bene- dictus Dominus De- us I-ſra-ël.




Magni-ficat.


In A.



Lau-da- te Dominum, omnes gentes.




e u o u a e.


In c. 

e u o u a e.

In Canticis Evangelicis.




Bene- dictus Dominus De- us Iſ-ra-ël.




Magni- ficat.

QUINTUS TONUS.

In C.




Lauda-te Dominum, omnes gen-tes.




e u o u a e.

Clavis ſemper tranſponitur, ut ſequitur.




Glori- a Patri, & Fi-li-o.




e u o u a e.

In Canticis Evangelicis.




Benedictus Dominus De-us Iſra-ël.




Ma-gni-ficat a-ni-ma me-a Dominum.


In F.



Laudate Dominum, omnes gen-tes.




e u o u a e.

In a. 

e u o u a e.


In Canticis Evangelicis.




Benedictus Dominus De-us Iſra-ël.


SEXTUS TONUS.


In C.







In Canticis Evangelicis.










Clavis ut plurimùm tranſponitur, ut ſequitur.






In F.






In Canticis Evangelicis.





In F.




SEPTIMUS TONUS.

In G.






In a







In Canticis Evangelicis.



In F.




Lauda-te Dominum, omnes gen-tes.




e u o u a e.

In Canticis Evangelicis.



Be-ne-dictus Dominus De-us Iſra-ël.


In F.




e u o u a e.

SEPTIMUS TONUS.

In G.




Lauda-te Dominum, omnes gentes.



e u o u a e.


In a.



e u o u a e.




In Canticis Evangelicis.




OCTAVUS TONUS.

In G.




Laudate Dominum, omnes gentes.




e u o u a e.

In G. *vel g.*




e u o u a e.

In c.




e u o u a e.

In d.




e u o u a e.

In Canticis Evangelicis.



Bene-di-ctus Dominus De- us I-ſra-el.





Magni- ficat a- nima.

CANTUS DIVERSI


℣. Benedicamus Domino, & ℟. Deo gratias.


In Annualibus.







In Solemnibus.











In Dominicis & Duplicibus.



In Semiduplicibus & Simplicibus.



In Feriis.



PRIVILEGE DU ROI.

LOUIS, par la grâce de Dieu, Roi de France & de Navarre, à nos amés & féaux Conſeillers, les gens tenant nos Cours de Parlement, Maîtres des requêtes ordinaires de notre Hôtel, grand Conſeil, Prévôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans-Civils & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra; Salut. Notre cher & bien amé le Sieur Charles-Eutrope de la Laurancie, Évêque de Nantes, nous a fait expoſer qu'il auroit beſoin de nos Lettres de privilege, pour l'impreſſion des Uſages de ſon Dioceſe : à ces cauſes voulant favorablement traiter ledit Sieur Évêque, nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes, de faire imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra choiſir, tous les bréviaires, tous les diurnaux, miſſels, rituels, antiphoniers, manuels, graduels, proceſſionaux, epiſtoliers, pſeautiers, demi-pſeautiers, directoires, heures, catéchiſmes, ordonnances, mandemens, ſtatuts, ſinodaux, lettres paſtorales & inſtructions à l'uſage de ſon Dioceſe, en tels volumes, forme, marge & caracteres, conjointement ou ſéparément, & autant de fois que bon lui ſemblera, & de les faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le temps de vingt années conſécutives, à compter du jour de la date des Préſentes, ſans toutefois qu'à l'occaſion des livres ci-deſſus énoncés, il puiſſe en être imprimés d'autres qui ne ſoient pas dudit Sieur Évêque. Faiſons défenſes à toutes ſortes de perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance, comme auſſi à tous Libraires & Imprimeurs d'imprimer, vendre ou faire vendre & débiter leſdits livres en tout ou en partie, & d'en faire aucune traduction ou extrait, ſous quelque prétexte que ce ſoit, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Sieur Évêque ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, & de ſix mille livres d'amende contre chacun des contrevenants, qui ne pourra être modérée pour la premiere fois, de pareille amende & de déchéance d'état, en cas de récidive, & de tous dépens, dommages & intérêts, conformément à l'arrêt du Conſeil du 30 Août 1777, concernant les contrefaçons. A la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans trois mois de la date d'icelles; que l'impreſſion de ces livres ſera faite dans notre Royaume, & non ailleurs, en bon papier & beaux caracteres, conformément aux réglemens de la Librairie; qu'avant de les expoſer en vente, les manuſcrits ou imprimés qui auront ſervi de copie à l'impreſſion



